UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1176. Usque Ad Annum 1203

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118022

urn:nbn:de:hbz:466:1-66394

Visual Library

Ph. 5778.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CLAUDII FLEURII
ABBATIS
HISTORIA ECCLESIASTICA
LATINE REDDITA
ET NOTIS ILLUSTRATA
A
R. P. BRUNONE PARODE
ORD. S. BEN. IN MONASTERIO ETTALENSI
PROFESSO p. t. SUBPRIORE & BIBLIOTHECARIO.

TOMUS XVIII.
AB ANNO CHRISTI 1176. USQUE AD ANNUM 1203.



Cum Approbatione & Consensu Superiorum.

AUGUST. VIND. & OENIPONTI
IMPENSIS JOSEPHI WOLFF. MDCCLXIII.

Collegii Soc. Jesu Paderborn
1765

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



PRÆFATIO.

Accipe, amice Lector, Verſionis hujus Partem XVIII. ea complectentem, quæ Sæculo XII. exeunte in Eccleſia Chriſti geſta ſunt, haud minus quam præcedentia Hiſtoriæ ſtudioſis jucunda & utilia. Leges, quantam calamitatem Albigenſes & Waldenſes, veterum Manichæorum progenies, dum a Fide & Communione Romanæ Eccleſiæ contumaciter receſſerunt, in varias

provincias, maxime in Occitaniam invexerint. Occurret Concilium Lateranenſe III. Oecumenicum XI. in quo, præter ſalubres Conſtitutiones, etiam de Electione Romani Pontificis actum. Utque contra Schismata in poſterum caveretur, ſtatutum eſt neminem, niſi a duabus Cardinalium partibus electum, pro Pontifice Romano habendum eſſe. Leges, Urbem Hieroſolymam, annis abhinc octoginta octo, Duce Godefrido Bullionio, a Chriſtianis occupatam, inſcrutabili Dei judicio, in Saladini & Muſulmannorum poteſtatem denuo redactam. Qua facta jactura, nec Friderici a *Barba Roſſa*, fortiſſimi Imperatoris, qui in pulcherrimo conatu glorioſe occubuit, in Terram ſanctam profectio, nec Regum Francorum & Angliæ in tertia Chriſtianorum expeditione molimina, rem in Palæſtina repara-

re

re ac reſtituere valuerunt. In hac quoque Hiſtoriæ periodo Urbs Conſtantinopolis a Latinis capta eſt, quod Græcorum animos, in Religione jam diu vacillantes, a Romana Sede usque adeo avertit, ut quemadmodum bene notat Fleurius, illa demum ætate Communionis ſpiritualis vinculum, utramque Eccleſiam utcunque connectens, penitus abruptum dici poſſit.

Huic etiam Parti Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ inſerta eſt Auctoris Fleurii Diſſertatio, de cujus pretio & ſoliditate Lectorum Eruditorum judicium ſit. Illud vero ex ea exploratum ſit, poſſe Scriptorem Hiſtoriæ Catholicum, qualis Fleurius eſt, quem ipſi Proteſtantes a Scientia Rerum Eccleſiaſticarum & candore animi commendandum exiſtimant, nihil ſilentio præterire, imo etiam expedire, ut propriæ Eccleſiæ

abusus & vulnera non dissimulet, sed sincere referat, sicque efficacius contra eosdem Adversarios demonstret, his omnibus non obstantibus, tantum Ecclesiæ Romanæ, utpote antiquissimæ, perpetuæ, & soli per tot Sæcula visibili, notas veræ Christi Ecclesiæ convenire, ac proinde non immerito omnium prudentum risu excipiendam & explodendam esse Domini Windheim stultitiam, cum dicit, **in seinen Anmerkungen zu Mosheims allgemeinem Kirchenrecht der Protestanten auf der 436. Seite; Die Römischkatholischen machen uns zu Rebellen. Allein ihre Vorwürfe sind tausendmal beantwortet, und sie sind zum Stillschweigen gebracht.**

Ita homo iste, qui Catholicorum libros non legit, in scholæ suæ angulo, & præjudiciorum tenebris, nænias fabulasque contra nos discipulis suis procaciter

citer venditat. Multo atrocius & inhumanius Auctores, Novellæ literariæ, des Neueſten 1762. pag. 244. totas Catholicorum provincias & Regna ſpernunt ac calumniantur, cum ſcribere audent: Weil dadurch (nämlich durch deutſche von allen Wiſſenſchaften verfaßte Bücher) allererſt Unwiſſenheit und Barbarey von einem ganzen Volke vertrieben wird. Ein duzend gründliche, aber lateiniſch gelehrte Männer, machen gewiß ein ganzes Land nicht klug, geſcheid, und geſittet; wenn alle übrige Stände und Lebensarten in Einfalt und Dummheit gelaſſen werden; wie wir bisher an den katholiſchen Ländern in Deutſchland, Böhmen, Pohlen, und Ungarn geſehen haben. Quaſivero inter Catholicos nulli Libri lingua germana & patria de Fide, de Religione, de moribus, de educatione liberorum, de

omnibus Artibus & Naturæ arcanis scripti extarent ?

Hinc Aristarchi isti maledici conqueri jure non possunt, si convicia in alios jacta a Scriptoribus, rei insolentiam juste indignantibus, in auctores remittantur.

Monendus etiam es, Lector Benevole, originem S. Ordinis Prædicatorum, in imagine, huic Parti præfixa, exhibitam, in primo Libro Partis sequentis XIX. inveniri. Quamvis enim eodem tempore extiterint Ordinum Præd. & FF. Minorum sancti Fundatores, in Figuris tamen æneis separandi videbantur. Lege & vale.

CONSPECTUS
TOMI XVIII.

LIBER LXXIII.

§. 1. Fridericus Schisma abjecturus. Pag. 1.
§. 2. Papa Venetiis. 5
§. 3. Papa Ferrariæ. 8
§. 4. Pax inter Imperatorem & Pontificem. 12
§. 5. Pax juratur. 18
§. 6. Conradus Moguntia Salisburgum translatus. 21
§. 7. Epistola ad Joannem Presbyterum. 25
§. 8. Hugonis Eteriani Scripta. 27
§. 9. Absolon Archiepiscopus Lundensis. 29
§. 10. Guilielmus Parisiensis Abbas in Dania. 34
§. 11. Petrus Cardinalis S. Chrysogoni Legatus in Francia. 36
§. 12. Manichæi Tolosæ. 37

§. 13. Manichæi in Territorio Albigenſi. 46
§. 14. S. Anthelmi Epiſcopi Bellicenſis extrema. 52
§. 15. S. Hildegardis extrema. 57
§. 16. Alexander III. Romam redit. 59
§. 17. Calliſtus Antipapa ſubjicitur. 62
§. 18. Concilium Generale convocatur. 63
§. 19. Guilielmus Archiepiſcopus Tyrienſis. 64
§. 20. Concilium Lateranenſe III. 66
§. 21. Concilii Lateranenſis Canones. 68
§. 22. Pœna Hæreticorum. 77
§. 23. Error Petri Lombardi. 80
§. 24. Epiſcopi Germaniæ. 82
§. 25. S. Laurentius Dublinenſis. 85
§. 26. Philippus Regis Franciæ filius coronatur. 90
§. 27. Schisma in Scotia. 93
§. 28. Lando Antipapa vela contrahit. 95
§. 29. Ludovici VII. obitus. Philippus Auguſtus Rex. 96
§. 30. Petrus Cellenſis, Epiſcopus Carnotenſis. 97
§. 31. Quæſtio de Deo Mahometis. 99
§. 32. Manuelis obitus. Alexius Comnenus Imperator. 103
§. 33. Eccleſia Latina in Oriente. 106
§. 34. Eccleſia Angliæ. 110
§. 35. Henricus Legatus Albigenſes perſequitur. 116
§. 36. Alexandri III. obitus. Lucius III. Papa. 120
§. 37. Cauſa Eccleſiæ Dolenſis in Britannia. 124
§. 38. Arnulphi Lexovienſis extrema. 126
§. 39. Scandalum in Abbatia Greſtanienſi exortum. 128
§. 40. Parvuli a Judæis occiſi. 131
§. 41. Judæi ex Francia expulſi. 133
§. 42. Latini Conſtantinopoli trucidati. 135

§. 43. Andronicus Constantinopolim vocatur. 140
§. 44. Res Regni Hierosolymitani. 141
§. 45. Bœmundus Princeps Antiochiæ excommunicatur. 143
§. 46. Maronitæ Ecclesiæ Romanæ junguntur. 146
§. 47. Archiepiscopus Montis Regalis in Sicilia. 148
§. 48. Christianus moritur. Conradus Archiepiscopus Moguntinus. 149
§. 49. Subsidia Papæ data. 150
§. 50. Rex Angliæ juvenis moritur. 152
§. 51. Andronicus Imperator Constantinopoli. 153
§. 52. Abbatis Fuldensis ambitio. 156
§. 53. Concilium Veronense. 158
§. 54. Decretum contra Hæreticos. 159
§. 55. Waldensium Origo. 164
§. 56. Quæ in Concilio Veronensi secuta sunt. 167
§. 57. Legati Hierosolymitani in Francia. 169
§. 58. Legati Hierosolymitani in Anglia. 172
§. 59. Balduinus Archiepiscopus Cantuariensis. 175
§. 60. Thessalonica a Siculis capta. 178
§. 61. Andronici exitus. Isaacius Angelus Imp. Constantinopolitanus 180

LIBER LXXIV.

§. 1. Lucii obitus. Urbanus III. Papa. 185
§. 2. Chronicum Godefridi Viterbiensis. 188
§. 3. Pontificis & Imperatoris dissidia. 192
§. 4. Querelæ Imperatoris adversus Papam. 195
§. 5. Epistola Episcoporum Germaniæ 197
§. 6. Ecclesia Livoniæ. 199

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

§. 7. S. Hugo Episcopus Lincolnienſis. 200
§. 8. Concilium Dublinenſe. 205
§. 9. Guido Luſignanus Rex Hieroſolymæ. 207
§. 10. Pugna ad Tiberiadem. 209
§. 11. Hieroſolyma a Saladino capta. 214
§. 12. Urbani obitus. Gregorius VIII. Papa. 221
§. 13. Gregorii obitus. Clemens III. Papa. 225
§. 14. Pax cum Romanis. 227
§. 15. Decimæ Saladinæ. 230
§. 16. Schismatis in Scotia finis. 237
§. 17. Conventus in urbe Bernardi-Firmitate. 240
§. 18. Henrici II. Regis Angliæ mors. 242
§. 19. Richardus I. Rex Angliæ. 243
§. 20. Seditio in Judæos commota. 245
§. 21. Epiſcopatus Angliæ. 248
§. 22. Friderici Imperatoris profectio. 250
§. 23. Friderici fata. Henricus VI. Imperator. 253
§. 24. Concilium Rotomagenſe. 255
§. 25. Profectio Regum Franciæ & Angliæ. 257
§. 26. Guilielmi obitus. Tancredus Rex Siciliæ. 260
§. 27. Joachimus Abbas in Calabria. 262
§. 28. Mors Clementis III. Cœleſtinus III. Papa. 268
§. 29. Henricus VI. Imperator coronatur. 271
§. 30. Acria a Crucigeris expugnatur. 274
§. 31. Equites Teutonici. 277
§. 32. Eccleſia Alexandrina. 279
§. 33. Pugna ad *Arſuph.* 283
§. 34. Obitus Balduini Archiepiſcopi Cantuarienſis. 284
§. 35. Epiſcopus Elienſis ex Anglia pulſus. 287
§. 36. Actio Romæ contra Epiſcopum Elienſem. 289

§. 37.

§. 37. Legati in Normannia non recipiuntur. 295
§. 38. S. Albertus Episcopus Leodiensis. 297
§. 39. Stephanus Episcopus Tornacensis. 302
§. 40. Ordo Viardinorum. 308
§. 41. Richardus Rex a Duce Austriæ captus. 310
§. 42. Hubertus Archiepiscopus Cantuariensis. 313
§. 43. Philippus Rex Ingeburgem ducit, & dimittit. 314
§. 44. Richardi Regis reditus. 318
§. 45. Querelæ contra Godefridum, Archiepiscopum Eboracensem, motæ. 319
§. 46. S. Hugonis Lincolniensis constantia. 322
§. 47. Pœnitentia Duci Austriæ injuncta. 328
§. 48. Monachus Patriarcha Hierosolymitanus. 331
§. 49. Dositheus Patriarcha Constantinopolitanus. 334
§. 50. Theodorus Balsamon & ejus Scripta. 337
§. 51. Alexius Angelus. Imperator. 344
§. 52. Concilium Eboracense. 345
§. 53. Godefridus Archiepiscopus Eboracensis. 351
§. 54. Henricus Imperator. Rex Siciliæ. 354
§. 55. Bellum Sacrum promulgatur. 356
§. 56. Concilium Montispessulanense. 358
§. 57. Philippus ad alias nuptias convertitur. 360
§. 58. Mauritii obitus. Odo Sulliacensis Episcopus Parisiensis. 362
§. 59. Quæstio de Eucharistia. 365
§. 60. Philippus Episcopus Belvacensis in carcere. 368
§. 61. Sacra Profectio Germanorum. 370
§. 62. Henrici VI. obitus. Philippus & Otto Reges Romanorum. 374

§. 63

§. 63. Ecclesiæ Septentrionis. 376
§. 64. S. Homobonus Cremonensis. 378

DISSERTATIO IV.

IN

HISTORIAM ECCLESIASTICAM.

LIBER LXXV.

§. 1. Cœlestini Papæ obitus. Innocentius III. 487
§. 2. Pontificatus exordia. 494
§. 3. Philippus & Otto Reges Romanorum. 502
§. 4. *Suer*, Tyrannus Norwegiæ. 504
§. 5. Pacta Pontificis & Reginæ Siciliæ. 506
§. 6. Pontifex hortatur Fideles ad Bellum sacrum suscipiendum. 509
§. 7. Concilium Senonense, Manichæi. 515
§. 8. Rainerius & Guido Mandatarii in causa Hæreticorum. 519
§. 9. Ordo Trinitariorum. 522
§. 10. Festum Fatuorum. 526
§. 11. Petrus Capuanus, Legatus in Francia. 528
§. 12. Fulco Neviliacensis. 531
§. 13. Expeditio sacra Francorum. 536
§. 14. Epistolæ Papæ ad Imperatorem & Patriarcham Constantinopolim datæ. 539
§. 15. Concilium in Dalmatia. 548
§. 16. Literæ Archiepiscopo Eboracensi faventes. 552
§. 17. Richardi obitus. Joannes Rex Angliæ. 555
§. 18. Petri Blesensis extrema. 558
§. 19. Sententia decretoria in Causa Ecclesiarum Dolensis & Turonensis. 561
§. 20. Translatio Episcoporum. 564

§. 21.

§. 21. Causa Ecclesiarum Bracarensis & Compostellensis. 570
§. 22. Manichæi in Urbe vetere. 573
§. 23. S. Petrus de Parenzo. 576
§. 24. Multi Metis de Hæresi suspecti. 581
§. 25. Interdictum in Francia. 586
§. 26. Constitutio ad Universitatem Parisiensem data. 594
§. 27. Petrus Corbolienſis, Archiepiscopus Senonensis. 597
§. 28. Divisio animorum in Ordine Grandimontensi. 598
§. 29. S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis. 601
§. 30. Ecclesia Anglicana. 604
§. 31. S. Hugonis Lincolnienſis extrema. 606
§. 32. Papa Ottonis, Regis Romanorum partes amplectitur. 608
§. 33. Quæ in Causa Ingeburgis secuta sint. 615
§. 34. Ordo Vallis Scholasticorum. 618
§. 35. Evraudus Hæreticus Niverni. 620
§. 36. Guido Paræus Coloniæ. 621
§. 37. Querelæ Germanorum ad Papam datæ. 625
§. 38. Quæ jura sibi esse in Electione Imperatoris Papa affirmet. 630
§. 39. Sacri milites in Francia. 634
§. 40. De servanda Dominica. 637
§. 41. Joachimi Abbatis extrema. 639
§. 42. Proles a Papa legitima pronunciatur. 641
§. 43. Causa Reginæ Ingeburgis. 645
§. 44. Guilielmi Archiepiscopi Remensis obitus. 647
§. 45. Hæretici in Urbe Caritate. 648
§. 46. Quæstiones de Evchariſtia. 650
§. 47. Crucigeri Venetiis. 657
§. 48. Jadera capta. 661

§. 49.

§. 49. Pacta cum Alexio juniore inita. 663
§. 50. Legatio ad Papam in Causa Jaderæ Urbis. 667
§. 51. Sacri milites ad portas Urbis Constantinopolitanæ. 673
§. 52. Constantinopolis a Crucigeris capta. 676
§. 53. Joannicius Rex Bulgarorum ad Papam convertitur. 681
§. 54. Joannes Legatus Papæ in Bulgaria. 686
§. 55. Stephani Tornacensis extrema. 689
§. 56. Pœnitentia Ecclesiastica memorabilis. 695
§. 57. Abbas Casæmajoris Legatus in Francia. 700
§. 58. Papa se pacis Arbitrum esse affirmat. 702
§. 59. Concilium Meldense. 708

HISTO-



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LXXIII.

ALEXANDER III. PAPA.
FRIDERICUS I. IMPERAT. OCC. MANUEL COMNENUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Fridericus Schisma abjecturus.

Sub finem mensis Maji anno millesimo centesimo septuagesimo sexto Fridericus Imperator, milite, qui ex Germania advenerat, recepto, Sæcul. XII. A.C. 1176.

Act. Alex. ap. Baron. 1176.

Sæcul. XII. A.C. 1176.

cepto, Mediolanenſium agros populari cœpit, ratus ſe incautos & imparatos occupaturum. Sed fefellit Cæſarem ſpes ſua, quippe cives contractis mature copiis in Sabbato, die quarta Junii, Friderici exercitum adorti ſunt. Acerrime pugnatum, & multum ſanguinis humani fuſum victoria ad Mediolanenſes inclinante. Imperator equo, cui loricatus inſidebat, confoſſo, diu omnium oculis ereptus, in prœlio extinctus credebatur. Nulla tantæ multitudinis pars expers cladis fuit, ac præda victoribus immenſa ceſſit. Hujus diei fortuna civitates Longobardiæ in libertatem, acciſis Imperatorum Germanorum viribus, aſſeruit.

Corio. 1. par. p. 140.

Sors ſiniſtra Fridericum eo magis perterruit, quod tunc Principes tam Eccleſiaſtici quam ſæculares, qui hucusque ejus partes ſecuti fuerant, minarentur, ſe ab ipſo defecturos, niſi tandem cum Eccleſia pacem iniret. Statuit ergo cum Alexandro Papa ſincere in gratiam redire, atque eo conſilio Veremundum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, Chriſtianum Moguntinum, Conradum electum Epiſcopum Wormatienſem, & Veremundum Regni ſui Protonotarium ad eum miſit, qui cum in urbem Tiburtinam perveniſſent, Papæ Anagniæ commoranti itineris ſui cauſam per nuncios ſignificant,

cant, & cum Alexander fidem publicam & præsidium promisisset, a duobus Cardinalibus & Ducibus Campaniæ excepti, honorifice Anagniam vigesima prima Octobris perducuntur. Altera die Papa Legatos publice in conspectum admittit. Intrant illi, totius corporis habitu modestiam & reverentiam profitentes, & stantes in medio dicunt: *Dominus noster Imperator sincere cupit Ecclesiæ & urbi Romanæ pacem dare. Ideoque nos cum plenitudine potestatis huc misit, instantissime rogans, ut pacta, anno præterito agitari cœpta, &, peccatis nostris ita exigentibus, imperfecta, nunc impleantur.* Quibus auditis lætissimus Pontifex placido & hilari vultu respondit: *Gaudemus, auspicato vos advenisse. Nihil in hoc orbe terrarum tanta dulcedine animum nostrum afficere potest, ac spes optatissimæ pacis, quam nobis se daturum esse Imperator noster (eum enim ceteris Mundi Principibus cognoscimus esse majorem) veraciter promittit. Ut vero tanta felicitas omnes complectatur, necesse est, eandem pacem Fœderatis nostris, inprimis Regi Siciliæ, Longobardis, & Imperatori Constantinopolitano a Domino vestro concedi.*

Sæcul. XII. A. C. 1176.

Chro. Jo. Cen. 1176.

Legati, laudato Pontificis sermone, dixerunt: *In mandatis accepimus a Domino Imperatore, ut vobiscum & cum*

Sæcul. XII. A.C. 1176.

Fratribus Cardinalibus ſecreto loquere-mur; non enim nos latet, utrinque homines malevolos reperiri, qui pacem oderunt & diſcordiam fovent. Mox, diſcedentibus omnibus, Papa cum Cardinalibus & ſolis Legatis in proximum conclave ad conferendum proceſſit. Quia vero de cauſa ardua agebatur, & multi potentiſſimi viri ſchismate involuti fuerant, ultra quindecim dies tenuit deliberatio. Adducta auctoritas Patrum, Imperatorum privilegia & antiquæ conſuetudines expromtæ, diu & ſubtiliter diſputatum. Tandem Capitula omnia inter Eccleſiam & Imperium compoſita, Longobardis in eo, in quo erant, ſtatu relictis, donec iis Imperator colloqueretur, ſtatutum quoque, ut Papa in Longobardiam iter ſuſciperet. Interim autem Legati Imperatoris ipſius nomine, datis literis, omnibus Eccleſiæ Romanæ membris ac eorum rebus ſecuritatem præſtiterunt, Imperatorem Papæ Præfecturam Romæ & Comitiſſæ Mathildis Ditiones redditurum promiſerunt, ac etiam Papæ, Cardinalibus, & itineris ſociis, Venetias, Ravennam aut in alias civitates profecturis viæ præſidium eſſe conceſſurum. Tandem appoſitum, etiamſi pax ſtabiliri non poſſet, inducias tamen ad tres menſes eſſe ſervandas.

Inſtrum. ap. Pagi an. 1176. n. 6.

Alexan-

Alexander Papa, priusquam Anagnia discederet, Humbaldo Episcopo Ostiensi, & Rainerio Cardinali Diacono S. Georgii ad Imperatorem missis, petiit, ut fidem sibi per Legatos datam, consentientibus Longobardis, confirmaret. Cumque duo Cardinales Imperatorem prope Mutinam habuissent, ille Legatis præsentibus filium Marchionis Montiferrati præsidium Papæ promissum, edito suo nomine jurejurando, confirmare jussit, ac ne ulla fraudis suspicio supereſſe posset, idem juramentum ab omnibus, quotquot aderant, Germanorum Principibus proferri voluit. Tum utrinque placuit, ad Colloquium Papæ & Imperatoris Bononiam esse deligendam. Papa vero Guilielmum Regem Siciliæ per nuncios rogavit, ut Optimatum suorum præcipuos mitteret, pacis negotium tractantibus adfuturos; quare Rex Romualdo Archiepiscopo Salernitano, & Rogerio Comiti Hadrienſi, militiæ præfecto, ac in Apulia Terraque Laboris supremo Prætori, hanc Legationem commisit.

Sæcul. XII. A. C. 1176.

Act. Item Romuald. Salern.

§. II.

Papa Venetiis.

Pontifex igitur sexta Decembris, relicta Anagnia, Beneventum profectus, ibidem a Natali Domini usque ad Epiphaniam moratus est. Inde postquam

Sæcul. XII. A.C. 1177.

ad Vaſtum * portum in mari Hadriatico cum triremibus Regis Siciliæ ventum navigationi opportunum integro menſe expectaſſet, tandem Feria IV. cinerum, nona Martii anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Miſſa celebrata & cineribus diſtributis cum quinque Cardinalibus & Legatis Regis Siciliæ mari ſe commiſit. Undecim erant triremes, quas Rex Siciliæ inſtructiſſimas Pontifici navigaturo miſerat. Dominica ſequente Jaderam in Dalmatia appelluntur, eo majore incolarum lætitia, quod nunquam Romanorum Pontificum aliquis eorum civitatem intraſſet. Ergo Alexandro album caballum admovent, eumque per mediam civitatem ad Eccleſiam, S. Anaſtaſiæ Virgini & Martyri, cujus corpus ibi quieſcebat, ſacram, laudes Divinas lingua patria, nempe Sclavonica, decantantes, deducunt. Inde, quatriduo elapſo, Papa, mare repetens, vigeſima tertia Martii Venetias devectus, ad Monaſterium S. Nicolai, in faucibus Rivialti ſitum, divertit, ubi altera luce a Duce Venetorum, Patriarcha Aquilejenſi, omnibus ejus Suffraganeis & innumerabili populo in cymbis advecto, excipitur. Cuncti Summi Pontificis pedibus advolvuntur, & ritu ſolemni procedentes ad Eccleſiam S. Marci perveniunt, ubi poſtquam Alexander multitudini Benedictionem

* Port du Guaſt.

ctionem fuisset impertitus, in hospitium suum, nempe Patriarchale Palatium, Duce comitante, pervenit. In Festo Annunciationis a Duce & Optimatibus rogatus Summus Pontifex Missæ solemnia cum Cardinalibus in Ecclesia S. Marci celebravit. Sæcul. XII. A.C. 1177.

Inter hæc Fridericus Imperator Cæsenæ agebat, &, comperto, quod Papa Venetiis versaretur, Archiepiscopo Magdeburgensi, Episcopo Electo Wormatiensi, suoque Protonotario ad eum missis, rogavit, ut aliam urbem conventui futuro designaret, quod Christianus, suus Cancellarius, se tuto Bononiæ non posse commorari crederet, postquam fervente bello illius loci cives male multactasset. Respondit Papa: *Imperator Legatis nostris & Longobardis consentientibus locum ad colloquendum Bononiam constituit, ideoque Longobardis & Cardinalibus, qui in illa regione expectant, insciis, istud mutare non possumus.* Nempe Cardinalium pars, priusquam Papa cum ceteris triremes conscenderet, itinere terrestri Longobardiam petierat. Subjunxit Papa: *Nihilominus, quia pacem accelerare unice cupimus, sine mora Ferrariam cum Cardinalibus Fratribus nostris veniemus, & cum Rectoribus Longobardorum hac de re deliberabimus.* Tumque Dominicam Passionis,

Sæcul. XII. A. C. 1177.

diem decimam Aprilis, in qua Conventus ageretur, præstituit. Ut vero Venetorum desiderio undique ad se visendum confluentium obsequeretur, in Ecclesia S. Marci, Dominica quarta Quadragesimæ Sacris operatus est, recitato Evangelio e Cathedra dixit ad populum, & completa Missa Rosam auream Venetiarum Duci obtulit.

§. III.

Papa Ferrariæ.

Papa Venetiis egressus eadem septimana, & in Padum amnem cum undecim triremibus, adversis fluctibus, invectus, in Dominica Passionis Ferrariam Ditionis suæ urbem intravit. Altera die præsto fuere Patriarcha Aquilejensis, Archiepiscopi Ravennatensis & Mediolanensis, cum Episcopis Suffraganeis suis, Rectores Urbium Longobardiæ, Marchiones & Comites; qui cum die tertia in majore Ecclesia, S. Georgio dedicata, cum ingenti populi multitudine congregati essent, Papa orationem exorsus est in hunc modum: *Scitis, carissimi filii, quam gravem persecutionem Ecclesia sustinuerit, motam ab Imperatore, cujus fuisset eam defendere. Scitis, exinde Romanæ Ecclesiæ auctoritatem fuisse labefactatam, cum peccata impunita abierint, &, quæ Canones præcipiunt,*

piunt, exequi non licuerit. Quis enim erat, ut alia mala silentio præteream, qui destructionem Ecclesiarum & Monasteriorum, cædes, omnisque generis flagitia, in illa temporum iniquitate, ut par fuisset, prohibere potuit? annos omnino octodecim pestilens schismatis malum Deo permittente grassatum est; sed tandem misericors Numen imperavit mari & ventis, & qui corda Regum in sua potestate habet, Imperatorem impulit, ut pacem peteret. Prodigium est a Dei omnipotentia profectum, me Sacerdotem senem & inermem ad frangendum Germanorum furorem, & Imperatorem potentissimum sine bello vincendum, suffeciſſe. Quod ideo evenit, ut omnes cognoscerent, non esse prudentiam, non potentiam, non consilium contra Dominum! Nunc vero, etsi Imperator a nobis, cum Anagniæ versaremur, pacem Ecclesiæ & Regi Siciliæ concedendam postulasset, vobis præteritis, noluimus sine vobis ad pacta procedere, non immemores, quanta pietate & constantia pro Ecclesia & Italiæ libertate pugnaveritis. Nec vacavit pensare, an nostræ Dignitatis esset, vel ætatis inclinatæ & infirmæ, longi itineris laborem & maris pericula subire, sed alacriter viæ nos dedimus, vobiscum deliberaturi, utrum pacem bis conditionibus nobis oblatam recipere expediat. Sæcul. XII. A. C. 1177.

Sæcul. XII. A. C. 1177.

Ubi Papa finem dicendi fecit, Longobardi, non minus artis bene dicendi quam militaris periti, Magistrorum suorum præcipuum Pontifici respondere jusserunt; isque locutus est in hunc modum: *Tota Italia ad tuos pedes provolvitur, Sancte Pater, gratias tibi agit, & communem lætitiam profitetur. Quantus bonor obtingit nobis, filiis tuis, cum ad nos venire, errantes oviculas quærere & reducere dignaris! Experti novimus, quam dire Imperator Ecclesiam, tuamque Sanctitatem, persecutus fuerit. Nos omnium primi furori hujus Principis pectora, ut viros decet, objecimus, armisque nostris effecimus, ne Italia & Ecclesiæ libertas opprimeretur. Pro bona causa ærarium exhausimus, labores, rerum jacturam, pericula non exhorruimus. Quare, Sancte Pater, æquitas & justitia postulat, ne, nobis exclusis, pacem a Friderico recipias, nobis, inquam, qui ab ipso sæpe oblatam sine Ecclesiæ consensu recipere recusavimus. Ceterum pacem lubenti animo cum Imperatore inibimus, nec de antiquo jure, ipsi in Italiam competente, quidquam detrahimus; libertate vero nostra, quam a Majoribus accepimus, non prius quam vita exui patiemur. Quod ad Regem Siciliæ spectat; eum fœderis & pacis participem fieri gaudemus; quia Principem pacis & Justitiæ*

ſtitiæ amantem eſſe conſtat: ajuntque po- Sæcul. XII.
pulares noſtri, qui ejus Ditiones pera- A.C.1177.
grant, advenam in ſilvis Regni Siculi magis ſecure, quam in aliorum Principum urbibus, verſari.

Inde elapſo triduo Chriſtianus, Imperatoris Cancellarius, Archiepiſcopi Colonienſis, Magdeburgenſis, & Trevirenſis, Epiſcopus Wormatiæ electus, Godefridus alter Cancellarius, & Protonotarius Ferrariam perveniunt, quos cum Papa, Regis Siciliæ & Longobardorum Legatis præſentibus, in conſpectum admiſiſſet, exponunt, ſibi viris ſeptem mandatum ab Imperatore, & commiſſam poteſtatem, qua, ſicut ante Anagniæ promiſerat, cum Papa, cum Rege Siciliæ & Longobardis pacem firmarent. Annuit Pontifex, ſtatimque ſeptem Cardinales ad perficiendum hoc negotium nominat, Longobardi quoque Mandatarios ſeptem deſtinant, quibus etiam duo Regis Siciliæ Legati ad conferendum, id petente Summo Pontifice, junguntur. Primum de loco, ubi Papa & Imperator congrederentur, diſputari cœptum, & poſt aliquot dierum altercationem fixum, ut Venetiis convenirent, addita conditione, ſi Veneti prius fidem darent, ſe Summo Pontifici ſecuritatem præſtituros. Tum Chriſtianus Cancellarius, cum non crederet, ſe Ferrariæ diu tutum

Sæcul. XII. A.C. 1177.

tum commorari posse, inde abiens in Cœna Domini Venetias contendit. Papa vero Ferrariæ Festum Paschale, hoc anno millesimo centesimo septuagesimo septimo in diem vigesimam quartam mensis Aprilis incidens, ritu solemni celebravit.

§. IV.

Pax inter Imperatorem & Pontificem.

Alexander Papa, nona mensis Maji relicta Ferraria, triremibus Regis Siciliæ Venetias devectus, iisdem ac primo honoribus afficitur. Tum Mandatarios in Oratorio Palatii Patriarchalis, ubi ipse diversabatur, convenire jussit, ac ante cetera de pace cum Longobardis, utpote majoris molis, agere. Et tunc quidem de nulla re inter eos convenit, suasitque Pontifex, ut induciæ inter Imperatorem ac Longobardos Regemque Siciliæ statuerentur, quod vero consilium Imperatori non probabatur. Nec enim ille bona fide pacem simpliciter quærebat, eique Legati etiam sui suspecti erant. Quin usque Chiogiam procedens, Venetias intrare, invito Papa, parabat, favente quorumdam Venetorum factione, etsi, id se minime concessuros, jurejurando se adstrinxissent. Jamque in

Romuald.

Ducis

Ducis Venetiarum & ſapientiorum virorum auctoritate parum opis eſſe videbatur; ſed Legati Regis Siciliæ populos in officio continuerunt, comminati, eorum rempublicam iratum Regem ſuum ſenſuram, ſi tam ſolemni juramento promiſſa violaret. Tanta animorum diſſenſio negotium usque ad finem menſis Julii ſufflaminavit, & tandem Chriſtianus Cancellarius, ceterique Imperatoris Mandatarii reclamantes virili libertate dixerunt; nihil juris Imperatori in animas ſuas eſſe, & nunquam futurum, ut fidem publicam Summo Pontifici Anagniæ a ſe datam, ac jurejurando ſtabilitam, qua ille munitus liberali animo Venetias ſe contuliſſet, frangerent. Se denique Alexandrum pro legitimo Papa habere, & Antipapam in Hetruria degentem abjicere (*). Tunc vero expugnata eſt Friderici contumacia, pacem, prout illam Legati inter Eccleſiam, Regem Siciliæ, & Longobardos ſtabiliendam cenſuerant, recepit, novis Sacramentis, nomine ipſius & Germaniæ Principum editis, confirmavit, ac Sabbato

Sæcul. XII. A.C.1177.

(*) Nempe, erat is Joannes Strumenſis, a ſuis Calliſtus III. nuncupatus, Viterbii agens, de quo apud Cardinalem Baronium: *Interea Viterbienſis ille ridiculus Antipapa de malo ſemper in pejus deficiens &c.*

Sæcul. XII. A.C. 1177.

bato vigesima tertia mensis Julii Venetias venit.

Altera die, quæ erat Dominica, vigilia S. Jacobi, Papa summo mane Cardinales sex, videlicet Episcopos duos, Presbyteros tres, & Diaconum unum misit, qui Imperatorem absolverent. Ipse Schisma Octaviani, Guidonis Cremensis, & Joannis de Struma abjurans, obedientiam Alexandro Papæ ejusque legitimis Successoribus promisit, sicque a Cardinalibus a sententia Excommunicationis absolutus, unitati Ecclesiæ Catholicæ redditus est. Præsules quoque & Principes Germaniæ Schismati renunciantes absolvuntur. Quibus peractis Venetiarum Dux & Patriarcha Gradensis, cum ingenti populi Clericorumque frequentia ad Monasterium S. Nicolai, in capite Rivialti situm, Imperatoris Hospitium, procedunt, cumque eum Dux Venetorum in cimbam suam accepisset, ad Ecclesiam S. Marci deducit. Venientem Papa in Ecclesiæ limine, adstantibus Episcopis suis ac Cardinalibus, Patriarcha Aquilejensi, Archiepiscopis, Episcopisque Longobardiæ, sedentibus omnibus ac cultu Sacerdotali fulgentibus, in conspectu innumerabilis populi expectabat. Accedens vero Imperator, deposita chlamyde, prostravit se in terram, & pedes Pontificis osculatus est, qui

qui eum manu erigens, erumpentibus lacrymis, oſculum pacis obtulit. Illico Germanorum vocibus Hymnus: *Te Deum laudamus*, inſonuit, & Auguſtus Pontificem, arrepta manu ejus dextera usque ad Chorum Eccleſiæ deduxit, ubi inclinato capite ejusdem Benedictionem accepit, & mox ad Ducis Palatium rediit (*). Sæcul. XII. A.C.1177.

Sub

(*) Ad hunc locum pertinet illa altera narratio, ſecundum Chronica Venetiis aſſervata, ut teſtantur Cardinalis Baronius & Palatius ad annum milleſimum centeſimum ſeptuageſimum ſeptimum, in quibus legimus; Alexandrum Papam, Friderici Imperatoris Edictis perterritum, Benevento exceſſiſſe, & Jaderam delatum ex Dalmatia Venetias ignoto habitu profugiſſe, ſub inopis Sacerdotis veſte in Monaſterio Charitatis latuiſſe, atque ad ſordidum culinæ miniſterium, ut occultius Perſonæ Majeſtatem celaret, ſe ultro demiſiſſe. Sed a quopiam, cui Commodo nomen, fuiſſe proditum, ac a Principe Venetorum, & Senatu ad domum Patriarchalem inter publicas gratulationes lætanter deductum. Ottonem Friderici filium cum numeroſa claſſe ad Hiſtriæ littora appuliſſe, quam Zianus Venetorum Dux triginta navibus invaſiſſet, fudiſſet & profligaſſet. Ei deinde Pontificem Alexandrum victoriam fuiſſe gratulatum, & dixiſſe: *Accipe, Ziane, & me Authore hoc mare tibi, Venetiæque armis, obnoxium de-*

ſpon-

Sæcul. XII A. C. 1177.

Sub noctem misit ad Papam Augustus, qui suo nomine rogarent, ut altera die,

sponsato; quod tu & futuri Principes quot annis statо die in perpetuum servabitis; ut omnis posteritas memoria repetita intelligat, maris possessionem patria virtute, ac navali disciplina vestram esse jure belli quandoque factam, atque ut uxorem viro, ita illud hoc desponsationis annuæ munere vestro subjacere Imperio. Tum Ottonem in navali prœlio captum, Friderici filium, in Germaniam dimissum, Patrem permovisse, ut pacem cum Ecclesia & Alexandro Summo Pontifice quæreret, ac Venetias proficisceretur. Ibique Alexandrum Papam ad Divi Marci fores, in Sella sedentem aurea, Fridericum Imperatorem ad se progredientem expectasse, & ad procumbentem, ut ejus pedes exoscularetur, planta collo jacentis superposita Davidicum illud protulisse: *Super aspidem & basiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.* Imperatorem vero, inflato adhuc spiritu reposuisse: *Non tibi sed Petro*; cui Pontifex impressa fortius planta: *& mihi & Petro.*

Ita Historiam istam referunt Veneti, quin adhuc dum singulis annis in Festo Ascensionis Domini Dux Venetorum, conscensa magnifici operis nave, quam *Bucentoro* vocant, in altum provehitur, ac projecto in undas annulo aureo, Reipublicæ nomine, mare Adriaticum sibi desponsat, ac subjectum declarat. Fleurius suo silentio satis prodit, quod hanc narrationem reji-

die, Festo S. Jacobi, in Ecclesia S. Marci Sæcul. XII.
Sacris operaretur, quibus interesse cu- A.C.1177.
peret. Id promisit Papa, ac illa die eun-
tem ad aram Pontificem Imperator sine
chlamyde præcessit, virgam manu tenens,
& apparitoris officio fungens, populum
confertim irruentem venienti Papæ lo-
cum dare jussit. Ipse cum Præsulibus
& Clericis Germanis, qui officium Di-
vinum decantarunt, in Choro substitit.
Prælecto Evangelio Papa suggestum con-
scendit, dicturus ad Populum; sed quia
latine loquebatur, Patriarcham Aquile-
jensem jussit sermonem suum Germani-
ce reddere, ut Imperatoris pietati satis-
fieret. Postquam peroratum, & *Credo*
recitatum, Imperator cum Principibus
Curiæ

rejiciat. Cardinalis Baronius & plerique alii confictam explodunt, & Natalis Alexander de ea judicium fert, quod sequitur: *Alexandrum III. Friderici Imperatoris ad pedes suos prostrati caput pede pressisse, ipsique insultasse.... Super aspidem & Basiliscum &c. putidissima fabula est, Auctoris coævi, qui Alexandri Acta conscripsit, Romualdi Salernitani Archiepiscopi, qui Concilio Veneto & Absolutioni Friderici intererat, Matthæi Paris in Historia Anglica ad hunc annum, Wilhelmi Tyrii, & Rogerii de Hoveden in Annalibus Angliæ, silentio falsitatis convicta. &c.*

Sæcul. XII. A. C. 1177

Curiæ ſuæ pedibus Papæ admotus, eos oſculatus eſt, & oblationem detulit. Communionem deinde de manu Pontificis accepit, & Miſſa completa, manu prehenſum ad fores Eccleſiæ deduxit. Pontifice equum conſcendente Fridericus ſtapedem tenuit, tumque apprehenſo frœno equum rexit, donec Alexander ei benedixit, & ut diſcederet rogavit, quod longius viæ ſpatium usque ad mare ſupereſſet. Sequenti die hora circiter nona Imperator, ut ſinceram amicitiam profiteretur, usque ad Papæ conclave venit, paucis comitantibus, cum ille Cardinalibus familiariter colloqueretur. Jucunde & peramanter Auguſtus & Pontifex ſermonem conſeruerunt, non nunquam jocis, ſine utriusque Dignitatis diſpendio, immixtis.

Chr. Gaufr. Voſſens. to. 2 Bibl. Lab. p. 3. 4.

§. V.

Pax juratur.

Romuald.

Inde ſex dierum ſpatio interjecto, ſcilicet die Lunæ, prima Auguſti, ſolemni juramento pax confirmata. Imperator Præſulibus & Principibus Curiæ ſuæ ſequentibus ad Palatium Patriarchale, ubi Papa diverſabatur, ſe contulit, & Seſſio in ejusdem domus aula longa & ampla celebrata. Ubi in medio Pontifex reſedit, ſtantibus ex utroque latere Epiſcopis & Cardinalibus, Imperatorem invitavit,

vitavit, ut consideret in solio ad dextram Sæcul. XII.
posito, Episcopis & Cardinalibus supe- A. C. 1177.
rior, Romualdo autem Archiepiscopo Salernitano innuit, ad lævam, Cardinalibus Diaconis superior, locum caperet. Imperato deinde silentio, Papa brevi sermone ingentem suam lætitiam testatus est, quam ob conversionem Imperatoris concepisset, ac in epilogo subjunxit; se Imperatorem, carissimum filium suum, Imperatricem ejus conjugem, & ipsorum filium Henricum Regem paterno amplexu recipere. Tum Imperator quoque, deposita trabea, surgens, Germanorum lingua dicere cœpit, Christiano Cancellario Principis verba lingua vulgari Italica interpretante. In hoc sermone Imperator publice confessus est; deceptum se fuisse, & malorum secutum consilia, ac Ecclesiam pœne evertisse, cum eam defendere voluisset. Deo gratias retulit, quod jam errorem agnosceret, affirmavitque, se schisma dimittere, Alexandrum Papam legitimum venerari, ac Regi Siciliæ Longobardisque pacem concedere.

Omnibus applaudentibus & Imperatoris pietatem laudantibus, afferuntur Evangelia, Sacræ Reliquiæ, & Crux vera. Tum mandante Imperatore Henricus Comes de Res... in animam Principis juravit, quod bona fide pacem in-

Sæcul. XII. A C. 1177.

ter Ecclesiam & Imperium, fœdus cum Rege Siciliæ ad annos quindecim, & Inducias sex annorum cum Longobardis servaturus esset, ea ratione, qua Mandatarii statuissent, & literis consignassent. Principes quoque Imperii duodecim tum Ecclesiastici tum Sæculares idem juramentum præstiterunt. Nec mora, etiam Romualdus Archiepiscopus Salernitanus surgens super Evangelia juravit; quamprimum Legati Imperatoris in Siciliam pervenirent, jussurum Regem Optimatum aliquem nomine suo jurare, quod pacem annis quindecim servare vellet, decemque alios viros principes ex Regis mandato eodem jurejurando sese obstricturos. Idem, ac Archiepiscopus Salernitanus, Comes Rogerius juravit. Tunc etiam Rectores Urbium Longobardiæ præsentes suas sex annorum Inducias juramento firmarunt, promittentes, idem Consules & Nobiles cujuscunque Civitatis juraturos. Hic notatu dignum, quod Imperator & Rex non ipsi jurent, sed id aliis committant, quasi vero sine Majestatis detrimento ipsi jurare non potuissent. Porro Imperatore a Censuris absoluto, sequaces quoque ejus Schismatici catervatim ad sinum Ecclesiæ confluxerunt, absolvi humiliter postulantes. Præcipui fuere Christianus Archiepiscopus Moguntinus & Cancellarius,

rius, Philippus Colonienſis, Veremundus Magdeburgenſis, Arnoldus Trevirenſis, Epiſcopi Paſſavienſis, Wormatienſis, Auguſtanus, Maſſilienſis, Argentoratenſis, Halberſtadienſis, Papienſis, Placentinus, Brixienſis, Novarienſis, Bormienſis *, Mantuanus, Balneoregienſis, Piſaurenſis, & Faventinus. Sæcul. XII. A.C.1177.

* Acqui.

§. VI.

Conradus Moguntia Salisburgum translatus.

Tunc vero captata occaſione Chriſtianus poſſeſſionem Archiepiſcopatus Moguntini ſibi confirmari curavit. Poſtquam enim non modicam operam ad reducendam pacem contuliſſet, Imperatorem & Principes Germanos vehementer rogavit, ut electionem ſuam a Summo Pontifice confirmari peterent. Cum iſta molimina Conrado, ante Chriſtianum electo & conſecrato, ſuboluiſſent, in Pontificis conclave admiſſus, *Haud ignoras, Sancte Pater*, inquit, *me amore tui parentibus, patria, Eccleſia Moguntina, in qua canonice ordinatus fui, relictis, in Franciam, videlicet in exilium ſponte mea electum, ad te fugiſſe. Necdum etiam memoria exciderit, quantum adventu meo Eccleſiam juverim, ſedemque tuam adhuc in illo turbine vacillan-* *Romuald.*

Sæcul. XII. A.C. 1177.

tem firmaverim. Gratum ostendisti animum, cum me Cardinalem Presbyterum, tumque Episcopum Sabinensem, salva mihi Archiepiscopi Moguntini Dignitate, creasti. Nunc vero, nisi conjectura me fallit, in eadem Sede Archiepiscopali confirmaturus es Christianum Cancellarium, hujus Ecclesiæ, vi adhibita, usurpatorem, & hucusque Schismaticum. An istud æquitas, an ratio admittat? Respondit Papa: *Memorem te esse, nullus dubito, quod coram nobis sæpe professus fueris, te, si pax Ecclesiæ & Imperii alia conditione reduci non possit, quam ut Archiepiscopatum Moguntinum dimittas, Ecclesiæ quietem omnibus privatis tuis commodis esse prælaturum. At Imperator obstinato animo affirmat, non concessurum se pacem, si Cancellarius suus e Sede Moguntina pellatur; nos tamen nihil ei responsi dedimuus, priusquam hac de re animum tuum explorassemus.* Summo Pontifice ita loquente, Conradus victas manus porrexit, sancte promittens, se, ne pacis consilio obsistere videretur, Archiepiscopatum Moguntinum Papæ arbitrio simpliciter commissurum.

Papa, Conradi moderatione multum laudata, cum deinde cum Imperatore contulisset, Conradum ad Archiepiscopatum Salisburgensem transferre statuit. Venetiis tunc agebat, a Papa illuc vocatus,

catus, Albertus quoque, Regis Bohemiæ filius, olim Archiepiscopus Salisburgensis ordinatus, quem Papa perpendere jussit, ipsum nunquam gratum futurum Imperatori, nunquam pacem cum potentissimo Principe habiturum, persuasitque, ut Archiepiscopatum in manus suas abdicaret. Tunc igitur Episcopi Gurcensis & Passavienſis & non nulli Ecclesiæ Salisburgensis Delegati Archiepiscopum elegerunt Conradum, ita jubente Papa, qui electum, salva etiam Cardinalis Dignitate, confirmavit. Epistola hac in causa ad Ecclesiam Salisburgensem Venetiis in Rivoalto nona die mensis Augusti data est. Quin etiam Legationem in Germania, quoad ipse viveret, Papa contulit. Mox etiam Archiepiscopalem Dignitatem in Ecclesia Moguntina Christiano Cancellario stabilivit, qui illico præsentibus Papa & Cardinalibus, Pallium, a Guidone Cremensi Antipapa acceptum, flammis tradidit. Papa aliud ei Pallium ac etiam Philippo Archiepiscopo Colonienſi dedit; uterque enim, licet in Schismate, ab Episcopis tamen Catholicis Suffraganeis suis ordinatus fuerat.

Sæcul. XII. A. C. 1177.

Chron. Reicherſp. an. 1177. *to.* 10. *Conc.* 1499.

Alexander Papa, datis ad præcipuos orbis Christiani Episcopos literis, pacem Ecclesiæ reductam & Imperatorem reconciliatum significavit; quod ex Epi-

Sæcul. XII. A.C. 1177.

ap. Bar. to. 10 Conc. p. 1244. &c. p. 1318. op. 39.

stolis, ad nos usque delatis, Petro Abbati Montis Cassini, Archiepiscopo Capuano, Guilielmo Archiepiscopo Remensi, Richardo Archiepiscopo Cantuariensi, & Rogerio Archiepiscopo Eboracensi scriptis, cognoscimus. Scripsit præterea Regi Franciæ. Ceterum in hac reconciliatione Imperatoris & Papæ studiosus lector adnotabit; quod Fridericus non nisi ab excommunicationis Censura tanquam Schismaticus absolvatur, de restitutione ipsius vero, tanquam a Papa ab Imperio depositi, nulla occurrat mentio. Nullibi etiam legimus, quod, tenente schismate, ejus Subditi Catholici, quin & Ecclesiastici lentius segniusque excommunicati, quam absoluti imperia executi sint. Nempe repugnabat Fidelium animus oneri jurisdictionis Papalis, quam Gregorius VII. de depositione supremorum Principum invehere molitus fuerat, se se subjicere. Contra, Jus excommunicandi in Scriptura & Traditione fundatum, tanquam res seria certaque habebatur ab omnibus.

Act. Alex. Romuald. to. 10. Conc.

Die Dominica, decima quarta Augusti, Vigilia Assumtionis, Alexander Papa Venetiis, in Ecclesia S. Marci, assistentibus Episcopis & Cardinalibus suis, Episcopis Longobardiæ, Germaniæ & Hetruriæ præsentibus, Concilium celebravit, cui etiam Imperator, Dux Venetiarum,

rum, & Regis Siciliæ Legati, ingensque populi multitudo interfuerunt. Dictis litaniis, precibusque consuetis, ac longa oratione de bono pacis habita, cum Papa cereos ardentes Imperatori ceterisque præsentibus tam Clericis quam Laicis dari jussisset, Excommunicationis fulmen intorsit in quemcunque, qui pacem modo sancitam turbaturus esset, moxque omnes exclamantes *Amen! Amen!* cereos projiciunt & extinguunt. Sæcul. XII. A.C.1177.

§. VII.

Epistola ad Joannem Presbyterum.

Alexander Papa Venetiis commorans, Epistolam ad quemdam Indorum Regem dedit, in qua dicit: *Pridem referentibus multis audiveramus, quod Christiani nomen profitearis, bonis operibus intentus sis, & Deo placere cupias. Sed & Philippus Medicus, amicus noster, dicit, se ex Optimatibus Regni tui in ipsa Regione cognovisse, quod tibi propositum sit, Doctrina Catholica & Disciplina erudiri, nullamque fidem a fide Apostolicæ Sedis alienam tenere. Idem addidit, quod vehementer exoptes, Ecclesiam Romæ habere, & Altare in Basilica S. Petri, alterumque in Ecclesia S. Sepulchri, ubi viri sapientes de Regno tuo habitarent,* *Alex. ep. 48.*

Sæcul. XII. A.C. 1177.

rent, plenius Doctrinam Catholicam hauvirent, tum te ipsum tuosque informarent. Quare eundem Philippum Medicum ad te mittimus, virum prudentem & solertissimum, rogamusque ut eum benigne recipias, quæcunque ex mandatis nostris dicturus est, audias, & viros spectatæ Dignitatis cum Epistolis tuis ad nos dirigas, ex quibus voluntatem tuam amplius percipiamus. Hæc Pontificis Epistola in Rivoalto vigesima octava die Septembris data est. Rex ille, ad quem dirigitur, ab Historicis Anglis, id referentibus, *Presbyter Joannes* appellatur. Unde credibile fit; eumdem esse Principem, cujus ante annos triginta duos Hugo Episcopus Gabalensis reportatas de Persis victorias narrat, qui in ultimo Oriente rerum potiebatur, & Christiana Sacra, sed Nestorii erroribus corrupta, sequebatur (*).

Rog. an. p. 581. Rad. de Dic. p. 908. Jo. Bromp. p. 1132.

Prius-

(*) Verba superius relata: *Ecclesiam Romæ habere, & Altare in Basilica S. Petri, alterumque in Ecclesia S. Sepulchri*, in Epistola Alexandri Papæ* sic sonant: *cuperes in urbe habere Ecclesiam, & Hierosolymitanum Altare aliquod.* Ceterum, sæpe Scriptores præsertim Galli de *Preto. Joanne* aliquid memorant, sed usque adeo diverse, ut alii eum in Æthiopia ad Meridiem, alii in Magna Tartaria ad Septentrionem regnasse putent.

*Acta Concil.

Priusquam Venetiis valedicerent, Papa & Imperator, utrinque Mandatariis tribus nominatis, Restitutionem Ditionum, ad Ecclesiam pertinentium, quas tenebat Imperator, perfici jusserunt. Tumque Imperator, salutato Pontifice Cæsenam rediit. Papa deinde mense Octobri, cum quatuor Venetorum triremibus, Sipontum vigesima nona die ejusdem mensis advectus est; unde Trojam ac Beneventum, & tandem Anagniam decima quarta Decembris, postquam integro anno abfuisset, pervenit. Hujus itineris, omniumque in eo actorum, narratio ex duobus Autographis, videlicet ex Actis Alexandri Papæ, a quodam viro, illius profectionis socio, conscriptis, & ex Chronico Romualdi Archiepiscopi Salernitani, alterius Legati Regis Siciliæ, excerpta est. Sæcul. XII. A.C. 1177. *Act. Alex.*

§. VIII.

Hugonis Eteriani Scripta.

Pontifici, Trojæ divertenti, redditur Hugonis Eteriani Opus contra Græcos, quod ei Auctor per quemdam amicorum transmiserat. Egit gratias Alexander, data die decima tertia Novembris Epistola, in qua Hugonem hortatur, ut Imperatorem Constantinopolitanum Ecclesiæ Romanæ conciliare satagat. Hugonem Eterianum Pisis in Tuscia oriun- *Alex. ep.* 49. *Bibl. PP. Paris. to.* 8. *p.* 563.

Sæcul. XII. A.C. 1177.

oriundum Constantinopoli cum Leone fratre suo, Curiæ Imperialis Interprete, degentem, quadam die Manuel Imperator ad se vocatum interrogat, an Latinis alicubi auctoritas SS. Patrum, Spiritum Sanctum a Filio procedere affirmantium, faveret. Hugo verba S. Basilii, S. Athanasii, & S. Cyrilli, quibus hæc veritas probatur, attulit, & cum videret, Imperatorem serio huic quæstioni vacare, eam accurate pertractare statuit. Cumque ad eum laborem tres quoque Cardinales, Hubaldus Episcopus Ostiensis, postea Papa Lucius III. Bernardus Episcopus Portuensis, & Joannes Tituli SS. Joannis & Pauli suscipiendum hortarentur, objecta Græcorum contra Latinos in hac Quæstione tum argumentis tum auctoritate Patrum, quorum doctrinam longa Constantinopoli commoratione adnotaverat, refutare aggressus est. In Libros tres dividitur Opus, ac Quæstio de Spiritu Sancto prolixe & subtiliter discutitur. Auctor in argumentandi ratione principia Aristotelis sequitur; verum optandum esset, ut in argumentis magis ordinem & delectum amasset, & potius stilo claro quam exquisite ornato uti voluisset.

ibid. p. 517. Aliud quoque Hugonis Opus nobis supereſt, quod a Clericis Pisanis rogatus scripsit, de Statu animæ a corpore separatæ,

ratæ, contra errorem quorumdam Pisanorum dicentium, preces & sacrificia mortuis nihil prodesse, quin etiam de veritate Resurrectionis dubitantium. Hæc Elucubratio, in viginti septem Capita divisa, eodem dictionis tumore, ac liber ante memoratus, laborat. Sæcul. XII. A.C.1177.

§. IX.

Absolon Archiepiscopus Lundensis.

Schisma compositum, ac pacem inter Imperatorem & Papam successisse, in Daniam illi Nuncii retulerunt, qui Romam missi fuerant, effecturi, ut Absolon ad Archiepiscopatus Lundensis culmen eveheretur. Nam Esquilius Archiepiscopus, senio gravis, jam diu Dignitatem dimittere cogitans, quadam die Waldemaro Regi mentem suam aperuit. Is quidem Præsulem a proposito dimovere conabatur, dicens, id ipsi, præterita Romani Pontificis auctoritate, non licere. Respondit vero Esquilius se non solum a Papa licentiam se Præsulatu abdicandi obtinuisse, sed etiam hoc onus in quemcunque vellet transferendi; præterea id sibi juris tanquam Legato Sedis Apostolicæ esse. Tum, solemnius renunciaturus Dignitati, Regem rogavit, ut Episcopos intra mensis unius spatium convocaret, causam vero secretam teneret, ne quisquam onus Episcopale *Saxo Gramm. lib.14.p.322.* *ibid. p. 317.*

Sæcul. XII. A.C. 1177. pale reformidans abſentiæ prætextum objiceret.

Inde quodam die Feſto Esquilius e Cathedra ad populum dicens commemoravit, quam tenero amore gregem ſuum amaſſet, & viciſſim amatus fuiſſet, expoſuitque quod ſenio debilis cepiſſet conſilium, ſe oneri ſubtrahendi. Addidit, quod oves ſuas Dei ſapientiæ commendet, Vaſallos ſuos a fide ſibi jurata liberet, & omnium precibus ſe brevi ex hac vita migraturum commendet. Hæc loquente Archiepiſcopo omnes illacrymabantur. Cumque Abſolon Epiſcopus Roſchildenſis, qui tunc in ejus domo diverſari cœpit, quæreret, quid eum ad renunciandum Archiepiſcopatui impelleret, dixit, præter ſenectutis impedimentum, illud quoque ſtimulare, quod in manus S. Bernardi de hac re votum edidiſſet. Altera die Epiſcopi, qui advenerant, mane in Eccleſia S. Laurentii congregantur, ubi Archiepiſcopus Eccleſiæ theſaurum, veſtesque ſacras pretioſiſſimas omnium oculis exponi juſſit, ut cernerent, quantum ſua munificentia & induſtria Officii Divini ſplendorem auxiſſet. Brevi etiam ſermone in memoriam revocavit, quantum pro pace ovilis ſui laboraſſet, quantis periculis ſe obtuliſſet, toto ſui Pontificatus tempore, jamque viribus corporis deficientibus ſtatuis-

ſtatuiſſe, tanto oneri humeros ſubtra- Sæcul. XII.
here. A.C.1177.

Porro Rex nolens, quemquam ſuſpicari, Archiepiſcopum a ſe forſan offenſum ex animi ægritudine munus abdicare, eum palam profiteri juſſit, an ſponte ſua & nemine cogente ab Epiſcopatu diſcederet. Tunc vero Esquilius protenſis ad Altare manibus jurejurando affirmare, ſe neutiquam ob Regem infenſum, utpote quem haberet clementiſſimum, ſed unice ſubeunte Dignitatis perituræ tædio, & deſiderio gloriæ æternæ, loco cedere. Lecta deinde eſt Pontificis Romani Bulla in qua dicebat, ſe, poſtquam Archiepiſcopo licentiam renunciandi diu denegaſſet, non ignarus, quanto gregis ſui emolumento præfuiſſet, tandem petere perſeveranti eam concedere, penſata viri ſenectute & fracti corporis infirmitate. Dixit Rex; Summi Pontificis auctoritati neminem poſſe refragari, & Archiepiſcopus de Sede ſua ſurgens baculum paſtoralem & annulum ſuper Altare depoſuit. Eccleſia præſentium omnium gemitibus reſonat, rogatque Rex Esquilium, ut ſibi Succeſſorem nominaret, cum nemo ipſo melius mores & doctrinam Clericorum in Dania cognoviſſet. Tum jubente Præſule alia legitur Bulla, qua ipſi, ut Sacræ Sedis Legato, electio Succeſſoris committebatur.

Sed

Sæcul. XII. A. C. 1177. Sed Archiepiſcopus dixit, ſe hanc poteſtatem illis reſtituere, quibus alias Metropolitam ſibi eligendi jus eſſet. Cumque illi ad Regem converſi rogarent, ut quem ipſe optimum arbitraretur indicaret, quaſi totius populi nomine elocutus Abſolonem nominavit, atque hæc electio ingenti omnium applauſu excepta eſt.

At ſurgens de ſella Abſolon reclamare; majus eſſe hoc onus, quam ut illud humeri ſui ferre poſſent, nec velle ſe Eccleſiam ſuam deſerere, quam maxima cura & ſolicitudine ab extrema paupertate ad ſtatum florentiſſimum deduxiſſet. Interim Clerici, quibus per Canones electio competebat, Esquilio excitante, Abſolonem una voce depoſcunt, injectis manibus cunctantem corripiunt, & in Cathedra Archiepiſcopali collocant. Simul Clerici Pſalmos cantare & procedere, ſequente populo. Verum vi tanta reſiſtebat Abſolon, ut aliquos illorum, qui nolentem trahebant, in terram proſterneret, & pia colluctatio pœne in rixas verteretur. Tandem recepta loquendi libertate ad Papam appellavit, Nicolao quoque Eccleſiæ Roſchildenſis Decano ad Papæ tribunal provocante, quod Epiſcopo ſuo vis inferretur. Contra Esquilius affirmare, ſe omnibus viribus electionem peractam defenſurum, & Abſolonem experturum, utrius ex ipſis

Romæ

Romæ major esset auctoritas. Missa completa volebat Esquilius, ut electus populo benediceret; sed ille recusavit, nec a Vasallis Archiepiscopatus homagium recepit, nec quidquam egit, unde consensus in electionem ullatenus inferri posset. Sæcul. XII. A.C.1177.

Ergo utrinque ad Curiam Romanam mittuntur Legati, hi quidem ut ex mandatis Regis & Ecclesiæ Lundensis Electionem confirmari peterent, illi vero nomine Absolonis & Ecclesiæ Roschildensis reclamarent. Viam invenit Papa, qua utrique parti velificaretur; jussit enim Absolonem Archiepiscopatum Lundensem accipere, adjecta licentia, Episcopatum Roschildensem servandi. Cum his mandatis in Daniam misit Legatum Galandam, qui Clericis Ecclesiæ Roschildensis Lundim vocatis Bullam recitari præcepit, in qua Absoloni injungebatur, ut se voluntati eligentium submitteret, addita excommunicationis comminatione, nisi morem gereret. Clericos Ecclesiæ Lundensis ei fidem jurare jussit, Pallium Archiepiscopale, quod attulerat, in Ecclesia Lundensi tradidit, & altera die Homerum Episcopum Ripenensem ordinanti adfuit. Ceterum Galandus Legatione sua integerrime functus, hyeme in Dania exacta, Romam reversus est. Esquilius autem anno sequente *Hist. Gent. Dan.* 1178. *Chron. Clareval.* 1181.

Sæcul. XII. A.C. 1177. milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo ad Abbatiam Claræ-vallenſem ſe recepit, ſumtoque habitu Monaſtico, poſt triennium, anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo, ſancto fine quievit.

§. X.

Guilielmus Pariſienſis Abbas in Dania.

vit. ap. Boll. 6. April. to. 9. p. 625. Aliquot abhinc annis Abſolon Guilielmum Canonicum Regularem S. Genovevæ Pariſiis, ut hujus Congregationis Regulam inveheret, in Daniam advocaverat. Guilielmus ſub annum milleſimum centeſimum quintum natus, puerulus Monachis ad S. Germanum de pratis traditur, ut educaretur ſub cura Hugonis Abbatis, patrui ſui, cujus opera deinde Præbendam in Eccleſia S. Genovevæ, in qua tunc Canonici Sæculares miniſtrabant, obtinuit. Cum deinde auctoritate Eugenii Papæ anno milleſimo centeſimo quadrageſimo ſeptimo hoc Monaſterium reformatum fuit, nemo Guilielmo ferventius Inſtitutum Regulare amplexus eſt. Inde Abſoloni, tunc Pariſiis Minervæ vacanti, arcto amicitiæ fœdere junctus eſt. Quare Abſolon ad Eccleſiæ Roſchildenſis regimen admotus reperto in quadam Inſula Diœceſis ſuæ, vulgo *Eſchil*, Canonicorum,

Sup. Lib. LXIX. §. 22.

rum, vitæ infamia laborantium mona- Sæcul. XII.
sterio, in quo præter nomen nihil Regu- A.C. 1177.
lare erat, animo constituit ibidem Gui-
lielmum S. Genovevæ Abbatem præfi-
cere & Regulæ rigorem introducere.

Itaque misit in Franciam Saxonem, Ecclesiæ suæ Præpositum, cognomento Grammaticum, qui Historiam Daniæ scripsit stilo eleganti, ac dictione latina supra barbariem sæculi sui longe elevato. Is ubi Parisios pervenit, Abbati S. Genovevæ Absolonis Episcopi reddidit literas, in quibus enixe rogabat, ut Guilielmum cum tribus aliis viris Religiosis ad se dirigeret. Annuit ejus petitioni Abbas, consentiente Capitulo, anno, ut conjicere est, millesimo centesimo septuagesimo primo. In Daniam advenientes piissimo affectu complexus est Waldemarus Rex, atque Absolon Episcopus, qui paucos post dies Guilielmum in Insula *Eschil* Abbatem eligi curavit. Verum tam arduum erat negotium, in illo loco novam Congregationem condere, ut tres ejus socii, cum nec paupertatis nec frigoris sub isto climate rigorem tolerare possent, de successu desperantes in Franciam viam relegerint. Guilielmus quoque reditum cogitabat; sed ab Episcopo permotus, tandem insigni patientia & perseverantia Disciplinam Regularem in illo Monasterio, at-

vid. Papeb. comm. præv. n. 20.

Sæcul. XII. A.C. 1177.

que etiam in alio, S. Thomæ sacro, quod in vicinia fundaverat, stabilivit, & postquam Abbas fuit annis triginta, e vita excessit, annos natus octoginta octo, anno salutis millesimo ducentesimo secundo, die mensis Aprilis sexta, qua eum Ecclesia Sanctorum Catalogo adscriptum colit.

Mart. Rom. 6. Apr.

§. XI.

Petrus Cardinalis S. Chrysogoni Legatus in Francia.

Anno millesimo centesimo septuagesimo sexto Alexander Papa Legatum in Franciam miserat Petrum Cardinalem Presbyterum, Tituli S. Chrysogoni, olim Episcopum Meldensem electum, qui diu illius Ecclesiæ reditus sibi servavit. Tempus hujus Legationis cognoscitur ex Epistola Papæ, ad Archiepiscopos Lugdunensem, & Bituricensem, eorumque Suffraganeos, Ferentini duodecima die Aprilis, data. Unde infertur, quod scripta fuerit ante profectionem Pontificis in Longobardiam. Præcipit autem his Præsulibus, ut ei tanquam Legato Sacræ Sedis obediant. Iterumque id cognoscitur ex alia Epistola in eadem causa ad omnes Francos Anagniæ die vigesima secunda ejusdem mensis data. Pontifex Ferrariæ commorans, pacis fœdera cum Impe-

to. 10. Conc. p. 1492. ep. 9. ibid. ep. 10. ep. 8.

Imperatore initurus Petro Legato ſuo ſcripſit; urgeret celebrari nuptias ſolemniter promiſſas inter Richardum filium ſecundo natum Regis Angliæ, & Aliſiam Regis Franciæ filiam, ſi autem Rex Angliæ admonitus poſt dies quadraginta non obtemperaret, Legatus omnes ejus Ditiones Interdicto ſubjiceret, ac Archiepiſcopis Cantuarienſi & Burdegalenſi atque Epiſcopo Pictavienſi præciperet, ut cenſuræ omnes obedirent. Legatus, quod ſibi imperatum fuerat, executus eſt, & Rex Henricus, qui in Anglia verſabatur, hac re comperta ad Papam appellavit, celeriterque in Normanniam navigavit; ubi Ludovico Regi in oppido *Ivri* vigeſima ſecunda Septembris anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, Legato & utriusque Regni Optimatibus præſentibus, collocutus, pacis perpetuæ fœdera ſancivit, ac ambo Reges Hieroſolymam peregrinantium Crucem ſe ſuſcepturos, junctisque viribus expeditionem aggreſſuros, promiſerunt. Quod nunquam effectui datum.

Sæcul. XII. A.C. 1177.

Roger. Hoved. an. p. 570. Gervas. p. 1442.

§. XII.

Manichæi Toloſæ.

Inter hæc Manichæorum peſtis Toloſæ & in finibus latius graſſabatur. Quod ex Epiſtola Raimundi V. Comitis, ad Abbatem

Gervas. p. 1441.

Sæcul. XII. A.C. 1177

batem & Capitulum generale Ciſtercienſium data, diſpicimus, in qua dicit: *Hæreſis iſta etiam Sacerdotes, quis credat? corrupit. Eccleſiæ deſeruntur & collabuntur, Baptismus petentibus denegatur, Evchariſtia, ut abominatio, damnatur, contemnitur Pœnitentia, Creatio hominis, Reſurrectio carnis, Myſteria omnia rejiciuntur, denique duo ſtatuuntur Principia. Nemini hominum iſtorum impietatem compeſcere curæ eſt. Ego quidem enſe, quem a Deo accepi, contra Hæreticos non gravate utar; ſed intelligo, vires meas tanto malo minores eſſe, cum ſanguinis nobilitate præcipui, in ditionibus meis depravati, magnam plebis multitudinem in errorem trahant. Ad vos ergo convertor, a vobis conſilium, opem, & ad Deum preces expoſco. Gladius ſpiritualis non ſufficiet, ſed enſis poteſtatis ſæcularis adhibendus eſt; quare exopto Regem Franciæ ad nos divertere, quod ſpes ſit, Regia præſentia malum oppreſſum iri. Faciam, ut ei urbes pateant, oppida & arces ejus poteſtati committam, oſtendam Hæreticos, ſanguinem & vitam, ſi ad conterendos JEſu Chriſti hoſtes opus fuerit, dabo* (*).

Hac

(*) Gladius ſpiritualis non ſufficiet, ſaget in dieſem Schreiben Raimundus Graf von Toulouſe,

Hac re ad Reges Franciæ & Angliæ, post confirmata pacis fœdera, delata, anno

Sæcul. XII. A.C.1177.

C 4

Roger. p.573 Rob. de Montei an. 1178.

louse, welches er von den Kirchencensuren versteht.

Die Widersprüche Windheims in dem allgemeinen Kirchenrechte der Protestanten sind lustig zu lesen. Er saget auf der 411. Seite: Andere sagen das Bannrecht sey nichts als ein Zeitrecht. Auf diese Weise helfen sich die Vernünftigsten . . . sie geben also zu, daß es von GOtt komme, aber daß es in den folgenden Zeiten seinen Werth verlohren habe. Windheim selbst aber vertheidiget solches als ein ewiges Recht, und setzet hinzu auf der 412. Seite: Alle Ausflüchte können dieses Recht nicht umstossen. Zum Beschluß des Absatzes saget er: Allein nach und nach hat man dieses Recht wieder aufgehoben und abgeschaffet.

Nun nach der eigenen Meynung des Windheim, kömmt die Excommunication, oder Ausschliessungsrecht in der Kirche Christi von GOtt her und ist ein ewiges Recht. Nichts destoweniger aber gesteht er, daß solches in seiner Kirche aufgehoben und abgeschaffet sey. Allein, Herr Windheim, solte das wohl die rechtglaubige Kirche Christi seyn, in welcher man ein Gesetz, das von GOtt herkömmt und ewig ist, aufhebet, und abschaffet? Wir wollen aber hören, was er auf der 413. Seite von dem Gebrauche der Ausschliessung oder Excommunication in der römischen Kirche unverschämt daher schwätzet. Es heisset: Man widersetzete sich diesem Rechte, weil man es

unter

Sæcul. XII. A.C. 1178. anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo conſtituerunt, Toloſam ipſi movere,

unter der Gestalt betrachtet, wie es ſich in der römiſchen Kirche in den vorigen Zeiten darſtellet. Wenn man es ſo anſiehet, ſo iſt es allerdings ein gefährliches Recht . . . Allein dieſe Urſache fällt weg, wenn man die Mißbräuche von demſelben abſöndert. Ein Excommunicirter . . . verliehret nichts von ſeinen bürgerlichen Rechten. Allein in der römiſchen Kirche wird er aller ſeiner Glückſeligkeit auf einmal beraubet. Er verlieret alle ſeine Rechte. Man geht mit ihm als mit einem Viehe um. Die Folgen ſind abſcheulich. ꝛc.

Wenn Windheim, ſo oft er von der Lehre der römiſchen Kirche redet, für eine jede Unwahrheit von ſeinen Schülern einen Reichsthaler zur Belohnung empfienge, ſo würde er ſchon längſt der reicheſte Mann in ganz Niederſachſen geworden ſeyn. Wenn er aber ſo viel Billigkeit und Liebe zur Wahrheit beſäſſe, ſo würde er die Bücher der katholiſchen Gottesgelehrten leſen, und darinnen finden, daß die Excommunication in der römiſchen Kirche den Verbannten nur von dem Genuſſe der heiligen Sacramente ausſchlieſſet, ihn aber keines einzigen zeitlichen Rechtes beraubet. Windheim redet immer von den Mißbräuchen der römiſchen Kirche in den vorigen, wie auch auf der 413. Seite, er kann aber ſo wenig als andere Proteſtanten beſtimmen, wo denn nichts deſtoweniger in den vorigen Zeiten eine andere Kirche

vere, Hæreticos e ſedibus illis & tota provincia ejecturi. Poſtea autem ambobus ſatius viſum, Regiam Majeſtatem periculo non exponere, ſed viros ſapientes, ac errantibus convertendis idoneos, illuc mittere. Negotium igitur mandarunt Legato Sedis Apoſtolicæ, Petro Cardinali tituli S. Chryſogoni, Guarino Archiepiſcopo Bituricenſi, Pontio Archiepiſcopo Narbonenſi, Renaldo Epiſcopo Bathonienſi in Anglia, Joanni Epiſcopo Pictavienſi, Henrico Abbati Claræval-lenſi, pluribusque aliis viris Eccleſiaſticis, qui Hæreticos converterent, vel ſal-

Sæcul. XII. A.C.1178.

zu finden war, welche für die Kirche Chriſti hätte können angeſehen werden.

Er ſaget, um ſeine Meynung von der Ewigkeit des Rechtes die Böſen aus der Kirche auszuſchlieſſen zu behaupten*: Man pfleget auch ſonſt zu ſagen, daß der abänderliche Mißbrauch den Gebrauch der Sache nicht aufhebe. Warum gilt dieſe Regel hier nicht? Gut und gründlich. Allein warum haben die Herren Proteſtanten zur Zeit ihrer vorgeblichen Reformation dieſe Regel auſſer Acht gelaſſen? Warum haben ſie mehr unternoſſen als nur auszuwirken, daß man die Mißbräuche in der römiſchen Kirche beſſern ſolte? Warum haben ſie auch das Band der geiſtlichen Gemeinſchaft und der Einigkeit, das erſte und nothwendigſte Zeichen, womit ein Chriſt verſichert ſeyn kann, daß er in dem Schaafſtalle Chriſti ſey, zerriſſen und aufgehoben?

* auf der 415. Seite.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

tem erroris convincerent & damnarent. Ut vero præsidium quoque veritati pararent, ambo Reges Raimundo Comiti Tolosano, Vicecomiti Turennio, Raimundo Castri Novi, aliisque Principibus imperarunt, ut quæ Episcopi decrevissent, ipsi armata manu exequerentur.

Ubi Legatus ceterique Episcopi Tolosam pervenerunt, certiores fiunt, Hæreticorum Ducem Principemque esse quemdam nomine Petrum Moranum, senem, cui duæ essent munitæ arces, altera in urbe, altera extra mœnia posita, opes magnæ, multi consanguinei, affines, amici, denique virum quem plerique inter cunctos civitatis Magnates præcipuum haberent. Is S. Joannem Evangelistam se esse dicebat, & Verbum, quod in principio in Deo erat, ab alio Verbo, tanquam ab alio Deo separabat. Ipsum, licet hominem laicum & rudem, ceu Doctorem & Præceptorem colebant ceteri, noctuque in ejus ædes conveniebant, ubi vestem indutus, Dalmaticæ speciem referentem, prædicabat, omnibus tam terribilis, ut nemo præcipienti obsistere auderet, quamvis ceteroquin illi Hæretici essent insolentissimi hominum; nam Præsules Catholicos, Tolosam intrantes, publice in plateis ludibrio exceperunt, digito ostenderunt, eos Apostatas, Hypocritas, & Hæreticos appellantes.

Epist. Clarav. ap. Rog. p. 577.

Petrus Moranus.

lantes. Verum elapsis inde aliquot diebus, cum aliquis Catholicorum dixisset ad populum, Hæretici se se occultare cœperunt, ac communi consilio statuerunt, si secundum formam Judicii interrogarentur, simulare, se omnia credere, quæcunque Catholici crederent. Sæcul. XII. A. C. 1178.

Porro, jubente Legato, Episcopus Tolosanus, non nulli Clerici, Consules, aliique viri Catholici juramentum ediderunt, quod nomina omnium illorum, quos Hæresi infectos novissent, deferre vellent, ac nemini parcere. Cumque Commentarius singulis diebus augeretur, inter alios Petrus Moranus adscriptus occurrit. Visum Judicibus, quæstioni initium, interrogando Petrum, dandum esse, misitque Comes Tolosanus apparitores, qui ipsum vocarent. Is primum imperium sprevit. Cum vero Comes tum blanditiis, tum minis adhibitis eum ad obediendum permovisset, in conspectum Episcoporum venit. Cui Judicum aliquis: *Petre, cives tui te accusant, quod in Hæresim Arianorum lapsus sis* (nam multi hos Manichæos Arianos esse dicebant) *& casu tuo plurimos alios in ruinam trahas.* Petrus Moranus, alte suspirans, negavit, sibi & istorum hominum censui ullam communionem esse. Quærentibus deinde, an id jurejurando affirmare auderet, respondit,

Sæcul. XII. A. C. 1178.

dit, ſibi ſpectatæ virtutis & optimæ famæ viro, ſine juramento quidquam affirmanti, credendum eſſe. Urgentibus tamen Mandatariis juraturum ſe promiſit, timens ne ſi pertinaciter jurare recuſaret, pro convicto Hæreſis ſibi objectæ haberetur, quæ juramentum omne damnabat. Illico magna pompa afferuntur Sanctorum Reliquiæ; at Clericis Hymnum S. Spiritus cantantibus Petrus perturbatiſſimo animo expalluit.

Juravit tamen publice, vera ſe reſponſurum eſſe de omnibus Articulis Fidei, de quibus interrogaretur. Cumque aliquis Evangeliorum librum, quem jurans contigerat, temere aperuiſſet, occurrerunt illa verba: *Quid nobis & tibi JEſu, Fili Dei, veniſti huc ante tempus torquere nos?* Quod de hiſce Hæreticis dictum non nulli crediderunt, ex quorum animis vetus illa de ſorte Sanctorum ſuperſtitio necdum exoleverat. Tum Petrus Moranus monitus, ut juramenti ſui memor eſſet, & interrogatus, quid de Sancto Altaris Sacramento ſentiret, affirmavit, panem a Sacerdote conſecratum non eſſe JEſu Chriſti corpus. Tunc vero Mandatarii, lacrymis madentes, ſurgunt, & Comiti ſignificant, ſe Petrum ut Hæreticum condemnare. Quî illico carceri publico includitur, propinquis ejus ad fidejubendum compulſis.

Matth. 8. 29.

Sup. Lib. XXXIV. §. 31.

Pœnitentia Hæreticorum.

Hoc

Hoc rumore in urbem ſparſo Catholicis animus rediit, conſternatis Hæreticis. Interim autem Petrus Moranus, cum præſentiſſima mors oculis obverſaretur, ſaniora arripuit conſilia & emendationem promiſit. Ergo ſola interula tectus advocatur, publice ſe Hæreticum confitetur, errorem damnat, &, addita fidejuſſione, Comiti, viris Nobilibus, & civium præcipuis ſpondet, ſe mandatis Legati eſſe obtemperaturum. Monitus deinde populus; altera die ad Eccleſiam S. Sernini, Pœnitentiam Petri conſpecturus, conflueret.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

Tanta autem illa die populi frequentia fuit, ut vix commodus locus ſupereſſet Sacerdoti, ad Altare Sacris operanti. Petrus per majorem Eccleſiæ portam, principi aræ adverſam, introducitur, induſio ſolum tectus, nudis pedibus procedens, atque hinc ab Epiſcopo Toloſano, inde ab Abbate S. Sernini verberatur, usque dum ad pedes Legati, in gradibus Altaris ſtantis, perveniſſet. Ibi abjurata Hæreſi Eccleſiæ reconciliatur. Omnia ejus bona Fiſco addicuntur, & pœnitentia injungitur; intra quadraginta dies, relicta Toloſana Regione, Hieroſolymam proficiſceretur, in Palæſtina per annos tres pauperibus ſervituru s. Interim ſingulis Dominicis cogebatur, Eccleſias Toloſanæ civitatis adi-

re,

Sæcul. XII. A.C. 1178.

re, nudis pedibus, induſio tantum veſtitus, Clericis ejus dorſum cædentibus. Præterea bona Eccleſiæ, quæ uſurpaverat, & uſuras reſtituere, damna pauperibus illata reſarcire, atque arcem, in qua conventus Hæreticorum celebrati fuerant, ſolo æquare juſſus eſt.

§. XIII.

Manichæi in Territorio Albigenſi.

Henricus Abbas Claræ-vallenſis licentiam domum redeundi impetravit, quod tempus celebrandi Capitulum generale Ordinis ſui immineret, ea vero conditione, ut cum Epiſcopo Bathonienſi ad Diœceſim Albigenſem diverteret, & Rogerium *de Beders*, Ditionis illius Dynaſtam admoneret; Epiſcopum Albigenſem, quem, cuſtodiæ Hæreticorum traditum, captivum tenebat, libertati reſtitueret, Hæreticos autem ex toto Albigenſi Territorio pelleret. Cum igitur Abbas Claræ-vallenſis & Epiſcopus Bathonienſis illam provinciam, nempe præcipuum Hæreſis refugium, intraſſent, Rogerius in locis inacceſſis delituit. Epiſcopus vero & Abbas ad Arcem quamdam ejus munitiſſimam ſe conferunt, ubi Rogerii uxor, ampliſſima familia, militesque verſabantur, omnesque præterea accolæ vel hæretici erant vel Hæreſis fautores. Ibi duo Præſules veram Fidem prædi-

prædicant, Hæreticis nec hiscere audentibus, Rogerium proditorem, Hæreticum, perjurum proclamant, quod Episcopum violasset, cui securitatem jurejurando promiserat, & tandem absentem & contumacem publice excommunicationis censura adstringunt, quin etiam provocant, videlicet nomine Papæ & duorum Regum, uxore ipsius & Equitibus præsentibus, ei bellum dicunt. Sæcul. XII. A.C. 1178.

Episcopus Bathonienſis cum sociis suis Vicecomite Turennio & Raimundo de Castro novo in regione Albigensi alios quoque duos Hæreticorum Duces deprehendit, Raimundum *de Bainiac* & Bernardum *de Raimond*, conquerentes, quod injuste a Comite Tolosano, ceterisque Optimatibus proscripti fuissent. Promittebant vero, venturos se in Legati Cardinalis conspectum, & fidem suam defensuros, si securitas qua venire & redire possent, concederetur. Concesserunt Episcopus & duo Optimates, quod illi petebant, ne scandali occasio præberetur rudibus, si ipsorum Doctores inauditi damnati fuisse videri possent. Tolosam ergo se conferunt, ubi Petrus Cardinalis S. Chrysogoni, ac Episcopus Pictavienſis, qui & ipse Sacræ Sedis Legatus erat, cum Comite Tolosano, & viris ferme trecentis cum Clericis tum Laicis, *Epist. Petr. Card. ap. Reg. p. 575.*

Sæcul. XII. A.C.1178.

Laicis, in Eccleſiam Cathedralem S. Stephani convenerant.

Cum Legati duos Hæreticos fidem ſuam exponere juſſiſſent, ipſi Chartam prælegere cœperunt, in qua fides eorum prolixe explicabatur. Tum Petrus Legatus, notatis quibusdam vocibus, quæ ipſi ſuſpectæ videbantur, petiit, ut latine reſponderent, tum quod ipſi eorum lingua non ſatis eſſet nota, tum quod Evangelia & Apoſtolorum Epiſtolæ (non enim ex aliis ſacris libris fidem ſuam confirmabant) latine eſſent ſcriptæ. Nempe Hæretici lingua in illa Regione vulgari utebantur, qua plebs hodieque ibi utitur, nosque Vaſconicam appellamus, Legati autem & ceterorum Præſulum plerique lingua Francorum loquebantur. Sed illos linguam Latinam penitus ignorare illico patuit, nam cum alter eorum latine vellet loqui, vix duo verba jungere potuit, & obmutuit. Quare ob eorum ignorantiam neceſſe fuit, de Sacramentis Eccleſiaſticis vulgari ſermone diſputare, quod abſurdum videbatur. Quippe illa adhuc ætate linguis noſtris vulgaribus, cum eſſent valde impolitæ, vix quisquam ſcribere, aut eas in negotio ſerio adhibere audebat.

Itaque Raimundus & Bernardus duo principia negarunt, & publice confeſſi ſunt, unum dari Deum, viſibilium omnium

omnium & inviſibilium Creatorem. Quod etiam ex novo Teſtamento probarunt. Confeſſi ſunt quoque, quod Presbyter ſive bonus ſive malus Evchariſtiam conficere poſſit, & quod in ea panis & vinum in ſubſtantiam Corporis & Sanguinis JEſu Chriſti vere mutentur. Quod parvuli vel adulti noſtro Baptismate abluti ſalventur, & nemo Baptiſmo non recepto ſalvari poſſit, inficiantes ſe alium Baptiſmum aut manuum impoſitionem habere. Quod conjuges matrimonii licentia utentes ſalutem conſequi poſſint. Quod etiam Epiſcopi, Presbyteri, Monachi, Canonici, Eremitæ, Templarii & Hoſpitalarii ſalvandi ſint. Dignum quoque & juſtum eſſe dicebant, Eccleſias Deo & honori Sanctorum ſacras devote adire, Sacerdotes honorare, eis Decimas & Primitias ceteraque alia debita perſolvere. Tandem mereri laudem, qui Eccleſiis & pauperibus eleemoſynas largirentur. Nempe hæc omnia negare dicebantur. Sæcul. XII. A.C. 1178.

Inde in Eccleſiam S. Jacobi deducuntur, ubi præſente populi innumerabili multitudine eorum Fidei Confeſſio, vulgari ſermone in charta conſcripta prælegitur, & quia Catholica videbatur, iterum interrogantur, an eſſet ſincera. Reſpondent, ſe iſta credere & nunquam aliam fidem tenuiſſe. Tunc vero Co-

Sæcul. XII. A. C. 1178.

mes Toloſanus, pluresque alii Clerici & Laici, magno zelo in eos invecti, mendacii arguebant. Atque aliqui affirmabant, audiviſſe ſe ſuis auribus eos docentes; duos dari Deos, alterum bonum, alterum malum. Bonum, qui inviſibilia tantum, eaque quæ nec mutari nec corrumpi poſſunt, creaſſet, & malum, qui cœlum, terram, hominem ceteraque viſibilia condidiſſet. Alii aſſerebant, ſe audiviſſe prædicantes; Corpus Chriſti non confici per miniſterium Sacerdotis indigni, aut criminibus irretiti. Alii teſtabantur, adfuiſſe ſe, cum docerent, virum cum uxore ſalvari non poſſe, ſi alter alteri debitum conjugale reddat. Alii in faciem exprobrabant, ipſos dixiſſe, Baptiſmum parvulis non prodeſſe, pluraque alia, quæ ſine blasphemia affirmari non poſſent, & omnes Chriſtiani abominarentur.

Manichæi.

Raimundo & Bernardo reſpondentibus, falſos eſſe hoſce teſtes, inſtabant Judices, ut ſcriptam ſuam Fidei confeſſionem juramento firmarent; quod ipſi recuſarunt, dicentes Chriſtum Dominum id prohibuiſſe illis verbis: *Nolite omnino jurare.* His objectum eſt, quod S. Paulus dixerit: *Omnis controverſiæ finis eſt juramentum.* Et juramentum Dei ipſius adducat: *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchi-*

Matth. 5.
Hebr. 6.
Pſal. 109.

Melchisedech. Plura alia S. Scripturæ verba citata, ex quibus probatur, propter illorum infirmitatem, quibus aliquid suademus, licitum esse jurare. *Ceterum viri Idiotæ non intelligebant, se ipsos Fidei suæ Confessioni, scripto traditæ, juramentum apposuisse, in illis verbis: in Veritate, quæ Deus est, ita credimus &c. nesciebant, rudes homines, quod, Veritatem & Verbum Dei in testimonium assertionis nostræ adducere, jurare sit. Sicut juravit Apostolus,* 1. *Thes.* 4. 14. *quando dixit: Hoc vobis dicimus in Verbo Dei.* Et alibi: *Testis est mihi Deus!* *Rom.* 1. 9. Hæc Petri Legati adnotatio est, in Epistola, ex qua narrationem istam accepimus.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

Satis jam constabat, Raimundum & Bernardum tanto testium numero Hæresis esse convictos, pluresque alii testimonium contra eos dicturi erant; nihilominus quia Ecclesia consuevit, redeuntibus misericordiæ gremium non negare, monuit Legatus, ut omni Hæretica pravitate deposita, ab excommunicationis Censura, quam contra eos Papa, Archiepiscopi Bituricensis & Narbonensis, Episcopus Tolosanus & ipse Legatus tulerant, absolvi suppliciter peteren Sed obstinate in errore perseverante duo Legati, accensis cereis, præsente to to populo, furiose fremente, iterum ex

Sæcul. XII. A.C. 1178.

communicatos denunciarunt. Id testatum facit Petrus Legatus in sua Epistola ad omnes Fideles directa, in qua monet & exhortatur in Domino, ut Raimundum & Bernardum, eorumque complices, tanquam excommunicatos & Satanæ traditos caute devitent, atque e finibus suis expellant.

§. XIV.

S. Anthelmi Episcopi Bellicensis extrema.

vit. ap. Sur. 26. Jun. c. 18. Sup. lib. LXX. §. 65.

Hic annus salutis millesimus centesimus septuagesimus octavus S. Anthelmo, Episcopo Bellicensi, vitæ supremus fuit. Ex quo Episcopatum suscepit, rigorem Instituti sui non modo non laxavit, sed auxit. Officio Missæ non in suo Oratorio, sed in Ecclesia Cathedrali cum Canonicis operabatur, ut majore decore res Divina perageretur. Hoc sacrificium autem singulis ferme diebus offerebat, quod ipsi, antequam ordinatus fuit Episcopus, raro concedebatur. Sunt hæc verba Auctoris, qui ejus vitam scripsit. Nimirum inter Cartusienses, etiam in Die Dominica, vix unquam alia, quam Missa Conventualis celebrabatur. Idque Statuta Guidonis innuunt. Anthelmus nihil magis exoptabat, quam efficere, ut Clericorum suorum vita pudica esset; quam

c. 7. n. 4. vit. c. 19.

quam ob rem sex septemve Presbyteros, antea maxima caritate monitos, cum pellices ejicere nollent, deposuit. Sæcul. XII. A C. 1178.

Humbertus Comes Sabaudiæ quemdam Presbyterum carceri includi jusserat, quem cum S. Episcopus, invito Prætore, voluisset eripere, prætoriani fugientem necaverant. Præterea comes jus sibi esse in quasdam Ecclesiæ terras dicebat, affirmabatque ad suam pertinere ditionem. Hortabatur Anselmus Principem; Bona Ecclesiæ intacta relinqueret, & Presbyteri cædem congrua pœnitentia elueret, addita fulminis Ecclesiastici comminatione. Verum Comes vicissim Præsuli minabatur, cum diceret, se Papali privilegio esse munitum, ne a quoquam alio excommunicari posset. Anselmus imperterritus excommunicationis sententiam in eum, & quidem tunc præsentem pronunciavit. Humbertus in furorem agi videbatur, ajebantque audientes, tantam Episcopi temeritatem haud leviorem quam mortis pœnam mereri. Sed Præsul in isto quoque periculo impavidus, formulam censuræ adhibitis verbis acerbioribus repetiit, se mortalium felicissimum existimaturus, si ei pro bona causa Martyrium pati datum fuisset. Comite deinde apud Papam conquerente, quod suum privilegium fuisset violatum, Alexander c. 20. c. 21.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

S. Petro Tarentasiensi adhucdum in vivis agenti, alterique Episcopo, datis literis præcepit; permoverent Anthelmum ad absolvendum a censura Comitem, vel Episcopo Bellicensi, cujus constantiam alias exploratam habebat, imperium detrectante, ipsi absolverent. Episcopi accepta mandata exequuntur, urgentque Anthelmum, ut Papæ obediret, & Principem mitigaret. Quibus ille: *Qui juste ligatus est solvi non debet, nisi prius per Pœnitentiam offenso satisfecerit. Nec S. Petrus accepit potestatem ligandi vel solvendi ea, quæ non oportet. Scitote igitur, me sententiam semel latam nunquam revocaturum.* Ita ambo Præsules recesserunt, ultra quidquam moliri non ausi. At Papa, re comperta, Comitem absolvit, & sublatæ censuræ Anthelmum certiorem fecit.

Id vero S. Virum usque adeo offendit, ut relicta Sede sua ad Cellulam Monasterii Cartusiensis redierit. Sed tota provincia optimi Patris absentiam deflente, Clerici Bellicenses a Summo Pontifice literas impetrarunt, quibus ille compulsus Sedem suam Episcopalem repetiit. Porro Comes Sabaudiæ se legitime absolutum non credidit, nec Ecclesiam ante intrare præsumsit, quam se coram S. Præsule supplicem demisisset, ac ab eo absolutionem obtinuisset. Quia autem

autem errata non emendabat, nec promissa implebat, nova succesſit diſcordia. Nihilominus illo etiam tempore, quo Comes Præſulem oderat, & minas effundebat, magna tamen ejusdem reverentia continebatur. Quippe ſingularis Anthelmi virtus ingentem ei auctoritatem conciliaverat, totus Ordo Cartuſienſis tanquam ſibi Præpoſitum venerabatur, omnesque ei Priores ſuberant. Ipſe ferventi zelo vigilabat cavebatque, ne cuicunque relaxationi locus daretur. Quando Conciliis aut aliis cœtibus, ubi de rebus ſæcularibus agebatur, intererat, tam Epiſcopi quam alterius cujusque Ordinis Viri Anthelmo cedebant; ipſa Romana Curia Præſulem reverebatur. Licet enim nihil reprehenſione dignum, in quocumque hominum genere id deprehenderet, diſſimularet, quia tamen ejus admonitiones nullo alio ex fonte, quam ex pura Caritate proficiſcebantur, plerique modeſte acquieſcebant. Ceterum in peccatores pœnitentiam agentes lacrymans ipſe cum lacrymantibus indulgentiſſimus erat.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

c. 23.

c. 24.

Extremo morbo decumbentem Anthelmum non nulli hortabantur, ut Comiti Sabaudiæ, namque tenebat adhuc diſſidium, ignoſceret. Quibus ipſe: *Nunquam reconciliabitur, niſi injuſtam poſtulationem dimittat, ac ſpondeat, nihil*

c. 25.

Sæcul. XII. A.C.1178.

hil se ab hac Ecclesia imposterum exacturum, & nisi confiteatur, se cædis in illum Presbyterum peractæ reum esse. Nemine severum nuncium ad Principis in eodem loco commorantis aures deferre ausо, duo tandem viri religiosi Ordinis Cartusiensis periculosam legationem in se suscepерunt. Et ecce! Princeps, Deo cor ejus movente, in lacrymas solvitur, ad S. Virum contendit, culpam fatetur, postulationi renunciat, & veniam rogat. Anthelmus impositis Principi manibus, Deum orat, ut ei benediceret ejusque filio. Cum autem Comes filiam tantum genuisset, putabant adstantes, Episcopum errore linguæ vel memoriæ labi, suggerebantque, benedicendum esse Principis filiæ. At nihilominus Vir Sanctus sæpius Humberti filio divinum auxilium & benedictionem precatus est. Nec fefellit vaticinium; nam paulo post mortem Episcopi Humberto Comiti natus est filius. Obiit autem S. Anthelmus vigesima sexta die Junii anno millesimo centesimo septuagesimo octavo, post receptam Dignitatem Episcopalem decimo quinto, septuagenario major. Ecclesia ejusdem memoriam in die, qua e vita decessit, colit. Ejus in Ecclesia Bellicensi Successor Rainaldus quoque ex majore Monasterio Cartusiensi evocatus

Mart. Rom. 26. Jun. Gall. Chro to.2. p.364.

catus est, cui post annos sex Arnaldus itidem ex Ordine Cartusiensi suffectus. Sæcul. XII. A. C. 1178.

§. XV.

S. Hildegardis extrema.

Sanctum Anthelmum ad Cœlestia translatum secuta est post trimestre S. Hildegardis, Abbatissa in monte S. Ruperti prope Moguntiam, cujus Revelationes Eugenius III. Papa ante annos triginta approbaverat. Ipsa hanc scriptionem prosecuta est, operam commodante quodam viro fideli, qui eam mentis suæ conceptus latine exponere docebat, secundum Grammaticæ regulas; quippe eas simpliciter ignorabat. Revelationes ejus in tres libros collectæ sunt; plerumque in earum exordio aliqua imago rei sensibilis ponitur, quam sibi conspicuam factam fuisse dicit, ejusque sensus mysticos explicat. Tum exinde Doctrinam morum eruit puram & solidam, stilo legentis animum excitante & tropico; ævi sui vitia damnat, valideque ad pœnitentiam impellit. Multas quoque scripsit Epistolas, ut illis, qui eam consulebant, responsa daret, quas inter occurrit aliqua, ceteris prolixior, ad Clericos Colonienses directa, immixtis vaticiniis. Nam Prophetiæ dono prædita credebatur, memoratque Richerius, Monachus Senonensis in Lotharingia, qui exin-

Sup. lib. LXIX. §. 37 vit. ap. Sur. 17. Sept.

ap. Alb. Stad. an. 1152. Fol. 169.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

de post spatium annorum ferme triginta scripsit, Hildegardem Ordinem Prædicatorum & Fratrum Minorum in spiritu prænunciasse; *De his enim diserte loquitur Hildegardis*, ait Richerius, *cum dicit, superventuros esse Fratres, spectabili tonsura, vestitu Religioso sed singularis formæ, quos populus in exordio tanquam donum Dei recepturus esset, qui nullam rem propriam sibi haberent, sed ex sola eleemosyna viverent, nibilque quo sequente die vescerentur, servarent, qui comitante extrema paupertate urbes & oppida peragrarent prædicantes, Deo & hominibus cari. Sed post breve tempus futurum, ut a primæva Instituti sui ratione discedentes vilipenderentur.* Adjicitque Richerius: *Eventus vaticinii veritatem confirmavit* (*).

Chro. Senon. lib. IV. c. 15. to. 3. Spicil.

S. Hil-

(*) Sed hic fides est penes solum Richerium, cujus auctoritas, ceteris Scriptoribus tacentibus, vix alicujus ponderis est; quia non Epistola & locus, in quo Sancta Hildegardis hæc dixerit, sed tantum verba Richerii clare indicantur, qui post spatium annorum circiter triginta ab obitu S. Virginis scripsit, ideoque, cum ea anno millesimo centesimo septuagesimo octavo decesserit, & S. Franciscus anno millesimo ducentesimo nono, Sanctus vero Dominicus anno millesimo ducentesimo decimo sexto

Disci-

S. Hildegardis miraculis quoque inclaruit; quippe innumera patravit, atque auctor vitæ ex tot aliis ſpeciatim viginti commemorat. Obiit die Dominica, decima ſeptima Septembris, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, octoginta annos nata. Vitam ejus ſcripſit Theodoricus Abbas Benedictinus, annis circiter, poſtquam mortua fuerat, triginta, ex cujusdam nomine Godefridi commentariis, quibus Revelationes & miracula addidit. S. Hildegardis memoriam Eccleſia in die obitus celebrat. Sæcul. XII. A. C. 1178. *lib. 3. c. 27.* *Præf.* *Mart. Rom. 17. Sept.*

§. XVI.

Alexander III. Romam redit.

Interea cum univerſus Romanæ Eccleſiæ Clerus ac populus Fridericum Imperatorem ad Alexandri Papæ pedes proſtratum vidiſſent, & Schismatis malum eſſe extinctum, communi conſilio omnes jurarunt, ſe eum ad S. Petri Sedem revocaturos, ut tandem tot malorum, abſente *Act. Alex. ad. Baron. an. 1778 n. 1.*

Diſcipulos habuiſſe in Fleurii Hiſtoria legantur. Richerius ſine ſpiritu prophetico Fratres Ordinis Prædicatorum & Minores in terra ambulantes oculis ſuis conſpicere potuit. Ceterum utriusque Ordinis Sacri, a tempore Inſtitutionis ſuæ usque in hanc diem de Re Catholica optime meriti, maxima apud Fideles veneratio eſt.

Sæcul. XII. A.C.1178.

sente Summo Pastore, tam ad spiritualem animarum salutem, quam ad Reipublicæ tranquillitatem spectantium finis esset. Ex præcipuis igitur civium Romanorum septem cum literis Clericorum, Senatus, Populique ad eum Anagniam missis, suppliciter rogarunt, ut in Urbem rediret. Verum Alexandro alta mente repositum manebat, quod, postquam se Romani ex Francia revocassent, paulopost sibi injurias & contumelias intulissent, ideoque Romam non prius reverti, quam sibi cives securitatem præstitissent, statuit. Hoc consilio cum septem illis Romanorum Legatis Hubaldum Episcopum Ostiensem, Rainerium Presbyterum Cardinalem SS. Joannis & Pauli, & Joannem Cardinalem Diaconum S. Angeli in Urbem misit, qui, postquam diu deliberatum, effecerunt, ut sequentia capitula statuerentur: Senatores cum eligerentur, fidem & homagium Papæ præstarent, Romani Ecclesiæ S. Petri jura Regalia, quæ occupaverant, restituerent, pacem & securitatem Papæ, Cardinalibus, eorumque bonis, ac omnibus ad Papam venientibus vel inde redeuntibus assererent.

Sup. lib. LXXI. §. 17.

Ubi de his convenit, adfuere cum tribus Cardinalibus Senatores, qui Pontificis pedes osculati publice jurarunt, se memorata Capitula servaturos. Tunc denique

denique Alexander Papa, omnibus ad reditum comparatis, in Festo S. Gregorii, duodecima Martii, nempe hoc anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, Dominica tertia Quadrageſimæ, completa Miſſa Tuſculano exceſſit. Obvios venienti ſe intulerunt Clerici Romani cum Crucibus & vexillis, licet non extaret memoria, id honoris cuiquam Pontificum fuiſſe exhibitum. Senatores & Magiſtratus procedebant ſonantibus tubis, Nobiles & Milites equis phaleratis vecti, populus ramos olivarum portans, cantans, & ſolitas laudes acclamans pedibus ſequebatur, cujus tanta fuit multitudo, ut præ concurſu illorum, qui pedes Pontificis oſculari geſtiebant, equus progredi non poſſet, & Præſulis dextera, qua benedictionem impertiebatur, oppido fatigaretur. Ita ad Baſilicam Lateranenſem deductus Alexander, populo & Cardinalibus dimiſſis, in Palatium aſcendit, & antequam pranderet in lectulo procubuit, ut feſſos artus quiete reficeret, namque etiam ſenili ætate gravabatur. Altera die Cardinales ad Conſiſtorium convocavit, ac innumeras Clericorum Laicorumque catervas ad oſculum pedis admiſit. Inde ad ſtationes, ut in Quadrageſima mos erat, proceſſit, Dominica *Lætare* ſequente, inter comitantibus populi preces ad S. Crucem

Sæcul. XII. A.C. 1178.

ſe

Sæcul. XII. A.C. 1178. se contulit, & tandem in Festo Paschæ Tiaram cum corona, quæ *Regnum* dicitur, gestavit.

§. XVII.

Callistus Antipapa subjicitur.

Act. ead. ap. Baron. an. 1178. Sub finem anni superioris Antipapa Joannes *de Struma*, alio nomine Callistus, comperta Alexandri & Imperatoris reconciliatione, Viterbio clam aufugiens, ad montem Albanensem venit, sub tutela Joannis, Arcis illius Domini, futurus. Imperator vero, ne suspicandi esset locus, ipso conscio hæc fieri, pro more Imperii, Antipapæ & omnibus ejus Fautoribus bellum indixit, nisi promtissime Alexandrum Papam reciperent. *Rom. Chron.* Cum igitur post reditum suum Tusculani ageret Papa, in Festo Decollationis S. Joannis, vigesima nona Augusti, anno millesimo centesimo septuagesimo octavo, Joannes *de Struma* ad ejus pedes cum quibusdam Clericis suis accessit, & in conspectu Cardinalium, aliorumque adstantium, peccatum suum publice confessus est, veniam rogavit, ac Schisma abominatus est. Quem Alexander Papa, ut erat mitissimi ingenii, ne quidem objurgatum recipiens, *Ecclesia Romana*, inquit, *te resipiscentem filium suum læta amplectitur, & pro malis bona reddit.* Nec factis Alexander acerbior quam verbis

bis fuit; nam Joannem ſemper honorifice habuit, quin etiam menſæ convivam adhibuit. Porro vigeſima nona Septembris non nulli Schismatici Antipapam eligere auſi ſunt Landum Sitinum, ex genere Frangipanum, quem Innocentium III. appellarunt. Eum quidam ex ordine Equeſtri, Octaviani Antipapæ frater, immani odio in Alexandrum Papam flagrans, præſidio ſuo tectum, in Arcem, quam more militari munitam prope Romam habebat, recepit.

Sæcul. XII. A.C. 1178.

Jo. de Cecc. 1178. Acta Aquicinct. an. 1179.

§. XVIII.

Concilium Generale convocatur.

Alexander Papa, ut zizania longi Schismatis tempore in Eccleſia nata evelleret, Concilium Generale Romæ, prima Dominica Quadrageſimæ anni ſequentis milleſimi centeſimi ſeptuageſimi noni, indixit; quod ex Epiſtola, ad Archiepiſcopum Piſanum ceterosque Tuſciæ Epiſcopos & Abbates Tuſculani data, diſpicimus. Vocati etiam nominatim omnes Epiſcopi & Abbates præcipui Eccleſiæ Latinæ; quia vero multis iter imperatum ſuſcipiendi facultas deerat, data pecunia diſpenſationem obtinuerunt. Quæ res non nullis occaſio credendi fuit, hanc convocationem a Curia Romana lucri cauſa fuiſſe adornatam. Ita Guiliel-

to. 10. Conc. p. 156.

G. Neubrig. lib. III. c. 2.

Sæcul. XII. A. C. 1178.

Guilielmus Neubrigensis illius ævi Scriptor loquitur.

Anno superiore millesimo centesimo septuagesimo septimo a Summo Pontifice vocati Præsules Ecclesiæ Latinæ in Oriente iter ingressi sunt, mense Octobri hoc anno millesimo centesimo septuagesimo octavo, ex quo Balduinus IV. Rex Hierosolymarum in solio sederet, quinto. Proficiscebantur Archiepiscopi duo, Guilielmus Tyriensis, & Heraclius Cæsareensis. Tum Episcopi quatuor, Albertus Bethlehemita, Rudolphus Sebastenus, Joscelinus Acriensis, Romanus Tripolitanus, cum Petro Priore S. Sepulchri, Patriarchæ Hierosolymitani Legato, & Rainaldo in monte *Sion* Abbate.

Guil. Tyr. XXI. c. 26.

§. XIX.

Guilielmus Archiepiscopus Tyriensis.

Bongars. Præf. in gesta Deper Fri. n. 11.

Nullum istorum Præsulum fama magis celebravit, quam Guilielmum Tyriensem, quo etiam nemo elegantius aut accuratius Historiam Regni Latini Hierosolymitani nobis tradidit. Is in Oriente natus, sed parentibus Francis, in Francia literis operam navaverat. In Orientem reversum Fridericus Archiepiscopus Tyriensis, Rege Amalrico pluribusque aliis viris spectatissimis rogantibus, Ecclesiæ suæ Archidiaconum anno circiter millesimo centesimo sexagesimo septi-

septimo creavit. Illico Legationem ad Imperatorem Constantinopolitanum in negotio suscipiendæ in Ægyptum expeditionis obire jubetur; qua feliciter functus, elapsis inde duobus annis, Romam profectus est, tum ut privatas necessitudines curaret, tum ut etiam Archiepiscopi sui iram effugeret, quam insons patiebatur. Roma reducem Rex Amalricus Principis Balduini, filii sui novennis, moribus præfecit, tumque suadentibus Optimatibus aulæ suæ Cancellarium constituit. Anno millesimo centesimo septuagesimo quarto Guilielmus unanimi Clericorum populique consensu, quem Regis voluntas confirmabat, Archiepiscopus Tyriensis eligitur, atque octava die Junii in Ecclesia S. Sepulchri, Amalrici Patriarchæ Hierosolymitani manibus consecratur. Sæcul. XII. A.C. 1179.

Manuel quoque Imperator Romam misit Georgium Metropolitanum Corcyrensem, Concilio interfuturum, & deinde jussu suo Fridericum Imperatorem aditurum. Sed eum, postquam Hydruntem decima quinta die Octobris anno millesimo centesimo septuagesimo octavo perveniisset, gravis morbus menses sex, quo temporis spatio celebratum est Concilium, lecto affixit. Quare ipso ab Imperatore Manuele domum revocato, ut in Concilio, quod Patriarcha *Ep. ap. Bar. an.* 1178. *Allat. de Consc. c.* 11. *n.* 6.

Sæcul. XII. A. C. 1179. Constantinopolitanus indixerat, sederet, Nectarius Abbas Casulorum, nomine Græcorum, Concilium Lateranense frequentavit (*).

§. XX.

Concilium Lateranense tertium.

to. 10. *Conc. p.* 1530. *t.* 12. *Spicil p.* 638 *Notæ ad Guil. Neubr. p.* 737. *Patr. Bitur.*

Adfuere vero Episcopi trecenti & duo. Videlicet ex Provincia Romana quinquaginta & unus, quorum Princeps erat Hubaldus Episcopus Ostiensis, exinde elapso biennio ad Summum Pontificatum evectus, & Lucius III. dictus. Præsules Italiæ universim numerabantur centum sexaginta & unus, quos inter fuisse adnoto Romualdum Archiepiscopum Salernitanum, & duos Græcos ex Provincia Regiensi. Ex Franciæ Episcopis eminebant Guilielmus Archiepiscopus Remensis, Guarinus Archiepiscopus

(*) Ad hunc annum & locum Eminentissimus Baronius ait: *Spectat ad ejusdem Romani Concilii Acta, quod Græcorum Schismaticorum Legatus Nectarius Abbas, eadem qua venit animi indurata nequitia atque perversitate inflexus & obstinatus, post prolixas disputationes est reversus ad suos, a quibus tanquam in Olympiacis Victor est receptus. Significant ista literæ, quas ad ipsum tunc temporis dedit Georgius Corcyræ Episcopus, & ipse eadem fuligine tinctus.*

pus Biturícenſis, antea Abbas Pontiniacenſis, qui exactis deinde annis duobus fatis functus eſt anno ſalutis milleſimo centeſimo octogeſimo primo. Pontius Archiepiſcopus Narbonenſis, Joannes Saresberienſis Epiſcopus Carnotenſis, ejusque amicus Joannes Epiſcopus Pictavienſis. Ex Normannia nullus alius quam Ægydius Epiſcopus Ebroicenſis advenerat, & ex Anglia haud plures quam quatuor; nam Angli affirmabant, plures ad Concilium Generale mitti non debere. Ex Hibernia advecti fuerant S. Laurentius Archiepiſcopus Dublinenſis, Catholicus Archiepiſcopus Tuamenſis, & quinque vel ſex alii Epiſcopi. Complures ex Scotia miſſi fuerant. Inter Epiſcopos Germaniæ occurrunt Arnoldus Archiepiſcopus Trevirenſis, Chriſtianus Moguntinus, & Conradus Salisburgenſis. Tandem unus Epiſcopus ex Dania & unus ex Hungaria, qui ultimo loco nominatur, in eodem Concilio conſpecti fuerunt.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

Roger.

Ceterum Concilium iſtud celebratum eſt in Eccleſia Lateranenſi, ubi Papa in editiore loco cum Cardinalibus, Præfectis, Senatoribus, & Conſulibus Romanis eminebat. Seſſiones vero tres habitæ; prima Feria II. tertiæ Septimanæ in Quadrageſima, die Menſis Martii quinta, anno milleſimo centeſimo ſeptua-

Sæcul. XII. A C. 1179.

ptuageſimo nono. Secunda, Feria IV. ſequentis Hebdomadæ, die decima quarta Martii. Tertia, Feria II. Paſſionis die decima nona ejusdem menſis.

§. XXI.

Concilii Lateranenſis Canones.

to. 10. *Conc. p.* 1507.

In hoc Concilio Canones viginti ſeptem conditi; quorum primus ſummatim conſtituit: Ut Schismatis occaſio tollatur, ſi in electione Papæ plena non ſit Cardinalium concordia, ille Romanus Epiſcopus recipiatur, cui, una tantum parte eligentium adverſa, duæ aliæ ſuffragantur. Si quis autem tantum unius partis, aut paucioribus, quam duarum partium, ſuffragiis confiſus nomen Epiſcopi uſurpaverit, omni ſacro ordine privetur & Excommunicationi ſubjaceat, ac ipſi Communio non niſi in ultimis concedatur. Qui eum receperint iisdem pœnis obnoxii ſint. Salva auctoritate Canonum, ſecundum quos majoris & ſanioris partis ſententia prævalere debet. Quia ſi in aliis Eccleſiis dubium ſupervenerit, id Superioris judicio poterit definiri; verum Eccleſia Romana Superiorem non habet. Ordinationes, ab Octaviano, Guidone, & Joanne Strumenſi peractas, irritas eſſe cenſemus. Si

c. 2. qui Dignitates Eccleſiaſticas, ſeu Beneficia ab his Schismaticis acceperunt, careant

reant impetratis. Alienationes bonorum Eccleſiaſticorum nullius ſint firmitatis. Illos vero, qui ſponte juramentum ediderunt, ſe ſchismati adhæſuros, ab Ordinibus Sacris & Dignitatibus ſuſpendimus. Sæcul. XII. A.C.1179.

Nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui trigeſimum ætatis annum egerit, & de legitimo matrimonio natus ſit, quem etiam mores & ſcientia commendent. Poſtquam autem electus & confirmatus fuerit, ac Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtrationem acceperit, is ad quem ſpectat, beneficia, quæ ante Epiſcopatum habuerat, alteri libere conferat. Inferiora etiam Miniſteria, qualia ſunt Decanatus, Archidiaconatus & alia, quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, niſi annum ætatis vigeſimum quintum attigerit. Si vero intra tempus, quod Canones præfigunt, vel ordinem Presbyteratus vel Diaconatus non acceperint, ab illo officio removeantur. Clerici, ſi contra formam iſtam quemquam elegerint, jure eligendi priventur, & a Beneficiis ſuis per triennium ſuſpenſi ſint. Epiſcopus, ſi conſenſerit, poteſtatem has Dignitates conferendi amittat.

Quandoquidem Apoſtolus ſe ſuosque de labore manuum ſuarum ſuſtentabat, ut falſis Apoſtolis omnem cavillandi oc- *c.* 4. 1. *Theſſ.* 1.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

2. *Theſſ.* 3.

caſionem ſubtraheret, & Fidelibus oneri non eſſet, emendatione dignum dignoſcimus, quod Fratres noſtri Epiſcopi ad Clericos ſuos inviſentes tam graves eis exiſtant, ut ad vendendum Eccleſiaſtica ornamenta interdum compellantur, & longi temporis victus brevis hora conſumat. Quocirca ſtatuimus, ut Archiepiſcopi parochias viſitantes ultra quadraginta vel quinquaginta equos non habeant, Cardinales non ultra viginti quinque, Epiſcopi viginti aut triginta, & Archidiaconi ſeptem. Decani autem & Decanis inferiores duobus equis contenti ſint. Nec cum canibus avibusque ad venandum aptis proficiſcantur. Non ſumtuoſas epulas quærant, ſed cum gratiarum actione recipiant, quod honeſte & competenter ipſis fuerit miniſtratum. Epiſcopi ſubditos ſuos vectigalibus & exactionibus gravare non præſumant, ſed ſi ſupervenerit neceſſitas, auxilium ex caritate præſtandum poſtulent. Epiſcopus ſi aliquem ſine certo Titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat, in Diaconum vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei victum miniſtrabit, donec ei ſtipendia vitæ Clericalis in aliqua Eccleſia aſſignaverit. Niſi forte ordinatus talis ſit, qui de ſua paterna Hereditate ſubſidium vitæ accipere poſſit.

Canones Concilii Lateranenſis.

c. 5.

Hic

Hic primo mihi occurrit Canon, nec enim antiquiorem scio, qui tituli patrimonialis, vel potius patrimonii, loco tituli Ecclesiastici, mentionem faciat. Sæcul. XII. A. C. 1179.

c. 6.

Ex abusu Appellationis nimium frequentis, alius natus erat, nimirum quod Episcopi quin etiam Archidiaconi, ut appellationem subditorum suorum anteverterent, in non monitos sententiam Suspensionis vel Excommunicationis ferrent. Concilium prohibet istud fieri, nisi forte talis culpa sit, quæ ipso genere suo excommunicationis pœnam inducat. Inferioribus vero præcipitur, ne sine gravamine, vel antequam causa discussa fuerit, appellent. Si vero appellans, altero, qui appellatus fuerit, in judicium veniente, causam neglexerit, ad compensationem expensarum damnetur. Inprimis expensæ istæ ad Appellationem Romam spectabant, quo Parti utrique iter suscipiendum erat. Præcipue, inquiunt Patres, in Religiosis viris hoc volumus observari, ne monachi vel alii Religiosi, pro quacunque culpa corripiendi, contra Regularem Prælati sui vel Capituli disciplinam, sibi salubriter injunctam, appellare præsumant.

c. 7.

In Canone septimo dicunt; Horribile nimis est, pro Episcopis vel Abbatibus in Sede ponendis, aut pro instituendis in Ecclesia sua Parochis, nec non pro

Sæcul. XII. A.C. 1179.

sepultura & exequiis mortuorum, Benedictionibus nubentium, seu aliis Sacramentis aliquid exigere, ita ut qui nihil habeat quod det, ista percipere non possit. Et frustra longa consuetudo obtenditur, quia tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint alligatam. Novi census ab Episcopis vel Abbatibus Ecclesiæ non imponantur, aud redituum partem sibi tribuant. Decanos, dato pretio, in Ecclesiis non constituant, qui ipsorum nomine Jurisdictionem exerceant. Non promittant vel conferant Beneficia, antequam vacent, ne alterius mortis captandæ occasio præbeatur. Beneficia vacantia intra semestre tempus conferantur, secus Capitulum negligentiam Episcopi, Episcopus Capituli, & Metropolitanus utriusque suppleat.

c. 15.

c. 8.

Episcopi graves querelas contra recentes Ordines Militares Templariorum & Hospitalariorum afferebant. Hi enim Ecclesias de manu Laicorum recipiebant, in suis vero Ecclesiis Sacerdotes instituebant & amovebant, insciis Episcopis. Excommunicatos & Interdicto subjectos ad Ecclesiastica Sacramenta & sepulturam admittebant. Indulgentia privilegiorum sibi concessorum abutebantur; nam Fratres eorum ad mendicandum emissi non solum semel in anno, sed

c. 9.

sed sæpius Ecclesias interdictas aperiri jubebant, Fratres ex pluribus locis in societatem suam referebant, quos privilegiorum suorum participes efficiebant. Ceterum tantos abusus non tam Præpositorum voluntas, quam Militum privatorum imprudentia pepererat, quos omnes Concilium Lateranense non solum in Militaribus, sed etiam in aliis Religiosis Ordinibus damnavit. Sæcul. XII. A. C. 1179.

Religiosi, cujuscunque sint Instituti, pretio non recipiantur. Superior recipiens officio suo privetur, & ita receptus ad Sacros Ordines non ascendat. Privato peculium non concedatur, nisi ratio officii id exigat. Apud quem inventum fuerit peculium, is excommunicetur, sepultura in loco communi Fratrum privetur, nec Oblatio pro eo fiat. Abbas, qui ista neglexerit, deponatur. Prioratus vel quæcunque obedientia nulli dato pretio conferatur. Priores Congregationum non amoveantur, nisi ob graves causas, vel ut transferantur ad majus officium & gradum altiorem. c. 10.

Renovantur Decreta antiqua de continentia Clericorum, quibus focarias habere prohibentur. Clerici in Sacris Ordinibus constituti negotiis sæcularibus non implicentur, prædiis non præficiantur, Jurisdictione sæcularibus competente non utantur, coram Judice Laico c. 11. c. 12.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

cauſidici officio non fungantur. Nullus plura Beneficia poſſideat. Jam enim illa ætate non nulli, modum avaritiæ non

c. 13. 14. ponentes, vel ſex vel plures Præbendas percipere non horrebant, talesque quibus annexa erat cura animarum, unde nec in loco competente reſidere poterant, nec munus Paſtoris obire, dum interim alii, digni Eccleſiæ Miniſtri, congrua ſuſtentatione carebant. Anathemate feriuntur Laici, qui neglecta Epiſcoporum auctoritate Clericos in Eccleſiis inſtituebant & pro lubitu amovebant, aut viros Eccleſiaſticos in judicio ſuo ſtare

c. 17. compellebant. Jus Patronorum definitur, ita ut ſi plures ſint, de electione unius Presbyteri conſentiant, qui Eccleſiæ ſerviat, aut ille præferatur, cui plura ſuffragia favent. Si litigent, Epiſcopus, quod optimum viſum fuerit, decernat. Ipſe etiam Judex ſit, & ſtatuat, ſi de Jure Patronatus quæſtio emerſerit, quæ in-

* al. quatuor. tra menſes tres * ſolvi non potuerit. Prohibemus etiam, inquiunt Patres, ne Laici Decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes in alios Laicos quo-

c. 14. cunque modo transferre poſſint. Hoc fundamento relinquuntur Laicis Decimæ, quarum poſſeſſionem tempore hujus Concilii tenuiſſe creduntur, ac Decimæ *infeudatæ* dicuntur.

Bona

Bona, quæ Clerici miniſtrando Eccle- Sæcul. XII.
ſiæ acquiſiverunt, tanquam ipſorum pro- A. C. 1179.
pria, etiam poſt obitum, habeantur, ſive
teſtamentum condiderint, ſive inteſtati
deceſſerint. Ubi de cauſa communi *Conc. Lat.*
deliberatur, ſemper illud prævaleat, quod *c.* 15.
a majori & ſaniori parte Capituli fuerit
conſtitutum, non obſtante quacunque
conſuetudine ac juramento contrario.

Ut pauperes Clerici informari poſ- *c.* 16.
ſint, in qualibet Eccleſia Cathedrali Ma-
giſter conſtituatur, cui competens bene-
ficium aſſignetur, & qui gratis doceat.
Id in aliis quoque Eccleſiis ſive Monaſte- *c.* 18.
riis, ubi retroactis temporibus Scholaſti-
co cenſus quidam deſtinati erant, reſti-
tuatur. Pro docendi licentia a nullo
quidquam exigatur, nec viro idoneo li-
centiam petenti ea denegetur, ne Eccle-
ſiarum profectus impediatur.

Adjecta anathematis pœna, Rectori- *c.* 19.
bus, Conſulibus, aut civitatum Magiſtra-
tibus interdicitur, ne Eccleſiis onera im-
ponant, nec partem bonorum ad ex-
truenda munimenta vel expeditiones
bellicas conferre cogant, nec Jurisdictio- Canones.
ni & auctoritati Epiſcoporum aliorum-
que Prælatorum in ſubditos ſuos ita de-
trahant, ut nihil poteſtatis eis ſupereſſe
videatur. Iſtud ego de Jurisdictione ſæ-
culari accipiendum puto. Licet tamen
a Clericis ſubſidium ſponte concedendum

Sæcul. XII. A. C. 1179.

dum petere, si necessitates publicæ premant, & Laicorum facultates non sufficiant.

Ludi Equestres iterum damnantur. Inducia Sacræ eo modo, quo suo loco explicavi, servandæ sunt. Nemo nova vectigalia aut alias exactiones sine auctoritate supremorum Principum imperet. Nempe etiam minorum gentium Dynastæ id sibi juris arrogabant. Usurarii excommunicantur; iidem sepultura Ecclesiastica non gaudeant, oblationes eorum non suscipiantur. Reprehenditur nimia severitas quorumdam virorum Ecclesiasticorum, qui leprosos propriam habere Ecclesiam non tolerabant, cum ad Ecclesiam publicam non admitterentur. Concilium igitur statuit, ut ubicunque tot leprosi in Congregatione degunt magno numero, Ecclesiam sibi, Cœmeterium & Presbyterum habeant, quia procul a pietate Christiana esse dignoscitur hæc remedia innocentibus denegare. Iidem a persolvendis decimis hortorum & pecorum suorum eximuntur. Constitutionem ista antiquiorem de leprosorum Domibus non notavi.

c. 20.

c. 21. 22.

Sup. lib. LX. §. 41.

c. 25.

c. 23.

c. 24. A Communione Ecclesiæ præciduntur Christiani, quorum animos sæva cupiditas usque adeo occupavit, ut Saracenis arma, ferrum, ac ligna construendis

dis

dis triremibus aptissima deferant. Aut qui in piraticis Infidelium navibus regimen & navarchi curam suscipere non erubescunt. Præcipitur, ut ista excommunicationis sententia crebro & solemni ritu per Ecclesias urbium maritimarum proferatur. Dynastæ & Consules civitatum bona reorum Fisco addicant, & ipsi Saracenorum adjutores si capiantur, ejus a quo capti fuerint, mancipia sint. Excommunicationis quoque pœnæ subduntur, qui Romanos aut alios Christianos, mercatus aut alterius honesti negotii causa navigantes, capiunt vel spoliant, vel alios naufragia passos, quibus ut fratribus succurrere tenentur, rebus suis exuunt. Judæis aut Saracenis servos Christianos domi habere quocunque demum prætextu non liceat. Testimonium Christianorum contra Judæos, sicut Judæorum contra Christianos, recipiatur. Bona Judæorum conversorum serventur, nec liceat Optimatibus aut Magistratibus eos vel re minima spoliare. Qui aliquid eis ademerint excommunicationi subjaceant. Sæcul. XII. A.C. 1179. c. 26.

§. XXII.

Pœnæ Hæreticorum.

Ultimus Concilii Canon scriptus est in hunc modum: *Quamquam Ecclesiastica Disciplina, sicut ait Beatus Leo, cruen-* c. 27. *Leo ep.* 15. *al.* 93. *ad Turib.*

Sæcul. XII. A.C. 1179.

cruentas rejiciat ultiones, Catholicorum tamen Principum Legibus adjuvatur, & sæpe quærunt homines salutare remedium, cum metuunt corporis supplicium. Quia igitur Hæretici, qui dicuntur Catharri, Patareni seu Publicani in Vasconia, in Territorio Albigensi, in partibus Tolosanis aliisque locis, usque adeo invaluerunt, ut jam non in occulto nequitiam suam exerant, sed errores publice manifestent, eos, & eorum fautores, defensores ac receptores, anathemati subjacere decernimus. Si in hoc peccato decesserint, nulla Oblatio pro eis fiat, & inter alios Christianos in loco benedicto non sepeliantur.

Sup. Lib. XXVII. §. 10.

De Brabantionibus, Arragonibus, Navarris, Bascolis, Coterellis & Triaverdinis, qui inaudita immanitate nec Ecclesiis, nec Monasteriis, nec viduis, nec pupillis, nulli ætati, nec sexui parcunt, sed more Paganorum omnia perdunt, & vastant, similiter constituimus, ut qui eos conduxerint, retinuerint, vel foverint, in Dominicis & aliis Festis publice excommunicati denuncientur, nec postea ad Communionem Ecclesiæ, nisi societate illa pestifera & Hæresi abjuratis, recipiantur. Noverint autem, quicunque aliquo pacto illis fuerint annexi, se ab omni fide, etiam juramento promissa, solutos esse ac liberos. Contra, ipsis, omnibusque

busque Fidelibus in remiſſionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus ſe virili conſtantia opponant & adverſus perverſos armis populum Chriſtianum tueantur. Perditorum iſtorum hominum bona addicentur ærario Principum, quibus liceat eos in ſervitutem redigere. Qui autem in ſacra hac militia pœnitentes vitam poſuerint, non dubitent, ſe peccatorum ſuorum indulgentiam & fructum mercedis æternæ percepturos. Nosque illis piis Fidelibus, qui contra immanes Hæreticos arma ceperint, biennium de pœnitentia injuncta relaxamus, & Epiſcoporum prudentiæ committimus, ut ſecundum modum laboris, major eis indulgentia tribuatur. Interim vero ſacros hos milites, ſicut eos qui ſepulchrum Dominicum viſunt, ſub Eccleſiæ defenſione eſſe volumus. At illos, qui ab Epiſcopis admoniti, arma ſumere recuſaverint, a perceptione corporis & ſanguinis Domini jubemus eſſe alienos. Coterelli illi ſeu vulgo *Routiers*, ut a quibusdam vocabantur, erant copiæ ex variis gentibus collectæ, nulla diſciplina militari & nulla Religione adſtrictæ, quarum opera Optimates ad bella privata ſeu verius ad latrocinia utebantur. In hoc Canone concordiam utriusque poteſtatis Eccleſiaſticæ & Sæcularis, innixam S. Leonis auctoritate, quæ in exordio commemoratur,

Sæcul. XII. A.C. 1179.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

ratur, dispicimus. Scilicet Ecclesia proprio jure sententiam excommunicationis profert, vetat pro reis Sacrificia offerri, & ritu Christiano sepeliri, sed adhibet auxilium Legum & auctoritatem Principum, cum circa juramentum Fidelitatis dispensat, cum jubet contra reos arma capi, res eorum ærario Principis addici, & servituti subjici. Rursus utitur jure suo, cum labores militantium pro remissione peccatorum acceptat, ac duorum annorum Indulgentiam annectit.

Ista non in hoc solum Canone, sed etiam in aliis similibus necessario discernenda sunt.

§. XXIII.

Error Petri Lombardi.

In Concilio Lateranensi Alexander Papa hanc Propositionem Petri Lombardi Episcopi Parisiensis: *JEsus Christus, ut homo, non est aliquid*, damnare animo constituerat; sed aliqui ex Cardinalibus responderunt: *Domine, alia & majora restant nobis pertractanda. Quin imo*, reposuit Papa, *primum & gravissimum negotium pertractandum, causa Fidei est & Hæreticorum.* Mox Cardinales illi ex Consistorio exeunt, quos, Episcopus quidam ex Cambria Ada-

Gualt. de S. Vict. MS. du Boullai Hist. univ. to. 2. p. 431.

Adamus, secutus ad Papam ait: *Domine, ego, olim Petri scholis præpositus, Magistri & Præceptoris mei doctrinam omnibus viribus defendam.* Adamus erat Episcopus *S. Asaf*, olim Petri Lombardi Discipulus, & Joannis Saresberiensis Magister. Tunc ergo quæstio illa in Concilio non fuit discussa; sed haud multo post tempore Alexander Papa Guilielmum Archiepiscopum Remensem Legatum suum, qui Concilio interfuerat, datis literis, jussit Magistros Scholarum Parisiensis, Remensis, aliarumque in illa regione positarum urbium, convocare, iisque auctoritate Papali, adjecta anathematis comminatione prohibere, ne quisquam inposterum affirmare audeat, quod *JEsus Christus, ut homo, non sit aliquid.*

Sæcul. XII. A.C. 1179.

Sup. Lib. LXX. §. 35. LXXII. §. 54.

Jam annis abhinc aliquot Papa, data in eadem causa ad hunc Guilielmum, cum adhuc Archiepiscopus Senonensis esset, Epistola, præceperat, ut Suffraganeis suis, aliisque spectatæ pietatis & prudentiæ viris congregatis, districte interdiceret, ne quis illam Propositionem doceret.

du Boullay ep. 403. & to. 10. Conc. p. 1529. Matth. Par.

Porro Petri Lombardi doctrinam nemo acrius aggressus est, ac Gualterius S. Victoris, Doctor celeberrimus, hujus Abbatiæ Prior numero sextus, & Successor notissimi Richardi, die decima Mar-

Sæcul. XII. A.C. 1179.

tii, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio vita functi, cujus Scripta, non pauca, ad nos usque pervenerunt, pleraque ad excitandam Fidelium pietatem idonea. Gualterii vero opera non fuere typis edita, ſed ſuperſunt Manuſcripti libri quatuor hoc Titulo: *Adverſus Hæreſes manifeſtas, & in Conciliis damnatas, quas defendunt Sophiſtæ Abaelardus, Lombardus, Petrus Pictavienſis, & Gilbertus Porretanus.* Hos tres Franciæ Labyrinthos appellat, dicitque, ideo a vero aberraſſe temerarios, quod Ariſtotelis Dialecticam ſecuti fuiſſent, atque Myſteria Trinitatis & Incarnationis ſcholaſtica levitate pertractaſſent. Ceterum ex auctoritate Sacræ Scripturæ & SS. Patrum eos oppugnat.

§. XXIV.

Epiſcopi Germaniæ.

Arnold. Chr. Slav. II c. 28.

Multos viros Eccleſiaſticos Schismaticos ex Germania veniam obtinendi ſpes ad Concilium Lateranenſe pertraxerat. Adfuere Eccleſiæ Halberſtadienſis Clerici Monachique; eam enim ab unitate Eccleſiæ Catholicæ Gero Epiſcopus diviſerat. Gratiam petentibus ignovit tamen Alexander Papa, quod Gero non ab Epiſcopo Schismatico, ſed ab Hartwico Archiepiſcopo Bremenſi Catholico ordinatus fuiſſet. Itaque Clericis,

Clericis, a Gerone ordinatis, non ſolum miniſteria ſua obire, ſed etiam ad altiores Ordines aſcendere permiſſum, & ipſi Geroni Epiſcopali munere ubique fungendi licentia data. Chriſtianus vero Archiepiſcopus Moguntinus, & Philippus Colonienſis, abjurato ſchismate, Palliisque, quæ ab Antipapis acceperant, abjectis, nova ab Hiacyntho Cardinali ſibi collata induerunt. Porro Balduinus, Archiepiſcopus Bremenſis *, anno ſuperiore milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo, illa die, qua tota ſi ſuperſtes manſiſſet ei per literas ſententia depoſitionis ſuæ fuiſſet indicata, exceſſit e vita.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

Chro. Halb. an. 1179.

* Veriſimiliter Hartvvici Succeſſor.

Sede igitur Bremenſi vacante, Magiſter Bertoldus Epiſcopus eligitur, contra quam electionem ſolus Capituli Præpoſitus Otto reclamavit. Bertoldus ad Concilium Lateranenſe venit, atque a Summo Pontifice ordinari petiit, quod ſibi denegari poſſe, ne quidem ſuſpicabatur. Sed cum prima die in Concilio nec invitatus nec Ordine Presbyteratus initiatus inter Epiſcopos conſediſſet, plurimos vehementer offenderat. Altera die quidam Scientiarum Magiſter, Gerardus nomine, cum Bertholdum in Summi Pontificis conſpectum deduxiſſet, *Vir eſt*, inquit, *optimis moribus, artibus liberalibus, Sacræ Scripturæ lectio-*

Sæcul. XII. A.C. 1179.

ne, Decretorum & Legum scientia instructus, denique omnium suffragiis electus. In fine addidit: *Is rogat te, Sancte Pater, ut eum hodie Presbyterum, & cras Episcopum ordines.* Cui Papa: *Credo, quæ dicis; sed Apostolus nos* 1. Tim. 5. 22. *monet: Manus cito nemini imposueris. Consulam Fratres meos, & electionis modum ad examen vocabimus.* Cardinalibus deinde duobus, Legatos Ecclesiæ Bremensis de peracta electione interrogantibus, non consentientia sed diversa responderunt. Tum Papa in Consistorio sententiam tulit in hunc modum: *Fratres mei! vidi Electum vestrum; non habeo, quod reprehendam de ejus persona, laudo scientiam, facundiam, moresque, quantum mihi cogniti sunt. Sed electionis ratio mihi non probatur; electus est, necdum susceptis Sacris Ordinibus, & adhuc gaudens libertate ducendi uxorem. Præterea ad nos delatum est, Appellationem interjectam, & Appellantem ad silendum fuisse compulsum. Electum vestrum voluisse & effecisse, ut secundo eligeretur, sicque primam electionem nullam fuisse confessum. Tandem Sacris Ordinibus non initiatam Investituram ab Imperatore accepisse. Quia igitur, tot adjunctis contra Canones pugnantibus, dispensare vix licet, electionem vestram cassam esse & irritam declaramus.* Ubi Pontifex,

fex hæc elocutus est, Bertoldo ad objecta respondere parante, qui a cubiculis Alexandri erant, exclamarunt vocibus Italicis: *Levate! andate, andate!* Sigefridus postea Brandeburgensis Alberti Marchionis filius Archiepiscopus Bremensis electus est. Sæcul. XII. A.C. 1179.

In eodem Concilio Lateranensi Papa duos Episcopos Anglos, duosque Scotos consecravit, quorum alter unum habens equum, alter pedibus cum uno itineris socio Romam venerat. Adfuit quoque aliquis ex Hibernia Episcopus, cujus opes universæ in lacte trium vaccarum sitæ erant; sed, earum mammis exarentibus, fideles Diœcesani buculas subrogabant. *Halbstad.*

Præterea in hoc Concilio Alexander duos creavit Cardinales, Guilielmum Archiepiscopum Remensem, Regis Franciæ Cognatum, Tituli S. Sabinæ, & Henricum Abbatem Claræ-vallensem, postea Episcopum Albanensem. Fuerat is Abbas in *Hautecombe*, unde Claramvallem anno millesimo centesimo septuagesimo sexto translatus est. Ipso deinde ad Ordinem Cardinalium evecto, Petrus Abbas Igniacensis ad Insulam Claræ-vallensem gestandam vocatus. *Roger. Hoved. Chron. Claravall.*

§. XXV.

S. Laurentius Dublinensis.

In Concilio Lateranensi tandem Alexan- *vit. ap. Sur.*

 14. *Nov.*

Sæcul. XII. A.C. 1179.

der Papa Legati Sedis Apostolicæ potestatem contulit Laurentio, Dublinensi in Hibernia Archiepiscopo, cujus vita memoratu digna videtur. Is in Hibernia, & Diœcesi Glandelacensi, quæ postmodum Dublinensi conjuncta est, ex nobili prosapia natus, cum ad annum decimum perveniisset, ipsius pater Episcopum rogavit, ut missis sortibus exquireret, quem filiorum suorum Deo & Ordini Clericali dicare deberet. Tunc puer Laurentius patri & Episcopo arridens, non est opus sortibus, ait, sponte mea inter Clericos vivere cupio. Consensit parens, & filium manu prehensum Deo ac S. Coengino, Diœcesis illius Patrono, obtulit. Fuerat Coenginus S. Abbas in eodem loco, sæculo sexto, vitam degens, quem Ecclesia die tertia Junii honorat, atque ibidem condiderat Monasterium, postea Ecclesia Cathedrali multo opulentius, in quo Laurentius anno ætatis vigesimo quinto Abbas electus est. Aliquot exinde annis elapsis, Episcopo Glandelacensi vita functo, Clerici per suffragia Laurentium suffecerunt, qui munus oblatum recipere recusavit, dicens, gravius esse onus Episcopi, quam ut illud juvenis ferre posset. Post longum deinde temporis spatium, Gregorio Archiepiscopo Dublinensi rebus humanis erepto, complures quidem Sedem vacantem

c. 4.

Boll. to. 19. *p.* 310.

c. 6.

c. 10.

cantem ambiebant, alii generis nobilitate, alii doctrinæ suæ fama tumidi; ubi vero Canonici ad eligendum Archiepiscopum convenerunt, antea dissentientium suffragiis subito conciliatis, Laurentius Abbas, licet invitus, Antistes Dublinensis nominatus est ab omnibus. Sæcul. XII. A.C. 1179.

S. Laurentius, Canonicorum Sæcularium, quos in Ecclesia sua Cathedrali invenerat, mutato Instituto, alios Regulares invexit, ex Congregatione Abbatiæ Aroasiensis, annis abhinc octoginta in Diœcesi Attrebatensi fundatæ, & ipse jam Archiepiscopus hanc disciplinam amplexus est, quam, superaddito rigore singulari, in se ipso multo magis austeram effecit; quippe diu noctuque cilicio carnem macerabat, terque singulis diebus a Clericis suis flagello cædi volebat. Quotidie ipso præsente triginta saltem pauperibus mensa instruebatur. In Angliam profectus, ut negotia Ecclesiæ suæ curaret, Regem Henricum Cantuariæ commorantem adiit, tumque, postquam ad tumulum S. Thomæ orans pernoctasset, ubi illuxit, a Monachis rogatus, solemni ritu Sacris operari parabat. Ecce vero, Archiepiscopo vestes Pontificales induto, ad Altare procedente, cum quidam mente captus a pluribus circumstantibus affirmari audiret, Laurentium virum esse sanctitatis eximiæ, insigni

c. 11. 12.

Gall. Chro. to. 4. *p.* 95.

c. 13.

c. 19.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

stultitia sibi finxit, persuasitque, rem maximi meriti se præstiturum, si Martyrii Lauream, quam S. Thomas consecutus erat, etiam Laurentio Archiepiscopo tribueret. Ergo nodoso fuste armatus populi cuneos, facto impetu, perrumpit, & omnibus viribus adhibitis Præsulem ferit in capite. Procidit ille ad cornu Altaris, monachique & ceteri præsentes, lethalem sine dubio ictum fuisse rati, erumpentibus lacrymis proni in terram se demittunt. At brevi post S. Præsul levato capite, aquam benedixit, & vulnus lavari præcepit. Stetit sanguis, moxque sanatus Missam inchoavit atque ad finem perduxit. Auctor vitæ ipsius se hoc prodigium oculis suis conspexisse affirmat. Jusserat Rex miserrimum percussorem cruci affigi; sed S. Vir instantissimis precibus obtinuit, ut tantum facinus ei impunitum abiret.

A Concilio Lateranensi, cum S. Sedis Legati Titulo reversus S. Laurentius, auctoritatem suam ad premendos in Hibernia Ecclesiæ abusus adhibuit. Nullum autem vitium ferventius quam incontinentiam Clericorum persecutus est, & quamvis reos ipse potuisset absolvere, eos tamen ad Papam mittebat; unde aliquando Presbyteros centum quadraginta absolvendos Romam iter jussit arripere. Post Concilium vero Late-

c. 23.

c. 31.

Lateranense, vix biennio superstes, obiit in Normannia, quo trajiciendi hæc nata erat occasio. Acri jurgio inter Henricum II. Regem Angliæ & Deronogum ceteris Regibus Hiberniæ potentiorem exorto, Archiepiscopus in Angliam navigavit, Principum animos mitigaturus. Verum Rex Henricus non modo Laurentium ad alloquium non admisit, sed etiam in Hiberniam revehi prohibuit. Inter hæc cum Rex in Normanniam transmisisset, Archiepiscopus postquam eum tribus septimanis in Monasterio Abendonensi expectavit, transfretantem sequi statuit, & Dubri navem conscendit. Verum, ubi oppidum, vulgo *Guissant*, contigit, violenta febre correptus, & extrema sibi imminere sentiens, electo in hac via loco, ubi acquiescere posset, ad Abbatiam Austiensem*, in finibus Normanniæ & Diœcesi Rotomagensi positam, divertit, quæ anno millesimo centesimo decimo nono pro Canonicis Regularibus Congregationis S. Victoris Parisiis fundata, tunc ab Osberto Abbate, ordine sexto, regebatur. Quamprimum advenit seque lecto commisit Archiepiscopus, vocato Abbate, confessus est, & Viaticum accepit. Post aliquot exinde dies infirmorum unctione munitus, non nullis eum monentibus, ut ultimam suam voluntatem testamen-

Sæcul. XII. A.C.1179.

* Eu.

Gall. Chro. to.4. p.105.

Neustria pia. p. 694. vit. c. 32.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

ſtamento aperiret, reſpondit: *Deus novit, mihi ſub ſole nec obolum ſupereſſe.* Ita Sabbato, die decima quarta Novembris, anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo mortuus, in Eccleſia Auſtienſi ſepelitur, & nunc poſt annum obitus quadrageſimum quartum, qui milleſimus ducenteſimus vigeſimus quintus a reparata humani generis ſalute volvebatur, ab Honorio Papa III. Sanctorum numero adſcriptus, ipſa die qua animam egit, ab Eccleſia Catholica colitur.

Mart. Rom. 14. *Nov.*

§. XXVI.

Philippus Regis Franciæ Filius coronatur.

Rigord. de geſt. Philipp.

Rex Franciæ, corpore infirmo, atque ætate ad ſenectutem vergente, propemodum enim ſexagenarius erat, Pariſiis, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo nono, Præſules omnes Principesque Regni ſui ad Mauritii Epiſcopi Palatium convocavit; ubi ſolus Oratorium ingreſſus, preces ad Deum fudit, ut in omnibus negotiis arduis ſolitus erat. Tum ſingulis Epiſcopis & Optimatibus ad ſe accerſitis, quod animo conſtituerat, aperuit; velle ſe, ut Philippo filio ſuo in Feſto Aſſumtionis S. Virginis ab Epiſcopis ſolemni ritu Regni Franciæ corona imponeretur, omnes Regis

gis consilium laudarunt. Sed ecce, præ- Sæcul. XII.
stituta die adveniente juvenis Princeps, A. C. 1179.
qui annum vitæ decimum quartum numerabat, feras in silvis persequens, cum a via aberrasset, & sociorum neminem conspiceret, subito terrore consternatus in febrim incidit, morbo deinde ingravescente, coronatio dilata est.

Rex vero Parens Ludovicus amare filii casum lugens in somnis monetur; peregrinationem ad sepulchrum S. Thomæ Cantuariensis susciperet, si filium salvum esse cuperet. Hinc ad Regem Henricum missis nunciis, licentiam in Angliam trajiciendi, & securitatem petiit, qua obtenta profectionem, quam complures amici dissuadebant, exorsus est, Philippo Comite Flandriæ, Balduino Comite Guinæ, Henrico Duce Lovaniensi, aliisque Optimatibus Principem comitantibus. Dubrim appulsum die Mercurii, vigesima secunda Augusti, anno millesimo centesimo septuagesimo nono, in litore Rex Angliæ, magnam lætitiam & venerationem professus, tanquam Dominum & amicum suum excepit, ipsumque & omnes itineris socios suis sumtibus aluit. Altera die, Vigilia S. Bartholomæi, Henricus Regem Franciæ Cantuariam ad tumulum S. Thomæ deduxit, ubi craterem aureum miræ magnitudinis obtulit; monachis vero in singulos annos

Roger. Hoved. p. 592.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

annos & perpetuo jure centum dolia vini, Possiaco ex Francia transvehenda scripsit, addito privilegio immunitatis ab omnis generis vectigalibus, pro rebus quibuscunque, quæ in Francia ad usum monachorum Cantuariensium deinceps emerentur.

Rex Ludovicus, consumto ibi triduo reversus, ad oppidum *Guissand*, die Dominica, vigesima sexta Augusti pervenit.

Ibi cum filium sanitati restitutum habuisset, datis literis, omnes Regni Episcopos Principesque ad Festum Omnium Sanctorum Remos convenire jussit, coronationi & unctioni filii interfuturos. Guilielmus, nuper Cardinalis creatus, Archiepiscopus Remensis, Sacræ Sedis Legatus, Principis coronandi Avunculus, hoc munere defunctus est, Archiepiscopis Turonensi, Bituricensi, Senonensi, ac cunctis ferme Franciæ Episcopis assistentibus. Henricus junior Rex Angliæ, ut Dux Normanniæ, ante procedentem Philippum, ab ejus conclavi usque ad Ecclesiam, coronam, quæ juvenis Regis capiti imponenda erat, portavit. Philippus Comes Flandriæ gladium prætulit, alii Optimates præcedentes & consequentes varia Regiæ Majestati debita officia obierunt. Verum Regi Ludovico Consecrationi filii sui adesse non licuit;

cuit; nam ex Anglia redux, cum ad S. Dionysium pergeret, in itinere frigescentibus subito membris paralysi affectus est, quæ mediam corporis partem omni sensu privavit. In Dominica post Festum Omnium Sanctorum, die quarta Novembris, Guilielmus Archiepiscopus Remis Concilium cum omnibus provinciæ suæ Episcopis celebravit. Sæcul. XII. A.C. 1179. *Auct. Aquicinct. an.* 1179.

§. XXVII.

Schisma in Scotia.

In Scotia Ecclesiam S. Andreæ, Richardo Episcopo ad æterna translato, Schisma divisit. Quippe Canonici Magistrum Joannem elegerunt, contra vero Guilielmus Rex Hugonem Capellanum suum, a se nominatum, ab Episcopis Regni sui consecrari jussit, insuperhabita appellatione, qua Joannes Adversarios suos ad Papam, litis hujus Judicem futurum, provocaverat. Alexander Papa Alexium Ecclesiæ Romanæ Subdiaconum in Scotiam misit, qui Hugone, tanquam vi intruso, deposito, & confirmata Joannis electione, eundem ordinari præcepit, ex licentia Regis, qui, id suadentibus Episcopis, consenserat, ut censura Interdicti, cui Legatus Diœcesim S. Andreæ subjecerat, tolleretur. Quo facto statim Rex Joannem regno suo exesse jussit. Hugo autem ut Episcopum se gerens, sicut *Roger. Hoved.* *Alex. III. ep.* 55.

Sæcul. XII. A.C. 1179.

cut antea, viæ se dedit, Romam iturus, Oratorii Episcopalis supellectilem, cum annulo & Pedo auferens. Quare ab Alexio Legato excommunicatur, eamque deinde sententiam Papa, data ad Præsules Scotiæ & speciatim ad Clericos Sancti Andreæ Epistola, confirmavit. ep. 56.

Sed ulterius progressus est Papa; nam Legatione in Scotia Rogerio Archiepiscopo Eboracensi collata, jussit eum & Hugonem Episcopum Dunelmensem in Regem Scotiæ Censuram Excommunicationis ferre, ejusque Regnum Interdicto subjicere, nisi Joannem Episcopum quieta possessione Ecclesiæ S. Andreæ frui sineret. Joanni vero, data Epistola, præcepit, ne Sedem hanc vel metu vel quacunque alia ex causa desereret, aut aliam hac dimissa reciperet, adjecta pœna, si id faceret, utraque Ecclesia cariturum. Regi Scotiæ quoque scripsit comminatus, nisi obtemperaret, se ejus Regnum iterum alteri subjecturum (haud dubie potestati Regis Angliæ) sed Rex Scotiæ Guilielmus, spretis his minis, Joannem Episcopum S. Andreæ, ejusque propinquum Matthæum Episcopum Aberdonienſem e Regno suo expulit. Quare Archiepiscopus Eboracensis, Episcopus Dunelmensis, & Alexius Legatus, ut mandata Pontificis exequerentur, Censuram ep. 57.

ſuram excommunicationis in Regem, & Interdicti in Regnum protulerunt. Sæcul. XII. A. C. 1180.

§. XXVIII.

Lando Antipapa vela contrahit.

Hoc anno milleſimo centeſimo octogeſimo Alexander Papa Landonem Antipapam, qui Innocentius III. vocari ambiebat, domuit. Quippe Alexander, hujus rebellis ſuperbiam multo magis indignatus quam ejus Anteceſſorum, quibus Imperator, multique alii Sectatores, favebant, poſtquam cum Cardinalibus conſultaſſet, ipſis ſuadentibus, eorum Collegis reconciliatus eſt Propinquis Antipapæ Octaviani, cujus frater Landoni præſidium præſtabat. Ab eo igitur, data magna pecuniæ vi, Arcem Palumbarum, hujus Antipapæ receptaculum, coemit, ſicque Hugonis Cardinalis, alio nomine Hugucionis, ex Petri Leonis proſapia orti induſtria, Landonem cepit. Ipſe, ad Papæ pedes ſupplex demiſſus, ad Cavas cum ſociis in exilium deportatus eſt. Tam paucos autem aſſeclas habuit, ut plerique Scriptorum nullam de eo mentionem faciant. Ergo non ante quam Landone capto Schisma penitus extinctum eſt.

Sup. §. 2.

Auct. Aquicinct. an. 1179. v. Pag. 1180.

§. XXIX.

Sæcul. XII. A.C. 1180.

§. XXIX.

Ludovici VII. obitus. Philippus Augustus Rex.

In Francia Philippus Rex adolescens, cum Isabellam * Balduini, Comitis Hannoviæ filiam, duxisset, iterum coronam sibi imposuit, ac simul cum eo, in Festo Ascensionis, die vigesima nona Maji, anno millesimo centesimo octogesimo, uxor inuncta est. Hæ Cæremoniæ in Monasterio S. Dionysii a Guidone Archiepiscopo Senonensi peractæ; qua re Guido Archiepiscopus Remensis acriter offensus querelas ad Papam detulit. Eo acerbius vero dolebat, quod Rex adolescens, excusso timore parentis paralytici, alieno a Regina matre & a se avunculo suo esset animo, totusque consilia a Comite Flandriæ suggesta sequeretur. His Rex Ludovicus non plus mensibus sex & diebus quatuordecim supervixit, obiitque Parisiis die Jovis, decima octava Septembris, eodem anno, sexagenarius, postquam a morte patris sui annos quadraginta tres sceptrum rotasset. Sepultus est in Abbatia Barbeelensi, quam ipse anno millesimo centesimo quadragesimo septimo fundaverat, Ordinis Cisterciensis, prope Melodunum sitam. Ceterum Ludovici Regis pietatem testatam

* Elisabetham.

Rog. Hoved. p. 593. Rigord an. 1 Auct. Aquicinct.

Gall. Chro. to. 4. p. 125. Alex. ep. 53. to. 10. Conc. p. 1326.

ſtatam facit quædam Alexandri Papæ III. Epiſtola, anno milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, quo Senonibus verſabatur, data; ex ea enim diſpicimus, quod tribus anni temporibus jejunium Quadrageſimale ſervaverit, nempe Quadrageſimam majorem, Adventum, & Jejunium S. Martini ab Octava Omnium Sanctorum usque ad Adventum (*). Præterea quod Feria ſexta toto anno ſingulari rigore a cibo abſtinuerit. Itaque Philippus filius ejus Regni habenas ſolus capeſſivit, annos natus quindecim, atque annos quadraginta duos in ſolio paterno ſedit. Adhuc viventi datum eſt cognomentum *Auguſtus*, quo celeberrimus hodieque habetur.

Sæcul. XII. A. C. 1180.

Rigord. Prol.

§. XXX.

Petrus Cellenſis, Epiſcopus Carnotenſis.

Joannes Saresberienſis, Epiſcopus Carnotenſis, mortem oppetiit eodem anno milleſimo centeſimo octogeſimo die vigeſi-

Chro. Rob. S. Mar. Suv. lib. LXXII. §. 53.

(*) Si non erravit in nomine Fleurius, duo tantum & non tria dici poſſunt jejunia; cum a Feſto S. Martini usque ad Natalem Domini ſit tempus continuum.

Sæcul. XII. A.C. 1180.

vigesima quinta Octobris, postquam annos quatuor & tres prope menses in illa Cathedra sedisset. Corpusque ejus in Abbatia Josaphat prope Carnotum terræ mandatum. Præter duo illa Opera, videlicet Policration & Metalogum, quorum meminimus suo loco, scripsit vitam S. Thomæ Cantuariensis, carissimi Magistri sui, & magnum numerum epistolarum, quarum plus quam trecentæ usque ad nos pervenerunt. In iis multa notatu digna, ad illorum temporum historiam, præcipue ad causam S. Thomæ spectantia, occurrunt.

Sup. lib. LXX. §. 35.

Præf. edit. 1671.

Joannis Saresberiensis in Sede Carnotensi Successor fuit Petrus Cellensis, ejus amicus in paucis dilectus. Is a prima ætate ad S. Martinum de pratis prope Parisios versatus, sub annum millesimum centesimum quinquagesimum Abbas fuit in Diœcesi Trecensi Monasterii Cellensis, unde nomen traxit, quamvis postea Remos ad Abbatiam S. Remigii translatus fuerit, anno millesimo centesimo sexagesimo secundo. Tandem, anno millesimo centesimo octogesimo, Episcopus Carnotensis electus, huic Ecclesiæ annos septem præfuit, vir Doctrinæ & virtutis laude celeberrimus, summis Ecclesiæ Præsulibus notus; quod ex ipsius Epistolis cognoscimus. Cum esset Abbas ad S. Remigium, eum Alexander

Post ep. Pet. Cell. & to. 10. Conc. p. 1247.

xander III. Papa ſæpe Judicem conſtituit, non modo in negotiis Eccleſiaſticis, ſed etiam in cauſa Laicorum de uſuris, de pupillis, & de Crucigeris Hieroſolymam peregrinantibus. Nam illa ætate de his cauſis Eccleſia jure poſſeſſionis judicabat. Atque ex his exemplis, quid in aliis provinciis actum fuerit, conjicere poſſumus. Sæcul. XII. A.C. 1180.

§. XXXI.

Quæſtio de Deo Mahometis.

Manuel Comnenus Imperator paucis diebus Regi Ludovico juniori ſuperſtes fuit; nam menſe Februario ejusdem anni milleſimi centeſimi octogeſimi exeunte, Indictione decima tertia, in morbum incidit, cum quæſtionem Theologicam diſcuteret, quæ demum poſt menſes tres definita eſt. In Catechismo Græcorum legebatur Anathematiſmus contra Mahometanorum Deum, nec generantem nec generatum, ſed qui eſſet, ut Græci dicebant, *Holosphyros*, ſeu ſolidus & homogeneus. Ita enim Græci interpretabantur vocem Arabicam *Elsemed*, unum ex illis nominibus, quod Muſulmanni Deo tribuunt. Manuel Imperator autem animo conſtituerat, hunc Anathematismum ex omnibus Catechismi libellis delere, quod diceret; Muſulmannis Fidem Chriſti for- *Nicet. Lib. VII p. 142. ibid. p. 138.*

Sæcul. XII. A.C.1180.

sitan amplexuris scandalo esse, cum, quacunque demum ratione, a Christianis Deo anathema dici scirent. Eo igitur consilio Manuel, Theodosio Patriarcha, atque Episcoporum, qui tunc forte Constantinopoli versabantur, doctissimis & piissimis convocatis, post ornatissimum orationis exordium, quid de illo Anathemate sentiret explicavit. At Præsules simul omnes Imperatoris propositum rejecerunt, quo eorum aures offendebantur, & sensum Anathematismi magna caritate Principi exposuerunt. *Neutiquam enim*, ajebant, *verus Deus devovetur, sed, quod commentus est Mahomet, phantasma Numinis, non generantis. Christiani vero Deum adorant Patrem.*

Nihilominus Imperator a sententia dimoveri non potuit, sed Decreto edito, in quo Imperatores Præsulesque Antecessores ignorantiæ & imprudentiæ arguens, quod istum Anathematismum tolerassent, splendida argumenta ad eum abolendum afferebat. Verum Patriarcha Decretum Imperatoris publice damnavit, affirmans, in eo nova & periculosa doceri. Unde Manuel jam ante ex morbo morosus vehementissime irritatus, Decretum suum in compendium contraxit. Tum Chrysopolim * delatus, ut aere salubriore & quiete frueretur, Episco-

* Scutari

Episcopos virosque scientia sua conspicuos convocavit. Vix autem ex navi descenderant, cum eis occurrit Theodorus Notarius, vir exploratæ solertiæ, ab Imperatore missus; qui excusans ægrotantem Principem ait, neminem hac die in ejus conspectum admitti posse, sed sibi mandatum, ut duas paginas Episcopis prælegeret. Porro una erat illud Scriptum, cujus paulo ante meminimus, & cui ut Præsules subscriberent, Imperator cupiebat, in altera, ad Theodosium Patriarcham aliosque Episcopos directa querebatur Imperator, quod suæ voluntati obsisterent, ac comminabatur, se ampliorem Synodum convocaturum, quin etiam hanc quæstionem ad discutiendum Papæ missurum. Tandem, postquam diu litigatum, Præsules, quamvis ægre, consenserunt; omittendum esse Anathematismum Mahometis Deo dictum, & solummodo ponendum: *Mahometi, toti ejus Doctrinæ, & Sectæ, Anathema!* Hic exorti jurgii, post tres menses, finis fuit (*). Sæcul. XII. A C. 1180.

(*) Quod dicat Manuel, se Quæstionem ad discutiendum Papæ missurum, Testimonium est insigne, ore Imperatoris Græci prolatum, quo demonstratur, non nescivisse Græcos, dubia de Religione, inter ipsos exorta, Romanæ Ecclesiæ aucto-

Sæcul. XII. A. C. 1180.

Catal. Jus G. R. p. 303. Pagi 1179.

Theodosius Patriarcha successerat Charitoni, anno millesimo centesimo septuagesimo septimo mortuo, postquam Sedem

auctoritate solvi posse, nec Communionem ita fuisse abruptam, ut nulla esset.

Ceterum satis rationi congrua fuisse videtur Manuelis Imperatoris de mutando Anathematismo sententia. Quamvis enim Mahometani non credant in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, credere tamen videntur in unum Deum Creatorem Cœli & terræ; & cavendum, ne Christiani Infidelibus vel solam speciem blasphemiæ præbeant.

Quamvis etiam Mahometanorum Deus nihil sit, nisi Phantasma commentitium, non ideo videtur expedire, illud anathematizari. Cui enim bono, figmentum, quod non modo non existit, sed ne quidem existere potest, diris devoveatur? Præterea, quod dicat Imperator, Anathematismum illum Mahometanis, forte fidem Christi amplexuris, scandalum parere, a vero non abhorret. Id enim hodie quoque de Protestantibus nostris exploratissimum est, cum etiam falsissimam erroris vel blasphemiæ speciem (ut alia mittamus, in Cultu Sanctorum) quidam ipsorum Scriptores tanquam Idololatriam suis exhibeant, & non argumentis contra Romano-Catholicam Religionem prolatis, sed putidis mendaciis innumera hominum millia a veritate avertant. Unde prudentissime quicunque calumniandi prætextus his Hypocritis, quantum salva Fidei veritate, & Ecclesiæ unitate licet, subtrahuntur.

Sedem Constantinopolitanam annis quatuordecim tenuisset. Sæcul. XII. A.C 1180.

Theodosius Antiochia oriundus, tum in monte S. Auxentii diu monachus, annis sex Ecclesiam Constantinopolitanam rexit. Ab eo Constitutionem Synodalem accepimus, die trigesima Julii, Indictione duodecima, nempe anno millesimo centesimo septuagesimo nono datam, in qua statuitur; puellam nubere posse consanguineo illius, cui necdum nubilis desponsata fuisset, quod hujusmodi sponsalia essent nulla. *Jus Græco. Ro lib. 2. p. 231.*

§. XXXII.

Manuelis obitus. Alexius Comnenus Imperator.

Theodosius Patriarcha Imperatori, ex gravi morbo decumbenti, fida mente suadebat, dum tempus suppeteret & integris sensibus uteretur, saluti Imperii consuleret, & virum deligeret, cui filii Hæredis sui juventutem committeret. Sed Imperator respondit, se certissime scire, ex hoc morbo non moriturum, sed quatuordecim adhuc annis superstitem futurum. Nempe fidem habebat Astrologis, sibi sanitatem corporis & claras de hostibus victorias blando mendacio pollicentibus. Verumtamen, deficientibus in dies corpo- *Nicet. p. 142.*

Sæcul. XII. A.C. 1180.

ris viribus, ſpem inanem abjecit, &, ſuggerente Patriarcha, brevi Edicto, in quo Aſtrologia damnabatur, ſubſcripſit. Tum cum ipſe venæ ſuæ pulſum manu exploraſſet, femur aliquoties percutiens & alte ingemiſcens, habitum monaſticum ſibi afferri præcepit. Ergo in illa feſtinatione veſte monaſtica ſuper cetera velamenta induitur, licet nimis curta eſſet & indecora. Ita Manuel Imperator ſpiritum emiſit die vigeſima quarta Septembris anno milleſimo centeſimo octogeſimo, ſecundum Græcos anno Mundi ſexies milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo nono, Indictione decima quarta inchoata, poſtquam Græcis imperaſſet annis triginta ſeptem & ſex menſibus, ſepultusque eſt Conſtantinopoli in Monaſterio *Pantocrator*, id eſt, Deo omnipotenti Sacro, ab Irene Imperatrice Matre ſua fundato, ubi Monachi Ordinis S. Antonii, numero ſeptingenti, degebant. Haud diu poſt in illud Monaſterium translata eſt marmoris rubicundi tabula, magnitudine hominis ſtaturam exæquans, quam Manuel Epheſo advehi juſſerat. Ajebantque illum ipſum eſſe lapidem, in quo JEſu Chriſti corpus, de Cruce depoſitum, unctum fuerat.

Cang. C. P. 4. n. 3.

Nicet. VII. n. 3. p. 134.

Manuel Monaſterium quoddam, honori S. Michaelis Sacrum, ubi naves in Pontum Euxinum invehuntur, condiderat,

rat, quo monachos, a perfectionis studio maxime commendatos, collegerat. Ut vero omnem occasionem dissipandi spiritum tolleret, nec agros, nec vineas, nec alias res immobiles iis dedit, sed totum censum ex ærario Principis percipiendum constituit. Præterea renovavit quoddam Nicephori Phocæ Decretum, quo Monasteria plura Bona acquirere prohibebantur, modum vituperare solitus, quo pater suus & avus Monasteria fundaverant, multis agris fertilibus & pratis amplissimis iis collatis. Dicebat, Monachos debere habitare in cavernis, in desertis, & locis ab omni commercio humano remotis, quod mundo renunciassent, nec convenire, ut in urbibus & foris conspicerentur. Querebatur, disciplinam monasticam ita collapsam, ut præter vestem, barbam promissam, ceteraque exteriora vix aliquid supereset. Sæcul. XII. A. C. 1180.

Guilielmus Archiepiscopus Tyriensis, a Concilio Lateranensi rediens, Constantinopolim divertit, unde non ante Feriam quartam Paschalem, vigesimam tertiam Aprilis, hoc anno millesimo centesimo octogesimo digressus est. Is Manuelis Imperatoris magnificentiam, præcipue largitatem in distribuendis eleemosynis, summis laudibus effert, dicitque ejus animam in Cœlum avolasse, *G. Tyr. XXII. c. 4. 5.*

Sæcul. XII. A.C. 1180.

& cunctis suavissimam sui reliquisse memoriam. Unde patet, hunc Præsulem, etsi Latini Ritus esset, Manuelem pro Catholico habuisse. Superius etiam notavimus, quod Manueli Imperatori cum Summo Pontifice Alexandro Epistolarum commercium intercesserit; quare nemo affirmare potest, Manuelis tempore Schisma Græcorum jam fuisse formatum.

Cang. famil. Byz. p. 186.

Successit in Imperio Patri suo Alexius Comnenus, natus circiter annos tredecim, sub tutela Matris suæ Mariæ, Raimundi Principis Antiocheni filiæ, quæ & ipsa ab Alexio Comneno Protevestiario seu Vestiarii Cæsarei præfecto, defuncti Imperatoris Agnato, regi se patiebatur.

§. XXXIII.

Ecclesia Latina in Oriente.

Sanut. III. fidel. Cruc. par. 6. c. ult.

Eodem anno millesimo centesimo octogesimo e vivis excessit Amalricus, Patriarcha Latinus Hierosolymæ, vir simplex, ideoque Ecclesiæ suæ parum utilis. Successit Heraclius, antea Archiepiscopus Latini Ritus Cæsareæ, pessimi exempli pastor, nam publice pellicem domi alebat, quam populus per plateas procedentem, & cultu pretioso splendentem, Patriarchissam appellabat. Cum Heraclius eligeretur palam dicentes audiebantur: *Crucem Domini perditum*

ibit

ibit Heraclius Patriarcha, quæ sub Heraclio Imperatore inventa est. Ita conjicientes a vero neutiquam aberrasse, eventus deinde docuit. Ceterum Heraclius Sedem Hierosolymitanam annis undecim tenuit. Sæcul. XII. A.C. 1180.

Rem vero Regni Hierosolymitani publicam quotidie in pejus ruere nemo erat, qui non videret, invalescente potentia Saladini, qui Ægypto in potestatem redacta, & prolatis in Syria Imperii sui finibus, Damascum occupaverat, omnibusque provinciis a Noradino quondam possessis imminebat. Ita Infidelium vires tunc erant unitæ; cum contra, ante annos octoginta, Francis in Palæstinam irrumpentibus, sub multis Principibus fuissent divisæ. Præterea corrupti Francorum mores robur etiam animorum labefactaverant, postquam bellicæ virtutis & disciplinæ militaris obliti fuissent. Ita de his scripsit Guilielmus Tyrienſis, cum dolens Regni Christiani ruinam mente prospiceret, cujus Regimen, dum Rex Balduinus IV. ad ætatem imperii capacem perveniret, commissum est Raimundo III. Comiti Tripolitano, ex prosapia Raimundi Comitis Tolosani edito, & Regis juvenis Consanguineo. Tum statutum, universas Regni vires Saladino objicere. Atque anno 1177. cum iste urbi Ascaloni exercitum

G. Tyr. XXI. c. 6. 7.

c. 5.

c. 20. 23.

Sæcul XII. A.C. 1180.

citum admoviſſet, Balduinus Rex ſtrenue cum ſuis obvium ſe intulit, ac Saracenos cruento prœlio vicit. Sed non multo poſt Comes Tripolitanus *Harenc*, ſeu *Harem* caſtrum Præfecto Aleppenſi ſubditum obſidens, cum ad extrema de-

c. 25. ducti præſidiarii de neceſſaria deditione deliberarent, militem abſtinere juſſit, ac-

Vie de Saladin. MS. cepta a Soldano juvene *Saleb* Ismael pecunia. Proinde omnibus opinio, jam prius concepta, Comiti cum Saracenis quin & cum Saladino clandeſtina intercedere conſilia, firmata eſt.

c. 26. Anno ſequente milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo Rex Balduinus arcem in ripa Jordanis & loco, qui *Vadum Jacob* dicebatur, extruere molitus eſt, ut incurſionibus latrunculorum Arabum, & militum, qui proxima caſtra tenebant, obſiſtere & impetum frangere poſſet. Locum illum accolæ ita dicebant, quod

Gen. 32. ex antiqua traditione haberent, Jacob ex Meſopotamia redeuntem ibi vado Jordanem tranſiiſſe. Ab aliis hic locus Do-

Palæſtina. mus Jacob vocabatur. Munitionem perfectam Rex Templariorum præſidio

c. 27. tradidit. Verum cum ſperaſſet ſe Barbaros imparatos occupaturum, ipſe in anguſtiis rupium deprehenſus, victusque eſt, complures viri ſpectatæ fortitudi-

c. 28. nis in hoc prœlio ceciderunt, & vix Balduinus fidiſſima ſuorum ope hoſtium

mani-

manibus eripi potuit. Exinde Saladinus victor novam ad Jordanem amnem munitionem obsidet, tumque, hac cura Ducibus suis commissa, ipse cum exercitus parte ad urbem Sidonem movet, ubi edita pugna Crucigeri iterum cæsi, multique capti, quorum numerum auxit Odo a S. Amando, Templariorum Magister, vir improbus & stolide elatus, nec hominum reverens nec Dei. Usque adeo Odo iste a primi Instituti ratione defecerat. Hæc clades Christianis decima die Aprilis anno millesimo centesimo septuagesimo nono illata. Saladinus vero, captam arcem ad Vadum Jacob solo æquavit. Sæcul. XII. A.C. 1180. c. 29.

Alexander Papa receptis nunciis, tristem Palæstinæ sortem afferentibus, duas scripsit Epistolas, alteram ad omnes Principes Fidelesque, alteram ad omnes Episcopos & Abbates, utramque Tusculani sexta Januarii datam. In iis extremum periculum Urbis Hierosolymitanæ refert; cum in Rege Balduino, lepra affecto, parum opis esset, & Palæstina viris manu consilioque fortibus destitueretur. Tum hortatur; ad præstandum celeriter auxilium iter arriperent. Eum quippe ne quidem Christianum dici posse, quem Terræ Sanctæ jactura non tangeret. Proficiscentibus promittit Indulgentiam ab Urbano II. & Eugenio IV. *Alex. ep.* 59. 60.

conces-

Sæcul. XII. A. C. 1181.

conceſſam, eorumque uxores, liberos, bona ſub tutelam Eccleſiæ ſuſcipit. Poteſtatem facit, qua pecunias, iter facientibus neceſſarias, mutuas accipiant, & patrimonium ſuum Clericis, aliisve pignori dent, ſi nihil æris a propinquis ſuis vel feudorum Dominis impetrare poſſint. In Epiſtola ad Præſules præcipit Pontifex, ut e cathedris Fideles ad bellum ſacrum excitarent, & in Epiſtola ſuperiore contenta ubique ſervari curarent. Has autem Epiſtolas deferebant Templarii & Hoſpitalarii, qui eas ambobus Regibus, Philippo Franciæ & Henrico Angliæ, ad colloquendum in Normannia die Lunæ vigeſima ſeptima Aprilis anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo congreſſis reddiderunt. Duo Reges Terræ Sanctæ calamitate vehementer commoti, ſe auxilia acceleraturos promiſerunt; atque tunc ita in diverſa abierunt.

Roger. Hov. p. 611.

§. XXXIV.

Eccleſia Angliæ.

Goduin. de Præſ. Angl. p. 344.

Eccleſia Lincolnienſis Epiſcopum non habuerat, ex quo Robertus Cheſneus anno milleſimo centeſimo ſexageſimo ſeptimo octava Januarii e vita migraverat. Quamvis enim poſt ſeptem ab ejus obitu annos Godefridus, Henrici Regis filius, ex amica genitus, illius

Rog. an. 1174. p. 537.

Eccle-

Ecclesiæ Archidiaconus, Episcopus electus fuerit, perceptis tamen reditibus contentus, nunquam se Presbyterum ordinari & consecrari curavit. Cum ergo septem jam annis ita censibus Ecclesiæ Lincolnienſis frueretur, & ea annis omnino quatuordecim vacaret, Alexander Papa Richardo Archiepiscopo Cantuarienſi districte præcepit, ut adhibitis Censuris Ecclesiasticis Godefridum vel ad renunciandum electioni de se peractæ, vel ad Ordines sine omni cunctatione suscipiendos compelleret. Qua re Godefridus, inscitiæ suæ gnarus, Rege patre, Principibus fratribus suis & compluribus Episcopis id suadentibus, jus suum, per electionem acquisitum, in manibus Archiepiscopi dimisit.

Sæcul. XII. A.C. 1181.

Rog. p. 611.

Gervas. an. 1181, p. 1458.

Rex vero ei Cancellarii aulici munus, addito mille marcarum argenti censu, contulit. Nihilominus Episcopatus Lincolnienſis duobus adhuc annis vacavit.

Guilielmus Rex Scotiæ adhuc dum obstinato animo Joannem ab Episcopatu S. Andreæ excluſum volebat, cujus causam non minus Alexander Papa fulciebat; quam ob rem Rogerius Archiepiscopus Eboracenſis Regem Scotiæ excommunicationis fulmine feriit, ejusque Regnum Interdicto adstrinxit. Verum post breve temporis spatium hic Præsul

Rog. p. 613.

Sæcul. XII. A.C.1181.

Præsul mortalitatem exuit, Sabbato, die vigesima prima Novembris, eodem anno millesimo centesimo octogesimo primo, postquam Eboraci annis viginti septem sedisset. Accusatur, quod, cum esset Archidiaconus Cantuariensis, infami morum licentia notatus fuerit, ac contra eum, qui ideo querelas movebat, crudelem in modum sævierit. Ceterum vir erat doctus, facundus, & in rebus hujus Sæculi gerendis singulari prudentia præditus, sed officii spiritualis negligens. Census Ecclesiæ suæ auxit, multaque extruxit ædificia, nullam enim pecunias congerendi occasionem præterlabi sinebat. Dignitates Ecclesiæ suæ pueris conferebat, tumque specie curam eorum gerendi, ipsorum opes in suum ærarium deducebat. Beneficia Ecclesiastica conferens Clericos improbos & impudicos, ac si id Regulæ loco sibi statuisset, ceteris præferebat. Viros Religiosos tantopere aversabatur, ut diceret, Turstainum Antecessorem suum nulla in re gravius erasse, quam quod Monasterium Fontanense condidisset, & extremo morbo decumbens cuidam Abbati, ipsum roganti, ut Donationes Monasterio suo faventes confirmaret, responderit: *Ecce jam jam morituru sum, & quia Deum timeo, custodiat me, ne quod a me petis faciam.* Nempe perdita

Coll. Lup. 5. ep. 91. Guil. Neubrig. 3. c. 5.

dita omnia existimabat, quæ Regularibus donabantur. Decedens undecim millia marcarum argenti & trecentas marcas auri reliquit, quarum partem pauperibus & Ecclesiis distribuit; sed post ejus obitum Rex omnia occupavit, insuperhabito ejus testamento; namque dicebat, cunctos thesauros in potestate Principum esse, atque mortuum Præsulem sententiam contra seipsum tulisse, cum ab Alexandro Papa Privilegium impetrasset, quo sibi Clericorum e vita decedentium bona, si ea suis manibus ante mortem non fuissent elargiti, etiamsi condidissent testamentum, tanquam propria colligebat. Rogerio defuncto Sedes Eboracensis annis decem vacavit. Sæcul. XII. A.C. 1181. *Matth. Par. an.* 1181.

Querelæ ad Alexandrum Papam delatæ fuerant, quod non nulli Angliæ Episcopi continuo in Curia Principis versarentur, quin etiam Judicia, ubi de patratis criminibus agebatur, pronunciarent, & Sanctum Sacrificium tanquam indigni, non offerrent. Nominatim accusabantur Richardus Wintonienſis, Godefridus Ridel Episcopus Elisienſis, & Joannes Oxonienſis Episcopus Norwicenſis, ambo in causa S. Thomæ Cantuarienſis notissimi. Ergo Papa data ad Richardum Archiepiscopum Epistola hos abusus vehementer indignatus est, addi-

Sæcul. XII. A.C. 1181.

ta comminatione, quod ipsum Archiepiscopum correpturus esset, nisi remedium afferret.

Episcopi in Aula.

Petr. Bles. ep. 84.

Archiepiscopus, seu Petrus Blesensis ipsius nomine, datis ad Papam literis respondit; calumnias ad Pontificis aures perveniisse, & postquam trium illorum Episcoporum merita dilaudavit, demonstrare conatur, semper Ecclesiæ prodesse, quod Episcopi in Curia Regum participes consiliorum sint. *Nec ea res nova est*, inquit, *sicut enim Episcopi inter ceteros homines & Dignitate & sapientia eminent, ita etiam ad regendam Rempublicam aptissimi sunt.* Tum complura exempla veteris Testamenti refert, ubi Reges consilio Prophetarum & Sacerdotum utebantur, & subjungit: *Neutiquam ignorare te oportet, S. Pater! quod, si Episcopi apud Regem non essent, Clerici opprimerentur a Laicis; ubi enim Censuræ Ecclesiasticæ non sufficiunt, auctoritatem Principum in auxilium vocant. Si Rex, ut sæpe fit, innocentibus irascitur, Episcopi precibus suis commotum mitigant. Efficiunt, ut aliquid de rigore sententiæ, contra reos prolatæ, relaxetur, ut audiantur pauperum gemitus, & eorum miseriæ succurratur. Libertatem Clericorum, Monasteriorum quietem, populorum pacem, auctoritatem legum*

Sæcul. XII. A.C.1181.

legum confirmant. Curant, ut Constitutiones Sedis Apostolicæ serventur, Laicos ad cultum Religionis excitant, Ecclesiarum census & opes augent. In omnibus Festis præcipuis Ecclesias suas adeunt, ubi eleemosinarum distributione, viduis & pupillis solatium suggerendo, moves sibi subditorum emendando, aliisque operibus ad officium Pastorum pertinentibus, si quid absentia sua neglectum est, reparant. Contra in Curia Siciliæ Episcopi alii per septennium, alii per decennium commorantur, & tanto temporis spatio nunquam discedunt, ita ut si vel conservatio bonorum Ecclesiasticorum, vel Regimen animarum spectetur, Ecclesiæ nibil intersit, vivantne an mortui sint. Non nunquam Episcopos nostros ab hoc in aula Regis commorandi studio abstrahere conati sumus; sed viri prudentes eorum apud Regem præsentiam Ecclesiæ salutarem existimarunt; horum consilium secuti sunt, licet ibi haud levem tolerare cogantur molestiam, quæ domesticæ quietis desiderium suggerit. Rogo te igitur, Sancte Pater, pensa, an major ratio certissimi, quod inde ad Ecclesiam Anglicanam redit, emolumenti, vel malorum, quæ tibi invidi & improbi homines ut talia perhibuerunt, habenda sit. Tandem voluntatem tuam,

Sæcul. XII. A.C.1181.

& mandata, postquam ea nobis significaveris, demisse exequemur (*).

§. XXXV.

Henricus Legatus Albigenses prosequitur.

Chro. Claraval. an. 1181. Henricus, ex Abbate Claræ-vallensi Cardinalis & Episcopus Albanensis creatus, ab Alexandro Papa, hoc anno millesimo centesimo octogesimo primo, Sacræ Sedis Legatus in Burgundiam missus est; qua potestate munitus, Archiepiscopos duos Lugdunensem & Narbonensem deposuit. Non constat, quod nomen huic Archiepiscopo Lugdunensi fuerit, Guischardi, anno millesimo centesimo septuagesimo nono vita functi, successori. Archiepiscopus vero depositus Narbonensis Petrus Aurelius, Pontii successor, fuisse creditur. Eidem suffectus est in Sede Archiepiscopali Narbonensi Joannes *pulchris manibus*, Episcopus Pictavensis, Præsul scientia conspicuus, quondam S. Thomæ Cantuarriensis in paucis amicus.

Idem

(*) Multa bona præstare possunt Episcopi in Principum aula, si raro eam adeant. Non autem expedit, ut diu ibi morentur, quibus non Reipublicæ, sed Ecclesiæ suæ cura a Christo Domino commissa est.

Idem Legatus Henricus, cum contracto valido exercitu in Albigenſes moviſſet, capta arce Vaurenſi *, quæ hodie urbs Epiſcopalis eſt, Rogerium Bliterenſem & complures alios Dynaſtas ad Hæreſim jurejurando abjiciendam compulit. Porro, Hæreſis iſta, ut Legatus teſtatum facit, in his erroribus ſita erat: *Eorum Magiſtri & Doctores*, inquit, *poſtquam, id ſuadentibus Epiſcopis & Optimatibus, plena libertas & ſecuritas eis promiſſa eſt, confeſſi ſunt, quod, licet Evangelium prædicent, ut ſimplices decipiant, ipſi nihilominus non credant, JEſum Chriſtum fuiſſe verum hominem, eum bibiſſe, comediſſe, egiſſe aut paſſum fuiſſe cetera, quæ Naturæ humanæ conveniunt. Quod non credant, Paſſionem ei vere dolorem creaſſe, fuiſſe vere crucifixum, mortuum, & a mortuis reſurrexiſſe, ſed tantum eorum omnium, quæ in Evangelio referuntur, ſpeciem inanem conſpicientibus fuiſſe objectam. Rejiciunt, & ſimpliciter damnant, quæcunque Eccleſia Romana de Sacrificio Altaris, de Baptismo parvulorum, de Matrimonio, aliisque Sacramentis & Officiis Divinis docet & ſervat. Affirmant, Magnum Satanam ſeu Luciferum Creatorem, & Angelorum, rerumque omnium viſibilium & inviſibilium Deum eſſe. Ipſum Moyſi Legem*

Sæcul. XII. A. C. 1181.

* Lavaur

Chro. Voſienſe p. 326. to. 2. Bibl. Lab.

Sæcul. XII. A.C. 1181.

dediſſe. Dicunt, omnem ſexus diverſi conjunctionem ſive inter conſanguineos ſive inter alios, crimen eſſe. Mulieres, quæ apud ipſos ſunt, fœtus ſuos ſuffocant, & quamvis complures earum gravidæ effectæ ſint, ipſarum tamen ſobolem nemo videt (*). *Hos errores pluresque alios*

(*) Wenn man zu Anfang dieſes Abſatzes lieſet, daß der Cardinal Heinrich, päbſtlicher Legat, ſelbſt ein Kriegsheer wider die Albigenſer angeführet hat, ſo iſt dieſe Sache zu unſern Zeiten nicht mehr üblich.

Da aber finden wir wiederum Albigenſer oder Manichäer, welche alle Beywohnung Mannes und Weibes überhaupt, auch ſo gar die Ehliche, als unerlaubt verwarfen. Es iſt ſchwer zu errathen, warum ſie dieſes Geboth, welches ſie doch ſelbſt nicht hielten, erſonnen; gleichwohl ſcheinet es, ſie müſſen gemeynet haben, das ganze menſchliche Geſchlecht, weil es etwas Böſes wäre, ſolte billig in einem Jahrhundert erlöſchen. So abſcheuenswürdig als nun immer dieſe Sätze ſind, ſo haben doch die Proteſtanten auch die Albigenſer zu Hülf gerufen und ſie als ihre Väter und Vorläufer angenommen. * Daß aber die Albigenſer auch für Manichäer gehalten worden geſteht Mosheim auf der 32. und 33. Seite.

* Mosheim in der Vorrede zur Ketzergeſchichte. Auf der 29. Seite.

Fürwahr einen gründlichen Beweis wider ſeine eigene proteſtantiſche Kirche giebt uns Herr Lorenz Mosheim ſelbſt an die Hand, in ſeiner Vorrede zur Ketzergeſchichte, da er gar keine Meldung

lios confessi sunt & jurejurando damna- Sæcul. XII.
runt, Geraldo Archiepiscopo Auscionensi, A.C. 1181.
Geraldo Episcopo Cadurcensi, & Gosce-
H 4 *lino*

dung von dem Anfang, Aufnahm, Fortsetzung und Zusammenhang einer der römischen katholischen entgegen gesetzten Kirche thut, sondern nur schier alle Irrlehrer mit grosser Erudition beschreibet. Er zeiget uns an den Ursprung der Ketzer, die Zeit, in welcher sie gelebet, die Länder, in welchen sie geschwärmet. Er bekennet, daß allzeit eine römische Kirche gewesen, welche sich diesen Irrlehrern widersetzet hat. Fragt man ihn aber, wann denn seine eigene, oder Luthers Kirche, über 1500 Jahre, nämlich zu was für einer Zeit, in was für einem Lande, unter was für einem römischen Kayser, unter was für einem Pabste sichtbar gewesen sey, so antwortet er auf der 30. Seite: Hat es der HErr erlaubet, daß dieser (der wahre Glaube, und die reformirte Kirche) mit der Schrift eine geraume Zeit, ist vergraben worden, und keine sichtbare Anhänger gehabt hat, so hat er es sonder Streit aus heiligen und gerechten Ursachen erlaubet.

So war denn, nach dem Geständnisse Mosheims, die römische Kirche allzeit sichtbar, alle Ketzereyen und Ketzergemeinden waren auch allzeit sichtbar; denn man weis ihre Lehrer, ihre Urheber, ihre Zeit, ihre Länder. Nur allein die protestantische Kirche, das ist nach der Gedenkungsart und Meynung Mosheims, die wahre Kirche Christi, der wahre Glaube, die heilige

Schrift

Sæcul. XII. A. C. 1181.

lino Episcopo Tolosano præsentibus. Sed Catholicis recedentibus miserrimi hominum ad vomitum, ut canes, redeunt.

Nempe ideo Hæresim abjurabant, ut vim militarem a suis cervicibus amolirentur. Henricus Legatus Capitulo generali Cistercienſium præfuit, & anno sequente Romam repetiit, ubi alium in Petri Cathedra sedentem Pontificem habuit.

§. XXXVI.

Alexandri III. obitus. Lucius III. Papa.

Pagi. an. 1181. Rob. de monte. 1181.

Quippe Alexander III. Papa, postquam Sacram Sedem annos prope viginti duos tenuisset, hoc anno milleſimo centeſimo

---

Schrift hat können vergraben und unbekannt seyn, und keine sichtbare Anhänger durch viele Jahrhundert haben. Nein, Herr Mosheim, diese Antwort kann mit den Worten Christi in der Schrift, die ich schon öfter angeführet, und vielen andern Stellen, einmahl nicht vereinbahret werden. Ja nicht nur allein eine geraume Zeit, wie Mosheim gestehet, sondern zu gar keiner Zeit bis auf den Luther kann ein Protestant erweisen, daß jemal eine sichtbare Gemeinde, welche der römischen Kirche widersprochen, entstanden wäre, die nicht von der ganzen Christenheit als ketzerisch sey erkläret, und gehalten worden.

tesimo octogesimo primo, die trigesima Augusti, apud civitatem Castelli, in Festo SS. Felicis & Adaucti, hominem exuit, atque Romæ in Ecclesia Lateranensi sepultus est (*). Non alius Summorum Pontificum Alexandro magis literatus ab annis centum sedisse dicebatur, sive eruditio ejus in SS. Scripturis sive Decretorum, Canonum, ac Legum Romanarum scientia spectaretur. Unde quæstiones non nullas difficiles solvit. Sæcul. XII. A C. 1181.

Præter Constitutiones, a nobis memoratas, occurrit aliqua, anno superiore ad Casimirum Ducem Poloniæ data, qua Alexander, ab isto Principe rogatus, Constitutionem ejus, ex consilio Archiepiscopi, Episcoporum & Optimatum Poloniæ ad reprimendos complures abusus, inprimis vero, ne bona decedentium Episcoporum ærario Principis addicerentur, conditam, confirmavit. Notari hic meretur, quod Princeps suprema potestate gaudens Leges suas a Papa confirmari voluerit. *Alex. ep. 58. ex Long.*

(*) Alexandro III. Pontifici maximo Epitaphium positum fuisse tradidit Antonius Pagi ad hunc annum in hæc verba:

Hunc Festis auxere suis Felix & Adauctus,
Cum quibus est Felix factus adauctus eis.

Sæcul. XII. A.C. 1181.

Post Alexandri III. mortem Sacra Sedes una tantum die vacavit; nam Feria III. die prima Septembris anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo Papa electus eſt Humbaldus ſeu Ubaldus, Epiſcopus Oſtienſis, vir ætate gravis, literis mediocriter tinctus, ſed exploratæ in rebus gerendis induſtriæ. Tunc primo vim obtinuit Concilii Lateranenſis Decretum, quod duas tertias ad legitimam Papæ electionem præſcribebat, & Cardinales ſoli, populo ceteriſque Clericis excluſis, ſuffragia dederunt. Ubaldus Velletris, Dominica ſequente, die ſexta illius menſis coronatus eſt & inſignitus a Theodino Epiſcopo Portuenſi atque ab Archipresbytero Oſtienſi, & Lucius tertius ſalutatus. Ortus erat Lucæ in Tuſcia, & Sacram Sedem annis quatuor tenuit. Cum Joannes ad *albas manus*, Epiſcopus Pictavienſis, tunc electus Archiepiſcopus Narbonenſis, Romam veniſſet, ut electionem confirmari peteret, Lucius Papa, Archiepiſcopatu Lugdunenſi eidem collato, Legatum ſuum in Francia creavit, anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo, utpote virum eximia ſcientia præditum. Hanc igitur translationem Joanni gratulatus eſt Stephanus, tunc Abbas S. Genovevæ Pariſiis, data Epiſtola, in qua ait: *Vidi nuper in tranſitu, cum Dominus Rex*

Guil. Tyr. XXII. c. 7. Chro. Voſien. p. 327. v. Pagi 1181 *n.* 5. & 1185. 13.

Rob. de Mon. an. 1181.

Steph. Tornac. ep. 75. *al.* 91.

Rex Toloſam me mitteret, ſemirutos Eccleſiarum muros, ambuſta ſacrorum ædificiorum loca, fundamenta effoſſa, & ubi fuerant habitacula hominum, inculta domicilia beſtiarum. Expavi, fateor, cum ea ad loca te invitari audivi, in quibus etſi contingeret te præeſſe, non tamen prodeſſe poſſes. Sed tandem gaviſus ſum, cum audivi, quod Lugdunum te vocaret. Ceterum illa calamitas in Provincia Narbonenſi ab Albigenſium & Cotarellorum furore proficiſcebatur. Sæcul. XII. A.C 1181.

Rogerio Archiepiſcopo Eboracenſi, & Alexandro Papa vita functis, Guiliel-mus Rex Scotiæ, Nunciis Romam miſſis, a Lucio Papa obtinuit, ut ipſe abſolveretur, & Interdictum, cui Regnum ſuum ſubjacebat, tolleretur, Bulla Velletris die decima ſeptima Martii data. Quod vero ad cauſam Joannis Epiſcopi S. Andreæ pertinet, eam Papa a Rolando, electo Epiſcopo Dolenſi, quem cum Legati poteſtate in Scotiam miſit, diſcuti juſſit. *Rog. Hoved. p. 615.*

S. Laurentio Dublinenſi vita functo, Rex Angliæ bona Archiepiſcopatus invaſerat, tumque Joanni Cumino Clerico ſuo, olim S. Thomæ Cantuarienſis hoſti infenſiſſimo, hanc Eccleſiam contulerat. Quem Romam profectum illo tempore, quo Legati Scotiæ advenerant, Lucius Papa Veletris Sabbato ante *pag. 611.*

Paſſio-

Sæcul. XII. A.C. 1182.

Passionem die decima tertia Martii anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo Presbyterum, & Dominica Palmarum die vigeſima prima ejusdem menſis Archiepiſcopum Dublinenſem ordinavit. Legatus vero Rolandus, ubi in Scotiam pervenit, pacem inter Regem & Joannem Epiſcopum S. Andreæ reducere diu conatus, litus aruit.

§. XXXVII.

Cauſa Eccleſiæ Dolenſis in Britannia.

Rob. de Monte an. 1177. *Sup. lib. LXIX.* §. 5. *Lobineau hiſt. Beret. lib. VI. n.* 43.

Rolandus ad Feſtum S. Martini, anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, a Canonicis Dolenſibus in Britannia in Epiſcopum hujus Eccleſiæ, quæ jus Metropoliticum ſibi competere jam diu contendebat, electus fuerat. Quamvis enim Lucius II. Papa ſententiam Archiepiſcopo Turonenſi definite faventem tuliſſet, licentiam tamen utendi Pallio Godefrido Epiſcopo Dolenſi conceſſerat; unde Eccleſiæ ſuæ Jurisdictionem Metropoliticam aſſertam affirmabat, ſaltem in duos Epiſcopos Trecorienſem & Briocenſem, & Godefridi ſucceſſores idem jus ſibi eſſe exiſtimabant. Erat Rolandus antea Decanus Abrincenſis, vir pius & doctus, cujus electioni Epiſcopi duo, Henricus

Bajo-

Bajocenſis & Richardus Abrincenſis, atque Abbas S. Michaelis Robertus Torigniacenſis, qui acta iſta in ſuo Chronico poſteris tradidit, interfuerunt. Bartholomæus illa tempeſtate Archiepiſcopus Turonenſis repugnabat, ne Rolandus conſecraretur, quod diceret, ſibi competere, eum utpote Suffraganeum ſuum ordinare. Alexander Papa complures Epiſtolas dedit in hac cauſa tum ad Bartholomæum, tum ad Regem Ludovicum juniorem, qui, quoad vixit, Archiepiſcopi Turonenſis jura tutatus eſt. Quia enim Britannia in Ditione Regis Angliæ erat, Rex Franciæ Regni ſui prærogativis adnumerabat, quod illius provinciæ Epiſcopi Sedi Turonenſi ſubjicerentur.

Sæcul. XII. A. C. 1182.

Martene Coll. nova. p. 102. &c.

Alexander Papa hanc cauſam non decidit, etſi Archiepiſcopus Turonenſis & Dolenſis, qui & ipſe ut Archiepiſcopum ſe gerebat, in ejus conſpectum veniſſent, alter ut Ordinationem obtineret & Pallium, alter ut jus ſuum in Eccleſiam Dolenſem defenderet. Sed quia de Jure utriusque non ſatis conſtare videbatur, conſentientibus Partibus, mandata Guidoni Archiepiſcopo Senonenſi, Henrico Epiſcopo Bajocenſi, Stephano Abbati S. Genovevæ Pariſiis, & Decano Bajocenſi dedit; nihil relinquerent intentatum, quo Partes litigantes conciliarent,

Martene p. 106.

Sæcul. XII A. C. 1182.

liarent, & si operam perdidissent, audirent testes atque Acta Romam mitterent, unde Papa, Partibus præsentibus, quibus ut post biennium Romam redirent præceptum, peremtoriam sententiam pronunciaret.

Postquam Philippus Rex solium conscendit, causam Ecclesiæ Turonensis eodem vigore ac parens ejus defendendam suscepit; quod ex Epistolis, ipsius nomine hac de re a Stephano Abbate S. Genevovæ tum Papæ Lucio III. tum Octaviano & Meliori duobus Cardinalibus, quorum magna Romæ erat auctoritas, scriptis cognoscimus. Nihil autem aliud Lucius Papa in hac causa egit, nisi quod iterum mandata dederit, ut testes in ipsis locis de re ista audirentur. Dies apposita est his Mandatis decima octava Augusti Veronæ; unde sequitur hæc acta esse anno millesimo centesimo octogesimo quarto, quo etiam Papa Rolandum Cardinalem Diaconum creavit.

Steph. Torn. ep. 107. 108. 19. *Mart. p. III.*

§. XXXVIII.

Arnulphi Lexovienſis extrema.

Rob. de Mon. an. 1182.

Arnulphus Episcopus Lexovienſis, annis & infirmitatibus gravis, ac præterea a Rege Domino suo offensus, dimissa sua Ecclesia privatam vitam degebat. Et primo quidem in Abbatiam *de Mortemer*, Ordinis Cistercienſis in Diœcesi

cesi Rotomagensi se se recipere statuerat, quod ex ejus Epistola ad Abbatem Cistercien sem dispicimus, sed postea, Abbatia S. Victoris Parisiis sibi delecta, & commodis ædibus extructis, anno millesimo centesimo octogesimo primo illuc se contulit. In Sede autem Lexovien si successor ei subrogatus est Rudolphus de *Venneville* Archidiaconus Rotomagensis, antea Regis Angliæ Cancellarius. Sæcul. XII. A.C. 1182. *Arnold. ep. fol. 79. 80.*

Arnulphus in Ecclesia Sagien si educatus, sub Episcopo Joanne deinde, fratre suo natu majore, Archidiaconus fuit. Tum Joanne Episcopo Lexovien si, Avunculo suo, anno millesimo centesimo quadragesimo primo, fatis functo, ipse suffectus, Sedem illam annis quadraginta tenuit. Anno millesimo centesimo quadragesimo sexto Crucigeros, secundo Hierosolymam proficiscentes, jubente Eugenio IV. Pontifice, comitatus est. Cum apud Regem Angliæ Henricum II. auctoritate valeret, eundem ad recipiendum Alexandrum III. Papam impulit, multumque ad eum S. Thomæ Cantuarien si reconciliandum adloboravit, cui nihilominus deinde suspectus fuit, quod in aula frequens Principi velificari videretur. *Gall. Chro. ex Ord. Vitali. Sup. Lib. LXIX. §. 14.*

Postquam munus Episcopale abdicasset, quidam Canonici Lexovien ses, Romam

Sæcul. XII. A.C. 1182.

mam profecti, eum coram Lucio Papa accusarunt, quod bona Ecclesiæ suæ dilapidasset, obtinueruntque, ut in hac causa Episcopus Abrincensis, Abbas Beccensis, & Abbas Seviniacensis Judices constituerentur. Arnulphus vero, cui suspecti erant, querelis ad Papam contra sententiam delatis, effecit, ut nulla declararetur. Quod ex Epistola ex secessu suo ad Pontificem data videmus. In Abbatia S. Victoris ut privatum Canonicum se gessit, ibidemque sancto fine quievit.

§. XXXIX.

Scandalum in Abbatia Grestanensi exortum.

Non nullos Arnulphi Sermones, epistolasque habemus, quas inter occurrit aliqua, ad Alexandrum III. data, attentione digna. Abbatiam Grestanensem, in Diœcesi Lexoviensi positam, illa tempestate Guilielmus Exonienſis, Abbas ibidem numero quartus regebat; qui speciem obtendens, quod bona Monasterii sui, in Anglia sita, curaret, tantum non toto anno in illo Regno, Actiones in Judicio prosequens, ceterumque genio indulgens, versabatur, nec ab Episcopo officii sui admonitus acquiescebat. Interim vero effrenata licentia in ejus

ep. p. 53. 97.

Mona-

Monaſterio Diſciplinam Regularem expulerat. Intus nulla Regulæ reverentia, foris nec pauperes nec hoſpites excipiebantur. Monachi invicem vapulabant, & rixantes pugionibus ſe ſe vulnerabant. In vulgus ſparſerant, eſſe apud eorum monaſterium prodigioſæ virtutis aquam, in quam ſi ægrotus ſepties immergeretur, ſanitatem reciperet; ac quædam mulier, hujus aquæ vim expertura, inter monachorum manus extincta eſt. Sæcul. XII. A.C. 1182.

Monachorum aliquis coquum occidit, quod conquereretur, ipſum ad uxorem ſuam frequentiſſime inviſere. Tandem cum monaſterii œconomus, cui Abbas curam domus ſe abſente commiſerat, ſe ſe ad cœnam ingurgitaſſet, crapulæ vaporibus accenſus, in Refectorio duos monachos cultro feriit, atque illi protinus impacto fuſte temulentum e vita exturbarunt.

Ergo Arnulphus Epiſcopus, data ad Alexandrum Papam Epiſtola, rogavit; tantis malis mederetur, & monachos peſſimos ſingulos in alia monaſteria, quæ Diſciplina Regularis commendaret, ſpargeret, ac ut facilius in Domum Greſtanienſem novos incolas induceret, Canonici Regulares advocarentur. *Quippe*, ajebat, *in hac provincia multa celeberrima monaſteria numeramus, ſed paucas*

Sæcul. XII. A. C. 1182.

Abbatias Canonicorum, quæ paupertate premuntur; unde fit, quod populares noſtri, Canonicorum Inſtitutum amplecti cupientes, plerique ad provincias exteras migrare cogantur. Nihilominus Papæ non eſt viſum, Greſtanienſem Abbatiam alteri virorum Religioſorum Ordini tradendam eſſe; ſed Archiepiſcopus Rotomagenſis, cui Guilielmus Abbas carus erat, eum Monteſiam ad Abbatiam S. Martini anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto tranſtulit. Monaſterium vero Greſtanienſe ſub Regula S. Benedicti usque in hanc diem permanſit.

Neuſtria pia p. 533. Rob. de Mont. vulg. an. 1185.

Ceterum œconomus Greſtanienſis, a monachis mactatus, videtur eſſe materia cujusdam Decreti, ab Alexandro Papa editi, in hunc modum: *Ad nos delatum eſt, quod aliqui ex vobis hominem in ebrietate interfectum colant, licet Eccleſia vix Fidelibus concedat, Deum precari pro hominibus oppreſſis, antequam crapulam exhalaverint. Dicit enim Apoſtolus: ebrioſi Regnum Dei non poſſidebunt. Denique, etſi defunctus iſte miracula patraret, eum tamen tanquam ſanctum venerari abſque Eccleſiæ Romanæ auctoritate non liceret.*

C. Extrav. de Relig.

§. XL.

§. XL.

Sæcul. XII.
A. C. 1182.

Parvuli a Judæis occisi.

Philippus Rex Franciæ, nuper coronatus, Judæos, in Regno suo præcipue Parisiis opulentissimos, vehementer aversabatur. Nam juvenes Principes, secum in Aula paterna educatos, sæpe dicere audiverat, quod Judæi Parisienses singulis annis in Cœna Domini, vel alia Hebdomadæ Majoris die, sacrificii loco, Christianum in antris subterraneis jugularent. *Rigord. an. 1. p. 6.*

Non nulli, vivente patre ejus, tanti criminis convicti, flammis traditi fuerant; & in Martyrum numerum referebatur quidam parvulus nomine Richardus, a Judæis crudelem in modum peremtus & crucifixus, cujus corpus reconditum quiescebat Parisiis in Ecclesia S. Innocentii, & loco, qui *de Campellis* dicebatur, ubi erat Cœmeterium civitatis, a Philippo Rege anno millesimo centesimo octogesimo quinto muris cinctum. Multa miracula edita fuisse dicebantur ad tumulum Richardi, qui Pontesiæ necatus, inde Lutetiam Parisiorum translatus fuerat; namque id Robertus Abbas in Monte S. Michaelis testatum facit. *Id. p. 21.* *Rob. an. 1171*

Idem Scriptor refert, sub annum millesimum centesimum septuagesimum

Sæcul. XII. A.C. 1182.

primum, Theobaldum Comitem Carnotenſem complures Judæos, Bleſis habitantes, juſſiſſe flammis conſumi, quod puerum tempore Paſchali in opprobrium Chriſtianorum crucifixum & ſacco incluſum in Ligerim amnem demerſiſſent, ubi corpus inventum Hebræorum nequitiam manifeſtaſſet. Eos itaque convictos igne fuiſſe deletos, illis exceptis, qui Chriſtianam Religionem ſuſcepiſſent. Addit is Auctor eodem flagitio ſe polluiſſe Judæos in Anglia Gorwici, Stephano Rege ſolium occupante, cum puerum nomine Guilielmum, iterumque alium Gloceſtriæ poſteriore tempore ſub Rege Henrico II. interfeciſſent.

Boll. 25. Mart. to. 8. p. 588.

Chro. Jo. Brom. p. 1043. 1050.

Quidam auctor Anglus Guilielmum puerum anno nono Stephani Regis, ſeu anno ſalutis milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto, & alterum Gloceſtriæ crucifixum, ſub annum ſextum Henrici II. ſeu annum Domini milleſimum centeſimum ſexageſimum, Martyrium paſſos putat. Tandem & alius puer, nomine Robertus, in Anglia a Judæis tempore Paſchali anno milleſimo centeſimo octogeſimo primo cæſus, & in Eccleſia S. Edmundi ſepultus legitur, ubi miracula edi fama erat. Ante hoc tempus nullibi occurrit, Judæos immanis ſævitiæ fuiſſe accuſatos, quod exinde ſæpiſſime factum. Calumnias eſſe in innocentes

Gervas. Chron. 1181.

centes jactas, dicunt Judæi, cur vero Christiani illo potius quam alio tempore Judæos latrones accusassent, nisi aliquod argumentum suppetiisset? Sæcul. XII. A.C.1182. *Cardoso excell. calomn.* 10.

§. XLI.

Judæi ex Francia expulsi.

Præterea Regis Philippi animum in Judæos exarcebabat, quod cum ab antiquissimo tempore Lutetiam incolerent, & ibidem eorum Magistri doctrinæ laude præ ceteris florerent, tantas opes congessissent, ut prope mediam civitatis partem jure proprietatis tenerent. Quod contemtis legibus civilibus & ecclesiasticis haberent domi suæ mancipia Christiana utriusque sexus, quæ ad judaicos Ritus servandos compellebant. Quod usuras enormes exigerent a Christianis Nobilibus, Civibus, agricolis, quorum aliqui patrimonium vendere, alii in domibus Judæorum captivi & juramento adstricti manere cogerentur. Quod, si necessitate Ecclesias premente, pecuniæ mutuæ ab ipsis peterentur, pignoris jure acciperent Imagines Crucifixi, & Vasa Sacra, quæ profanabant, ex iis bibebant, aut in angulis domus spurcissimis reponebant. Rex de hoc negotio quemdam Eremicolam, nomine Bernardum, in silva Vincenniana degentem, ac ab omnibus pro viro sancto *Rigord. p.* 8.

Sæcul. XII. A.C. 1182.

habitum, interrogavit, ejusque amplexus consilium, omnes Christianos ab ære alieno, quo Judæis obstringebantur, liberavit, quinta parte sibi servata. Tandem vero mense Aprili, anno millesimo centesimo octogesimo secundo, Rex edito mandato Judæis denunciavit; ita rebus suis consulerent, ut ad Festum S. Joannis ad migrandum e regno suo parati essent. Hasque inducias dabat, quibus interim res suas mobiles venderent, nam eorum domos, agros ceteraque bona immobilia suo ærario addixit. Aliqui Judæorum, baptizari se passi, bona sua & libertatem obtinuerunt, alii tum donis tum promissis Præsules & Optimates sibi conciliarunt, quod sperarent, ipsorum precibus Regem daturum esse, ut Decretum retractaret. Sed Rege proposito constanter inhærente, Judæi, rebus suis mobilibus venditis, mense Julio ejusdem anni millesimi centesimi octogesimi secundi cum uxoribus suis, & liberis & servulis e Regno migrarunt. Anno sequente, jubente Rege, omnes Judæorum Synagogæ Catholico ritu consecratæ in Ecclesias conversæ sunt, universi Regni populis Philippi clementiam summis laudibus extollentibus.

Guil. Armo. p. 72.

Auct. Aquicinct. an. 1183.

Sub initium ejusdem anni millesimi centesimi octogesimi tertii, cum Guilielmus

mus Archiepiscopus Remensis & Philippus Comes Flandriæ Attrebati arcana tractarent negotia, quædam mulier ex ditione Comitis multos Hæreticos Patarinos id est Manichæos detulit, qui propria confessione convicti fuerunt, quod Doctrinam impurissimam tenerent. Erant vero Clerici, Nobiles, ruricolæ, puellæ, mulieres maritum habentes, & viduæ, omnes ab Archiepiscopo & Comite, bonis ærario Principis addictis, ad ignem damnati. Sæcul. XII. A.C. 1182.

§. XLII.

Latini Constantinopoli trucidati.

Manuel Comnenus Imperator propenso in Latinos animo iis solis majoris momenti negotia committebat, quod Græcis fideliores & in perficiendis mandatis magis strenuos expertus fuisset. Cumque in eos esset munificentissimus, undique ad Manuelis Curiam confluebant. Sed idipsum Græci & in primis Nobiles ac Imperatorem sanguine contingentes furiose indignabantur, indeque diu ante conceptum in Latinos odium acuebatur. Iram quoque accendebant diversæ circa quæstiones de Religione opiniones, & Græci Ecclesiæ Romanæ auctoritati cedere recusantes, omnes illos, qui ab ipsorum traditionibus abirent, Hæreticos existimabant. *Guil. Tyrie. XXII. c. 10.*

Sæcul. XII. A. C. 1182.

Ita de hac re scribit Guilielmus Archiepiscopus Tyriensis, sæpius Constantinopoli commoratus, additque, quod Manuele Imperatore defuncto Græci veterem rabiem explere, Latinosque in toto suo Imperio opprimere quæsiverint. Verum defuit occasio, quamdiu Alexius Protovestiarius & Protosebastus, qui Imperatricis, ejusque filii juvenis Imperatoris, animo moderabatur, rerum potitus est; is enim etiam Latinorum consilio & opera utebatur.

At hujus viri fastus & avaritia brevi omnium odium concitavit; quare rebelles Andronicum advocant, ex Comnenorum genere ortum, virum nunquam quietum, perfidum, qui sub Manuele Imperatore carceri inclusus, postea fugitivus totum Orientem peragraverat. Tandem Manuel, tribus ante obitum mensibus, revocato præfecturam ad Pontum videlicet honestum exilium dederat. Cum igitur a conjuratis fuisset invitatus, cum exercitu venit ad Hellespontum, & castra in conspectu Constantinopolitanæ civitatis metatur. Tunc vero omnes tempori cedunt, capitur Alexius Protosebastus, atque ad Andronicum missus, oculis privatur. Andronicus deinde copias fretum trajicere jussit contra Latinos, qui ab amicis de insidiis moniti, conscensis triremibus qua-

Nicet. p. 126.

quadraginta, lembisque, ut forte in portu erant, tota familia rebusque quas poterant velociter impositis, Græcorum molimina effugiunt. Infirmi vero vel segniores militum Andronici, populique Constantinopolitani furorem perpessi sunt. Et pauci quidem reliqui Latini, sumtis viriliter armis, haud inulti plane ceciderunt, dum interim mulieres, infantes, senes, ægroti in domibus suis inhumane comburuntur. Tota illa urbis regio in cineres redacta. Græci, ne quidem Ecclesiis aliisve piis locis parcentes, tam ipsa ædificia quam miseros, qui ad ea confugerant, injectis ignibus barbara immanitate consumserunt. Nec alio discrimine Presbyteros monachosque ac Laicos habebant, quam quod in illos crudelius sævirent. Sæcul. XII. A. C. 1182.

Præter ceteros Clericos Constantinopoli tunc versabatur Joannes Cardinalis Subdiaconus, quem Papa, ab Imperatore Manuele rogatus, miserat, ut divisas Ecclesias componere conaretur. Is, dum sternuntur Latini, in ædibus suis permansit, ac quibusdam viris piis intrantibus & orantibus, ut fugeret, respondit: *Absit fuga! ad pacem & concordiam inter Ecclesiam Occidentis & Orientis reducendam, a Domino meo Papa jussus, adveni.* Mox adsunt Græci, Cardinali caput amputant, illudque *Rob. de Monte. an.* 1182.

Sæcul. XII. A.C. 1182.

caudæ canis alligatum per urbem raptant. Corpora etiam Latinorum occisorum e terra effossa per plateas distraxerunt. Hospitium S. Joannis, quod Equites Hospitalarii Hierosolymitani custodiebant, ingressi, omnes ægrotos, quotquot ibi decumbebant, interfecerunt. Nemo magis ac Presbyteri monachique Græcorum latrones ad delendos internecione Latinos accendebant, ipsi eos ex domibus suis & abditissimis locis erutos, ne vel unus evaderet, carnificibus tradebant, quibus fatigatis etiam dabant pecuniam, ut lucelli spes vel misericordiam extingueret, vel segnitiem abigeret. Humanissimi Græcorum in ædibus suis latentes Turcis aliisve Infidelibus venumdabant, etsi integram salutem ad se confugientibus spopondissent. Ita in servitutem redactorum Latinorum omnis sexus, omnis ætatis omnisque conditionis millia saltem quatuor numerabantur. Hæc fuit Græcorum in Latinos a longo tempore Constantinopoli habitantes crudelitas, non obstante, quod eos filiarum vel propinquarum suarum nuptiis delinire studuerint. Ceterum inaudita strages mense Aprili anno millesimo centesimo octogesimo secundo edita.

Græcorum in Latinos feritas.

Cang. C. P. lib. 4. 163.

Tyr. c. 13.

Latini qui fuga maritima Græcorum perfidiam evaserant, haud minore truculen-

culentia vices hostibus reddiderunt. Illi enim haud procul Constantinopoli collecti expectarunt, quem exitum tumultus esset habiturus; ubi vero miserrimam suorum cædem compererunt, ingenti ira concitati vela faciunt, atque Hellespontum omnesque oras ab ostiis maris Nigri usque ad mare Mediterraneum circumvecti, ubicunque appulissent, urbium oppidorumque incolas sine discrimine perimunt. Tum etiam Monasteria in illis litoribus posita, Insulasque populantur, monachos & sacerdotes flammis enecant, ipsa monasteria cunctosque qui in iis refugium quæsierant incendunt, prædando opes immensas cumulant atque damnum, quod passi erant, magno cum fœnore resarciunt. Nam præter illa dona, quibus cives Constantinopolitani hæc Monasteria locupletaverant, etiam maximam auri argentique vim, ibi servandam deposuerant, quam Latini abstulerunt. Eodem furore oras Thessaliæ aliarumque provinciarum, quas mare alluit, devastarunt, diripuerunt, urbes & vicos injectis flammis concremarunt. Tum triremibus, quas in diversis locis ceperant, militariter instructis, classem formidandam in Græcos adornarunt. Non nulli vindictæ immanitatem horrentes, nave cum uxoribus

Sæcul. XII. A.C. 1182.

&

Sæcul. XII. A.C. 1182.

& parvulis conscensa in Syriam se receperunt.

§. XLIII.

Andronicus Constantinopolim vocatur.

Nicet. ep. 163

Inter hæc Constantinopoli nullus non Optimatum fretum trajiciebat, Andronicum salutaturus. Ultimus omnium ivit tandem Theodosius Patriarcha, Clericorum præcipuis comitantibus. Cui Andronicus, cum servuli nunciarent, Præsulem ipsius Tabernaculo imminere, obvium se intulit, tectus veste violacea, parte antica aperta, tantum usque ad genua dependente. Galero caput velaverat acuminato fusci coloris; quo in habitu in conspectu Patriarchæ, equo insidentis prosternitur, ac surgens pedes ejus osculatur, Præsulem appellans Imperatoris servatorem, salutis publicæ amantem, veritatis defensorem, alterumque, si eloquentiæ vis spectaretur, Chrysostomum.

Patriarcha tunc Andronicum, antea nunquam visum, conspiciens, talem omnino esse notavit, qualem sibi Manuel Imperator depinxerat, virum staturam nactum longe supra vulgarem, oculis ferocibus, superbo supercilio, sensus suos dissimulantem, suspicionibus captum, cogi-

cogitationibus ſuis defixum, arroganti inceſſu, colloquentibus ſibi aſtutum & ambiguum. Comiter, ut videbatur, ſermonem conſerentes, Andronicus & Patriarcha alter alteri vera dixit, quæ uterque tanquam non intelligentem præterlapſa abire permiſit. Andronicus deinde Conſtantinopolim intravit, ubi non minore auctoritate quam in ceteris provinciis imperabat. Omne tamen honoris genus Alexio juveni exhibuit, eumque cum Agnete ſponſa ſua Philippi Regis Francorum filia coronari juſſit. Sæcul. XII. A.C. 1182.

§. XLIV.

Res Regni Hieroſolymitani.

Regnum Hieroſolymitanum ruinam manifeſte minabatur, tum quod intus Principes intempeſtive rixarentur, tum quod foris fidem Infidelibus datam non ſervarent. Cum jam omnibus ſatis perſpectum eſſet, Regis morbum lepram eſſe, qua ad res gerendas reddebatur ineptus, ille ſuſpicionibus agitari cœpit; Boemundum Principem Antiochiæ, & Raimundum Comitem Tripolitanum, ſe ſuisque excluſis, Regnum uſurpaturos eſſe. Quare ſororem ſuam Sibillam, Marchionis Montisferrati viduam, alteri nuptui dare ſtatuit; cumque eam alicui potentiſſimorum in Palæſtina *Guil. Tyr. XXII. c. 1.*

Sæcul. XII. A.C. 1182.

læstina Principum jungere debuisset, præcoci consilio quemdam juvenem Francum, Guidonem Lusignanum, Hugonis Fusci Comitis Marchiæ filium, sorori suæ maritum delegit. Hæ nuptiæ intra Octavam Paschæ præter morem celebratæ. Præterea Reipublicæ nocebat Arnoldus Castellionensis Dominus Caracæ, cujusdam urbis munitæ, in finibus Syriæ positæ, ab antiquis Petra deserti dictæ, quippe in aditu deserti Arabiæ super editissimum montem extructæ, quam Latini Archiepiscopatus titulo decoraverant. Is enim sæpe ex munitionibus suis erumpebat, & aliquando insuperhabitis pactis Latinorum cum Saladino induciis, complura mercatorum agmina, rebus suis spoliata, vinculis dedit. Quin etiam consilium, quod a pluribus jam annis meditabatur, exequi statuit, atque usque ad portas Meccæ latrocinari. Dum omnia ad hanc expeditionem comparat, Emirus Syriæ præfectus, admonitus, suos eduxit; nec tamen Arnoldum aggressus est, sed satis ei fuit, Meccam peregrinantibus iter securum præstare. Paucis exinde elapsis mensibus, cum navis, qua mille quingenti Christiani vehebantur, in conspectu urbis Damietæ naufragium fecisset, Saladinus quotquot evaserant vinciri jussit, mercibus ærario suo adscriptis.

Id. c. 28.

Vie de Salad. MS. an. 1181.

Tum

Tum missis ad Regem Hierosolymæ nunciis, petiit, ut omnes Musulmanni, ab Arnoldo Castellionensi, & Templariis Caracensibus capti, libertati restituerentur, ac Christiani ob violatas inducias, quod par esset, persolverent. Quæ nisi cito obtineret, bellum Regi dicebat, ac minabatur, Christianos a se vinctos eadem esse passuros, quæcunque Templarii Musulmannis intulissent. Sæcul. XII. A.C.1182.

Rex Balduinus ministrum Saladini contemtum dimisit, timens, ne offenderet Templarios, qui publice profitebantur, se nemini nisi soli Papæ & Ordinis sui Præpositis obedire, ac prædam de peregrinantium agminibus coactam reddere nolebant. Itaque Regem ad suscipiendum bellum, id dissuadentibus omnibus Principibus, compulerunt; non enim pluribus copiis quam duobus tribusve peditum millibus, & equitibus septingentis instructus erat, cum contra Saladinus viginti virorum millia in aciem posset educere.

§. XLV.

Boemundus Princeps Antiochiæ excommunicatur.

Anno superiore, millesimo centesimo octogesimo primo, Boemundum Principem Antiochiæ, qui pellicis amore captus *Guil. Tyr. XXII. c. 7.*

ptus

Sæcul. XII. A.C. 1182.

ptus uxorem legitimam dimiserat, Amalricus Patriarcha, bis frustra monitum, excommunicationis censura adstrinxerat. Princeps irritatus Patriarcham, Episcopos, ceterosque illius provinciæ Præsules persequitur, vi adhibita capit, contemta Ecclesiarum & Monasteriorum immunitate, bona diripit, agrosque vastat. Quin ipsum Patriarcham cum Clericis suis in arce ad Ecclesiam pertinente inclusum obsidet. Unde non nulli Optimates nefas indignantes, ab ejus obsequiis discesserunt, ac præter alios Renaldus *Mansuer*, qui, in castro suo insuperabili tutus, Præsules e sedibus suis ejectos, aliosque in eadem causa vexatos, recepit. Sapientiores vero timebant, ne Christianorum rixis, tanquam beneficio fortunæ, usi Infideles Regionem in suam potestatem iterum redigerent. Ergo Rex Hierosolymæ, Patriarcha, Præsules Regnique Optimates ad deliberandum conveniunt, pensantque omnia, quæ Patriarcham Antiochenum, antequam Censuras Ecclesiasticas adhiberet, cogitare oportuisset. Non enim vi manifesta Boemundum, licet meritum, cogere ausi sunt, ne in auxilium Turcas vocaret, quibus deinde ejiciendis, etsi vellet, par non esset. Nec etiam crediderunt, preces & monita in mente hominis ferocis & libidine turbati quid-

quidquam effectura esse; sed statuerunt, tolerandum minus malum, ne pejus superveniret, & expectandum, donec Deo cor Principis convertere placeret. Cum præterea, Principe excommunicato, tota provincia ita Interdicto subjaceret, ut nullum Sacramentum nisi Baptismus parvulis administraretur. Sæcul. XII. A.C. 1182.

Communi tamen consilio decretum; Patriarcha Hierosolymitanus, Renaldus Castellionensis, Principis socer, Frater Arnoldus Torogius Templariorum Magister, & Frater Rogerius *Molins* Hospitalariorum Magister, Antiochiam se conferrent, experturi, an hisce malis remedium afferre possent. Metuebant enim, ne a Principibus, ultra mare degentibus, vel ignaviæ vel nequitiæ accusarentur, si Christianis sibi vicinis & tam tristi sorte afflictis, non succurrerent, aut saltem commiserationem aliquo facto non profiterentur. Patriarcha Hierosolymitanus præterea itineris socios delegit Archiepiscopum electum Cæsareæ, cui nomen *Moine,* Albertum Episcopum Bethlehemiticum, Renaldum Abbatem Montis *Sion*, & Petrum Priorem S. Sepulchri, viros prudentia & judicio præditos. Tum etiam in via Comitem Tripolitanum, Principis Antiocheni amicum carissimum, rogarunt, ut & ipse hac legatione fungeretur, ac pri-

Sæcul. XII. A C. 1182.

mo Laodiceæ, & deinde Antiochiæ congregati, pacem ad tempus impetrarunt, his conditionibus: Patriarchæ, Episcopis, Ecclesiisque omnia ablata restituantur, Interdictum solvatur, Princeps autem Excommunicatione ligetur, donec concubinam expulerit.

Ita rebus utcunque mitigatis discessum. Sed Princeps a stupri consuetudine abstrahi non potuit; quin spreto periculo perdendi Rempublicam optimos amicorum procul abire a conspectu jussit, non alia motus causa, quam quod adulterium damnare dicerentur. Nec homines de plebe sed viros spectatissimos, militiæ suæ Præfectum, Cubiculariorum præpositum, tresque alios ex purpuratis ejecit, quos Rupinus Princeps Armeniæ ad se confugientes honorifice excepit, ac census, quibus honeste vitam sustentarent, destinavit.

§. XLVI.

Maronitæ Ecclesiæ Romanæ junguntur.

Guil. Tyr. XXII. c. 8. Jac. de Vitr. hist. Hierosol. c. 77. Sup. lib. XL. §. 18.

Aimerico Patriarchæ Antiocheno, ex Latinis tertio, paulopost ingenti solatio fuit, quod Maronitas ad sinum Ecclesiæ Romanæ reducere licuerit. Erant enim Monothelitæ, Macarii Patriarchæ Antiocheni, in sexta Synodo Generali,

rali, anno salutis sexcentesimo octogesimo primo damnati, erroribus imbuti; quod usque adeo notum erat omnibus, ut Christianis Orientalibus lingua Arabica scribentibus ad significandum Monothelitam non aliud vocabulum quam *Maronita* suppetat. Ceterum Maronitarum populus quadraginta circiter hominum millia explebat, in monte Libano ac confiniis in Diœcesibus Gibletana, Botronienſi & Tripolitana dispersus. Cumque viri essent bellicæ artis laude insignes, spectatæ fortitudinis & Latinis utilissimi, eorum conversio omnibus magnæ lætitiæ causa extitit; non enim solum fidem Catholicam susceperunt, sed etiam traditiones Ecclesiæ Romanæ, eique conjuncti sunt cum Patriarcha suo & quibusdam ipsorum Episcopis, qui, ut Latinos imitarentur, acceptis Mitris, annulis & Baculis, etiam campanarum usum in Ecclesias suas invexerunt. Nam Græci & Orientales populi non æs sed tabulam ligneam pulsant, cum Fideles ad Officium Divinum vocant, eo ferme modo, quo nos in Paraſceve Domini populum monemus. Unde Orientales, ut hanc conversionem diserte explicent, dicunt, Maronitas effectos fuisse Francos. Nihilominus illa ætate sicut & nostra in Officio Divino lingua Chaldaica & in sermone vulgari Arabica utebantur.

Sæcul. XII. A.C. 1182.

Sæcul. XII. A.C. 1183.

§. XLVII.

Archiepiscopatus Montis Regalis in Sicilia.

Anno millesimo centesimo septuagesimo quarto Guilielmus II. Rex Siciliæ Monasterium Benedictinorum, quatuor milliariis Panormo, Regia urbe, distans condidit, in quodam loco amœno ad pedem montis, qui a longa Regum commoratione Mons Regalis dictus est, ubi deinde modicum oppidum extructum. Novo Monasterio Lucius III. complura privilegia, ac inter alia exemtionem concessit, tum etiam ut soli S. Sedi esset subjectum. Tandem, a Rege rogatus, Lucius Papa hanc Ecclesiam Metropoliticam esse jussit, non obstante urbis Panormitanæ propinquitate, eique Episcopos Suffraganeos Catanensem & Syracusanum, licet in altera extremaque Siciliæ ora positos, dedit. Cujus rei auctor erat Matthæus Cancellarius, is enim in Gualterium Archiepiscopum Panormitanum invidia ardens, Regem permovit, ut Ecclesiam Montis Regalis, adversantibus licet antiquissimis Constitutionibus Ecclesiasticis, in Metropolim erigi urgeret. Diplomata Pontificia quinta Februarii anno millesimo centesimo octogesimo tertio data sunt. Guilielmus vero

Fasel. 1. Dec. lib. 8. p. 110. 2. Dec. 7. c. 5. p. 433.

Baron. an. 1174. n. ult.

Ric. de S. Ger.

vero Abbas, fundati Monasterii numero secundus, Archiepiscoporum ibidem primus fuit, ordinatus manibus ipsius Papæ, qui præcepit, ut in hac Ecclesia Disciplina Monastica perpetuo servaretur. Sæcul. XII. A.C. 1183.

§. XLVIII.

Christianus moritur. Conradus Archiepiscopus Moguntinus.

Inter hæc Lucius Papa Velitris commorabatur, a civibus rebellibus Roma pulsus. Jurgiorum causa erant quædam consuetudines, quas Papa nunquam se servaturum juravit, etsi eas Antecessores ipsius tenuissent. Quamobrem Romani usque adeo accensi sunt, ut diripere & incendere Pontificis terras cœperint, ipso ab una arce in aliam fugiente. Tunc quidem Christianus Archiepiscopus Moguntinus, Imperatoris Cancellarius ad præstandum Papæ auxilium cum valido Germanorum exercitu advenit; jamque Romanis cuncta in dies arctiora fiebant, cum Christianus Tusculani morbo corripitur. Itaque Lucius Papa, qui non procul inde aberat, ad Archiepiscopum invisit, qui deficientibus viribus se se erigere ad excipiendum Summum Pontificem non potuit; sed peccata sua ei confessus ab ejusdem manibus Sacramenta & Indulgentiam accepit, *Rog. Hoved. p. 621.* *Jo. de Ceu Chron.* *Hist. ap. Ser. p. 826.*

Sæcul. XII. A.C. 1183.

cepit, sicque mense Augusto anno millesimo centesimo octogesimo tertio extinctus est. Plerique credidere, Romanos in potione aquæ, cujus fontem veneno infeciſſent, ei mortem propinasse. Tunc vero exercitu, quem duxerat, dilapso, Romani Summo Pontifici multo insolentius resistere ausi sunt. Ad Sedem Moguntinam, per Christiani abitum vacantem, Conradus, olim ad eamdem evectus, rediit, relicta Sede Salisburgensi, quo translatus fuerat. Albertus vero Bohemus Salisburgum, jubente Imperatore, & illa Ecclesia consentiente, reversus, die decima nona Novembris anno millesimo centesimo octogesimo tertio Cathedræ Archiepiscopali secundo imponitur.

§. XLIX.

Subsidia Papæ data.

Rog. p. 632. Lucius Papa satis intelligens, quod sine ope aliena vim Romanorum repellere non posset, Nunciis ad Principes tum Laicos tum Ecclesiasticos missis, pecuniæ subsidia petiit. Cum illi in Angliam venissent, & sibi mandata exposuissent, Rex convocatis Episcopis ceterisque Clericis, quid sentirent interrogat. Respondent illi; daret Rex Pontifici, quantum videretur, & suo & Clericorum nomine, *malumus enim*, ajebant, *pecuniam, quam*

quam Romam miseris, tibi, si petas, reddere, quam tolerare, ut Papa, missis in Angliam nunciis, subsidia a Clericis exigat; ne nova res vim consuetudinis obtineat, & Regia Jurisdictio detrimentum patiatur. Obsecutus est id suadentibus Rex, misitque Papæ magnam copiam pecuniæ; atque his, aliisque ab aliis Principibus impetratis auxiliis, Lucius Papa pacem a Romanis coemit. Sæcul. XII. A.C.1183.

Eodem anno cum Papa Veletri versaretur, Joannes & Hugo, qui de Episcopatu S. Andreæ in Scotia litigabant, in Consistorio auditi sunt, visumque Judicibus, neutri eorum in hanc Ecclesiam jus esse. Ergo ambo simpliciter, nulla adjecta conditione, in manus Pontificis renunciant, & a Curia recedentes expectant, quid ejus clementia de ipsis decerneret. *Rog.p.621.* *Sup.n.27.*

Elapsis paucis diebus Pontifex Hugoni Ecclesiam S. Andreæ reddidit, & Joanni Duncheldensem contulit, cum omnibus bonis, quæ ei Rex Scotiæ abstulerat. Ubi in Scotiam pervenerunt, quisque suæ Sedis possessionem adiit. Rege vero ea, quæ Papa jusserat, Joanni restituere detrectante, is de Episcopatu S. Andreæ cum Hugone iterum jurgari cœpit.

Sæcul. XII. A.C. 1183.

§. L.

Rex Angliæ juvenis moritur.

Id. ip. 620. Hoc etiam anno Henricus juvenis Rex Angliæ ante diem morti occubuit. Is in Lemovicensi Regione arma patri inferens, & sæpe perjuriis ac promissis fallacibus eidem insidiatus, tandem animi ægritudine, quod pessimis suis consiliis deesset fortuna, ad corpus transeunte, Martelli in Regione Cadurcensi gravi morbo corripitur. Sentiens se morituram, ministrorum aliquem ad patrem misit, qui, filio non fidens, venturum se negavit. Ægrotus Episcopis ceterisque Clericis, qui forte proximi erant, convocatis, peccata sua primum secreto & deinde publice confessus est Tum, Absolutione accepta, Guilielmo Marescallo amico suo Crucem, quam Hierosolymam peregrinaturus gesserat, tradidit, addens mandatum, ut votum a se editum ipse impleret. Mox detractis sibi Regiis vestibus, cilicium indutus, alligato ad collum fune, ad Episcopos Clericosque conversus, *nunc vero*, ait, *me, indignum peccatorem, vobis, Dei ministris, totum committo, oroque Dominum Nostrum JEsum Christum, qui latroni in Cruce pendenti ignovit, ut intercedentibus precibus vestris, & infinita ejus misericordia, infelici animæ meæ parcat.* Omnibus

bus respondentibus: *Amen*, adjecit: *hoc fune trahite me ex lecto & super cinerem in terram sparsum sternite.* Quod cum fecissent, duosque eximiæ magnitudinis lapides quadratos, alterum capiti alterum pedibus admovissent, Viatico reficitur, & paulo post extinguitur, in Festo S. Barnabæ, die undecima Junii, anno salutis humanæ millesimo centesimo octogesimo tertio, ætatis suæ vigesimo octavo. Corpus defuncti, ut jusserat, Rotomagi in Ecclesia Dominæ nostræ conditum. Sæcul. XII. A. C. 1183. *Chro. Vosiens. p. 290.*

§. LI.

Andronicus Imperator Constantinopoli.

Constantinopoli Andronicus, in quo tota Imperii sita erat auctoritas, nuptias Irenis filiæ suæ nothæ cum Alexio Manuelis Imperatoris, vita functi, filio, itidem spurio, moliebatur, etsi tam sponsus quam sponsa ex incesta parentum, sanguinis affinitate junctorum, libidine orti essent. Dicebat enim Andronicus inter sponsum sponsamve stupro natam cognationis impedimentum non dari, quam sententiam Concilii senatusque judicio stabiliri jussit. Verum Theodosius Patriarcha nefandum conjugium constanter damnavit, Andronici conati- *Nicet. Alex. n. 15. p. 168.*

Sæcul. XII. A.C. 1183.

bus intrepide obsistens; ac tandem intelligens, se operam perdere, & malorum consilia prævalere, relicta Sede Constantinopolitana, quam annis sex occupaverat, in Insulam Terebintum se recepit, ubi ædes & sepulchrum sibi paraverat.

Andronicus ejus discessu, quem non speraverat, lætissimus, nuptiis Alexii & Irenis Archiepiscopum Bulgariæ, tunc forte Constantinopoli commorantem, benedicere voluit. Ad Sedem vero Constantinopolitanam implendam Basilium Camaterum Cartophylacem & Hypertimum delegit. Ceterum Basilius iste datis literis, quod in Episcopali Ministerio Andronici voluntati simpliciter obsecuturus esset, ad Patriarchatum viam sibi parasse dicebatur.

Catalog. Ju. Græ. R.

Hic ergo Patriarcha, jubente Andronico, in Festo Pentecostes, die decima septima Maji, anno millesimo centesimo octogesimo secundo, Alexium Imperatorem coronavit, quem Andronicus, ut Principi juveni plus honoris exhiberet, humeris suis impositum ad Ecclesiam Majorem, calidis perfusus lacrymis, deportavit. Sed brevi exinde tempore elapso Andronicus consensum a propemodum invito extorsit, ut se Imperii socium adlegeret & promulgaret, tumque ambo mense Septembri, Indictione secunda

Nicet. n. 18.

cunda ineunte, anno juxta Chronologiam Græcorum sexies millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, salutis nostræ millesimo centesimo octogesimo tertio, coronati sunt solemni ritu, in quo Andronicus semper prior nominabatur, ridiculo prætextu, haud decere nomen pueri viro seni & venerabili præponi. Ubi vero in Officio Divino ad Communionem perventum, Andronicus accepto pane cœlesti, extendens manus, ut calicem prehenderet, per terribilia Mysteria juravit, se nullo alio consilio impulsum recipere Imperium, quam ut Alexii juventutem adjuvaret. Sed ecce, vix paucis diebus exinde consumtis, illi, qui Andronico a consiliis erant, pronunciant, de salute periclitari Rempublicam, in qua plures regnarent. Capitis damnatur Alexius, & quidam, noctu eum adorti, nervo arcus strangulant. Corpus defertur ad Andronicum, qui calcibus ejus latera pulsans multas exanimi injurias a patre & matre sibi illatas exprobravit. Ipso deinde jubente, cadaveri cervices amputatæ, caput ad Andronicum reportatum, truncus, sarcophago plumbeo inclusus, in profundum maris abjectus. Sæcul. XII. A.C. 1183.

Ita Alexius Comnenus Imperator, Manuelis filius, rebus humanis exemtus

Sæcul. XII. A. C. 1184.

tus est, anno ætatis nondum decimo quinto, Imperii tertio, exacto.

Desponsatam sibi habebat Alexius Agnetem, Regis Franciæ Philippi Augusti sororem, quam Andronicus salacissimus senex undecim annorum adolescentulam sibi matrimonio junxit. Tum Imperio & uxore Alexii, sobrini sui, potitus, a Patriarcha & Synodo absolutionem rogavit a jurejurando quod Manueli & Alexio Imperatoribus præstiterat, & quod tam immaniter violaverat; eandemque gratiam pro conjuratis omnibus impetravit, quam adulatores Præsules, editis Decretis, concessere, honoris umbram, ceu præmium violatorum Canonum, confectati; ut nimirum subselliis juxta solium Imperatoris collocatis ipsi assiderent. Sed cum Andronicus ultra duos annos non imperaverit, brevissimi temporis privilegium fuit.

§. LII.

Abbatis Fuldensis ambitio.

Arnold. Lubec. Chro. Slav. 3. c. 9.

In Germania Fridericus Imperator Moguntiæ in Pentecoste, anni sequentis millesimi centesimi octogesimi quarti, Comitia celebravit, ut filium suum Henricum, Regem Romanorum, solemni ritu Equitem crearet. In quo Conventu Abbas Fuldensis Imperatori exposuit; eo privilegio gaudere suum Monasterium,

rium, quod, si Curia Cæsarea Mogun- Sæcul. XII.
tiæ haberetur, Archiepiscopo ad dextram A.C. 1184.
Imperatoris acquiescente, Abbas Fuldensis ad sinistram sederet. *Nunc vero*, adjecit Abbas, *quoniam Archiepiscopus Colonienſis jam diu hoc jure nos privat, hodie te rogamus ; redde nobis debitum honoris locum.* Mox Imperator conversus ad Archiepiscopum, *audivisti*, inquit, *quid contra te attulerit Abbas, da id precibus nostris ; noli turbare Festi hujus lætitiam, sed concede ei locum, quem sibi competere affirmat.* Archiepiscopus surgens, *faciet*, ait, *Serenitas tua, quod videbitur. Occupet Abbas locum, quem exoptat. Ego vero, ne succenseas, domum remeo.* Jamque Archiepiscopo abeunte Comes Palatinus Rheni, Imperatoris frater, eique proximus, surgens, *Domine*, ait, *Vasallus sum Archiepiscopi Colonienſis. Æquum est, ut discedentem sequar.* Eadem Dux Brabantiæ & complures alii Principes dicebant. Tunc autem Henricus Rex juvenis, intelligens, ex tot Principum abitu turbas orituras, Archiepiscopi Colonienſis collum amplexus, *carissime Pater!* ait, *mane, obsecro! ne gaudium nostrum in luctum verte.* Fridericus Imperator quoque, ne excederet ex cœtu, rogavit, affirmans, se neutiquam ea mente quidquam dixisse, ut ipsum offende-

ret.

Sæcul. XII. A.C. 1184.

ret. Itaque quolibet illam Sedem, quam prius occupaverat, repetente, concordia rediit. Ceterum Archiepiscopus, non ignorans, quid Abbas moliturus esset, ad hæc comitia quatuor armatorum millibus cinctus advenerat. Ante annos centum viginti, nempe anno millesimo sexagesimo tertio, similia jurgia nobis occurrerunt, inter Episcopum Hildesheimensem & Abbatem Fuldensem exorta, funestiore exitu.

Sup. Lib. LVI. §. 9.

§. LIII.

Concilium Veronense.

Inde Imperator in Italiam profectus ad Lucium Papam Veronam venit, quo se se recipere, eum Romanorum insolentia compulerat. Nam, ut cetera taceamus, cum illi extra Urbem complures Papæ Clericos comprehendissent, effossis omnium, uno excepto, oculis, miseros ad Pontificem remiserunt, qui Anathemate crudelissimi facti auctoribus dicto, relicta Roma, cum suis Veronam venit, ubi usque ad obitum suum fuit. Cum Papa & Imperatore complures etiam Præsules & Optimates Veronæ tunc degebant; unde celebratum est Concilium, quod prima die Augusti anno millesimo centesimo octogesimo quarto inchoatum, necdum quarta die Novembris solutum erat. In hoc Concilio

Auct. Aquicinct. an. 1184. Nang. 1183.

Rub. l. 6. p. 355. Rad. de Diceto p. 624.

cilio Lucius Papa, edita Constitutione lo- Sæcul. XII.
quitur in hunc modum: A.C.1184.

§. LIV.

Decretum contra Hæreticos.

Vigore Ecclesiastico excitari nos oportet ad abolendas varias Hæreses, quæ nostra ætate in plerisque locis pullulare cœperunt; idque eo facilius effici posse speramus, quod zelus noster Cæsarea potestate fulciatur. Quare, præsente dilectissimo Filio Nostro Friderico Imperatore, id suadentibus Fratribus nostris Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, aliisque ex diversis orbis partibus Principibus, hoc Decreto nostro omnes Hæreses & Hæreticos cujuscunque demum nominis, ac inter alios, Catharos & Patarenos, quique falso se dicunt Humiliatos, seu Pauperes de Lugduno, Passaginos, Josephistas, & Arnoldistas damnamus, & perpetuo anathemati subjicimus. Quia vero non nulli specie pietatis munus prædicandi sibi arrogant, eodem anathematis vinculo constringimus omnes illos, qui nulla a nobis vel Episcopi Diœcesani accepta auctoritate & præcepto, privatim vel publice prædicare ausi fuerint. Damnamus omnes, qui aliud quam Ecclesia Romana de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini Nostri JEsu Christi, de Baptismo, de Remis-

to. 10. Conc. p. 1737. extra de hæret. ad abol. c. 9. Decret. Collect. l. l. 5. t. 6. c.

Sæcul. XII. A.C. 1184.

Remissione peccatorum, de Matrimonio, ceterisque Sacramentis sentiunt vel docent. Damnamus omnes & singulos, quos Ecclesia Romana, vel quilibet Episcopus in sua Diœcesi, cum consilio Clericorum suorum, vel solus Clerus, Sede vacante, adhibito consilio Episcoporum vicinorum, si opus fuerit, Hæreticos esse judicaverint. Damnamus omnes, qui his Hæreticis, sive CONSOLATI, sive CREDENTES, sive PERFECTI aut quocunque alio nomine superstitiose dicantur, receptaculum vel præsidium concesserint.

Præterea, quia Disciplinæ Ecclesiasticæ rigor non nunquam ab illis contemnitur, qui ejus virtutem ignorant, præcipimus, ut qui memoratorum errorum manifeste convicti fuerint, si Clerici sint aut Regulares, omni Ordine & Beneficio exuantur, & sæculari potestati tradantur, pœnas, ut meriti sunt, subituri. Nisi forte reus, quamprimum deprehensus fuerit, coram Episcopo loci Hæresim abjuret. Idem servetur, si reus sit Laicus, qui nisi abjuraverit, a Judice sæculari puniatur. In quos merito Hæresis suspicio ceciderit, similiter puniantur, nisi idoneo argumento se innocentes probaverint. Qui autem, postquam semel abjuraverint vel se de suspicione purgaverint, relapsi fuerint, Judi-

cio

cio sæculari relicti sint, & non amplius audiantur. Bona Clericorum damnatorum Ecclesiis, in quibus ministrabant, addicantur. Ista Excommunicationis sententia contra omnes Hæreticos in Festis præcipuis, vel quandocunque se obtulerit occasio, ab omnibus Episcopis promulgetur, negligentes ad triennium ab officio Episcopali suspendantur. Sæcul. XII. A.C. 1184.

His ex consilio Episcoporum, atque ab Imperatore & Curiæ Cæsareæ Principibus moniti, adjicimus, & volumus, ut quilibet Episcopus semel bisve per annum, vel ipse vel ejus Archidiaconus, vel alii viri idonei lustrent Diœcesis regiones, in quibus latere Hæreticos fama publica indicaverit. Episcopus tres quatuorve viros vel etiam plures optimæ famæ, quin, si necessarium existimet, totam viciniam ad jurandum compellat, quod, si sciverint, ibi degere Hæreticos, vel aliquos ad clandestinos conventus pergentes, vel qui vitam a ceterorum Fidelium more abhorrentem ducant, eos ad Episcopum vel Archidiaconum deferre velint. Episcopus vel Archidiaconus accusatos ad se vocet, & nisi pro consuetudine illius regionis objectum diluerint, aut si relapsi fuerint, ex judicio Episcoporum pœnas dent. Si jurare detrectaverint, Hæretici habeantur.

Sæcul. XII. A. C. 1184.

Constituimus etiam, ut Comites, Barones, Rectores & Consules Civitatum aliorumve locorum, ab Episcopis moniti, jurejurando promittant, quod in omnibus supra memoratis Ecclesiæ contra Hæreticos & conscios auxilium bona fide præstare velint, & strenue exequi, quæ Ecclesia & Imperium de iis decrevissent. Si partibus suis desint, officiis civilibus priventur in perpetuum. Ipsi excommunicentur, & eorum ditiones Interdicto subjiciantur. Urbs, quæ huic Decreto obstiterit, & ab Episcopo admonita, reos non coercuerit, jure commercii cum aliis civitatibus exuatur, & Sedis Episcopalis prærogativam amittat. Omnibus Hæreticorum Fautoribus infamiæ nota inuratur, ab officio Causidici, testis, & quocunque publico munere arceantur. Qui exemti sunt a Jurisdictione Episcopi, & soli sacræ Sedi subjecti, non obstantibus eorum privilegiis, in rebus ad hoc Decretum nostrum pertinentibus Episcoporum, tanquam a Sacra Sede Delegatorum, Judicium subeant (*).

Ex

(*) Baronius & Pagi hunc Conventum ad annum milleſimum centeſimum octogeſimum quintum referunt. Et quidem de eo Eminentiſſimus Cardinalis ita loquitur: *Milleſimus centeſimus octogeſimus quintus annus ſalutis agitur,*

Ex hoc Decreto utramque Potestatem ad extirpandas Hæreses operam jungere dispicimus. Ecclesia Excommunicationis rigorem & ceteras Censuras adhibet, Imperator, Principes, Magistratus pœnis temporalibus in reos animadvertunt. Præterea videor mihi hic deprehendere originem *Inquisitionis* in Hæreticos, cum injungitur Episcopis, ut vel ipsi, vel ipsis jubentibus Delegati, homines de Hæresi suspectos quærant, sive rei rumore publico sive delatione privata proderentur. Cum discrimen habetur suspectorum, convi- Sæcul. XII. A.C. 1184.

tur, *Indictione tertia, quo Veronæ congressus est habitus Papæ & Imperatoris, Christianæ Reipublicæ causa coeuntium. Errant, qui putant, tunc Episcoporum celebratum esse Concilium.*

At Pagius ad eumdem annum dicit: *Denique Baronius in eo peccavit, quod nolit Colloquium hoc pro Concilio haberi. Nam jam non semel monuimus, Conventus & Colloquia, in quibus de rebus Ecclesiasticis agitur, vel quibus Episcopi interfunt, Concilia passim ab antiquis appellata, indeque in Conciliorum Collectionem prudenter inserta.*

In Actis Conc. R. P. Harduini Edit. Paris. occurrit quidem ad annum 1184. Concilium Veronense; sed quidquam aliud narrari videtur, & tota res quindecim lineis absolvitur.

Sæcul. XII. A. C. 1184.

ctorum, pœnitentium & relapsorum, iisque diversæ pœnæ infliguntur. Tandem cum Ecclesia exhaustis Censuris Ecclesiasticis reos potestati sæculari relinquit, quos illa iterum puniat, experientia edocta, complures Christianos, inprimis recentiores hosce Hæreticos, pœnis spiritualibus non moveri.

Ergo nunc saltem veritas cognoscebatur, quod ultra pœnam spiritualem temporalis quoque adhibenda sit contra eumdem delinquentem, nec ideo timendum, ne Regula: *Non bis in idem*, violetur, cujus defensio ante annos viginti præcipua causa fuit, quod S. Thomas Cantuariensis persecutionem passus sit.

Sup. Lib. LXXI. §. 3.

§. LV.

Waldensium Origo.

V. Cang. Gloss. Pater. Bonacurs. to. 13. Spicil. p. 75.

Si spectemus Hæreticos in Pontificis Decreto occurrentes, Cathari seu Paterini sunt recentiores Manichæi, quorum tam sæpe meminimus. Passagini seu *Passages* Legem Mosaicam ad literam observari præcipiebant, & negabant Trinitatem, Patres ac totam Ecclesiam Romanam damnabant. Ceterum nomen suum a voce Græca *Pasagios*, id est, *totus Sanctus*, traxisse videntur. At operæ pretium est, ut Humiliatos & Pauperes Lugdunenses attente discutiamus, quod eorum exordia bona & laudabilia fuisse

Abbas Ursp. an. 1212. Jac. Vitr. hist. occid. c. 28. Cang. Gloss. Humil.

fuisse constet. Humiliati primo in lucem emersérunt in Longobardia, viri mulieresque, admodum pauperes, & bona communia habentes. Vestimentis tegebantur rigidis, atque gestu, sermone, totoque habitu magnum humilitatis studium profitebantur. Labore manuum suarum maximam partem sustentabantur, & jure proprietatis nihil possidebant. Erant inter ipsos Laici, omnes prope literati. Omnes Officium Canonicum diurnum nocturnumque recitabant. Complures nunquam carnibus vescebantur, nisi gravi infirmitate pressi, nec ullo vestitu lineo utebantur. Hujus Instituti mulieres ita a viris erant remotæ, ut eas ne quidem in Ecclesia conspicere possent, nam murus easdem separabat, cum Sacerdos pro concione diceret. Ipsorum vitæ rationem Papa approbaverat, Clericisque & Laicis literatis licentiam, non solum in ædibus suis, sed etiam in foris & in Ecclesiis prædicandi, si Præsules consensissent. Ita multos converterant, & Ordinem suum mire propagaverant; nam præter illos qui in Congregatione communem vitam ducebant, complures, eorum hortatu impulsi, in sæculo cum uxoribus & liberis sancte versabantur. Humiliati isti terribiles videbantur Manichæis, quos publice confutabant, & fraudes eorum

Sæcul. XII. A.C.1184.

Sæcul. XII. A.C. 1184.

detegebant. Non nullos etiam ad frugem reduxerunt. Neutiquam vero de his accipiendum est Lucii Papæ Decretum, sed de illis, qui, nomen Humiliatorum mendaciter jactantes, prædicare, confitentes audire, Ministerium Ecclesiasticum obire, ab Episcopis non missi, præsumebant.

Abbas Ursp. an 1212. *p.* 318.

Reine cont. Wald. c. 5.

Pauperes Lugdunenses frequentius Waldenses dicuntur, cujus Sectæ anno millesimo centesimo sexagesimo hæc origo fuisse narratur. Quibusdam ex spectatissimis civibus Lugduni congregatis, aliquis eorum in omnium conspectu subito extinctus est, tristisque casus Petrum Waldonem, in illo virorum cœtu stantem, ita perculit, ut statim magnam pecuniæ vim in pauperes sparserit, sicque non paucos ad se pertraxerit. Ille sequaces hortabatur, ut JEsum Christum & Apostolos imitantes paupertatem voluntariam susciperent, & quia literas utcunque didicerat, Novi Testamenti Scripturas eis lingua vulgari explicabat. Viris Ecclesiasticis novi Præconis temeritatem reprehendentibus, sprevit monita, atque ut ante suos docuit, dicens, Clericos, quos corruptorum morum suorum puderet, sanctam vitam & doctrinam ipsis invidere. Itaque isti pauperes a nomine Magistri sui Waldenses dicti sunt, tum etiam Leonistæ ab

ab urbe Lugduno, Sabbathati & Insabbathati a calceis singularis formæ, sive quod Calopodiis uterentur, vel quod superiorem calcei partem in modum crucis incisam deferrent. Isti vero Hæretici a Catharis seu Albigensibus, longe antiquioribus, distinguendi sunt. Ceterum necdum deprehendimus. Recentiores hosce alio errore, nisi quod otiosam paupertatem amarent, & Clericorum auctoritatem contemnerent. De Arnoldistis suo loco nobis sermo fuit, sed de Josephistis seu Mesopinis, ita enim in quibusdam exemplaribus vocantur, nihil invenio.

Sæcul. XII. A.C. 1184.

Cang. Sabatati.

Ebrard. cont. Wald. c. 25.

§. LVI.

Quæ in Concilio Veronensi secuta sunt.

Dum Lucius Papa Veronæ Concilium celebrabat, quidam Clerici ex diversis Regionibus, a Schismaticis, sedente Alexandro Papa, ordinati, in illam urbem confluxerunt, atque Imperatore Papam enixe rogante, ut eis veniam daret, & quemque Ordini suo restitueret, statim quidem reis indulsit, fecitque potestatem Libellos suos supplices offerendi, ut singulis gratiam pro diversitate casus dispensaret; sed altera die mutata mente ait; quod sententia suspensionis

Arnold. Lubec. III. c. 10.

Sæcul. XII. A. C. 1184.

contra hos Clericos in Concilio Universali anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo lata, non niſi in æquali Concilio retractari poſſet, promiſitque ſe in hac cauſa Concilium Lugduni celebraturum. Conradus Archiepiſcopus Moguntinus & Conradus Epiſcopus Wormatienſis Pontificem a propoſito dimoviſſe ferebantur, Germanis acriter conquerentibus. Unde Cardinales dicebant, Germanos minantibus quam rogantibus propiores gratiam petere.

Veronæ de alio quoque gravis momenti negotio, nempe de Electione Archiepiſcopi Trevirenſis, actum. Magna illa Sede, Arnoldo Archiepiſcopo defuncto, vacante, diffidebat Capitulum, his Volmarum Archidiaconum, aliis Rudolphum Præpoſitum, Epiſcopum depoſcentibus. Communi conſenſu decretum, quod ad horam nonam conventuri eſſent ad ſchisma componendum. Verum Volmarus antevertens præſtitutum tempus, ſe a ſibi ſuffragantibus eligi, & Sedi Epiſcopali imponi curavit. Superveniens Rudolphus cum clientibus ſuis & fautoribus, edixit, nullam eſſe Volmari electionem, & a Præpoſitis eſſe rejiciendam. Dum Canonici in hunc modum litigarent, & Fridericus Principes Confluentiam convocaſſet, viſum eſt omnibus, jurgantibus Eccleſiæ Trevi-

Mag. Chro. Belg. p. 201.

renſis

renſis Clericis, Imperatoris eſſe, ſuo ſuffragio finem ſchismatis facere & Archiepiſcopum, virum idoneum, nominare. Itaque Fridericus Rudolpho Inveſtituram concedit, & Volmarus ad Papæ tribunal rem defert. Dumque & Papa & Imperator ſuum quisque clientem conſtanter tuetur, re infecta diſceſſum eſt. Schisma Eccleſiæ Trevirenſis ſeptem annis tenuit. Præterea poſtulabat Imperator Fridericus, ut Papa Filium ſuum Henricum Imperatorem coronaret. Quod facere recuſans Papa dicebat; priusquam alium ungeret & corona ornaret, Fridericus eam deponeret, duos enim Imperatores unum Imperium non capere. Sæcul. XII. A.C. 1184.

§. LVII.

Legati Hieroſolymitani in Francia.

Concilio Veronenſi necdum ſoluto, die quarta Novembris, Imperatore, Papa, Cardinalibus, & plerisque Epiſcopis in Majore Eccleſia congregatis, Gerardus Archiepiſcopus Ravennas triſtem Regni Hieroſolymitani ſortem publice expoſuit, omnis conditionis homines ad opem ferendam pro remiſſione peccatorum ſuorum exhortans. Nempe Balduinus IV. Rex Hieroſolymæ morbum in dies invaleſcere ſentiebat, viſum caligantibus oculis amiſerat, elephan- *Rad. de Dice. to. p.* 634.

Sæcul. XII. A.C. 1184.

tiasis usum manuum pedumque abstulerat, quibus omnibus infirmitatibus, cum *Nazareth* moraretur, violenta febris accesserat. Nihilominus eo adduci non potuit, ut Regnum & coronam dimitteret; sed Principibus, Regina Matre, & Patriarcha præsentibus, Guidonem Lusignanum Comitem in *Joppe* & in *Ascalon* Reipublicæ præfecit, Dignitate Regia, jure in civitatem Hierosolymam, & decem millium nummorum aureorum censu in singulos annos sibi servatis.

c. 29.

Verum haud diu post, cognoscens, juvenem Principem Regno esse imparem, atque privatim etiam ab eo offensus, potestatem ipsi datam retractavit, utque etiam spem in regno succedendi adimeret, Balduinum nepotem suum ex sorore Sibilla, Marchionis Montiferratensis defuncti ejus mariti filium, etsi puerulus vix ad quinquennium perveniisset, solemni ritu coronari jussit. Quod, vigesima Novembris anno millesimo centesimo octogesimo primo peractum, sapientioribus ideo solum probabatur, quia potestas Guidoni Lusignano auferebatur, dum tamen sub Rege seniore ægrotante, & ejus nepote puerulo Regnum in tantis angustiis strenuo viro destituebatur.

Lib. XXIII.

Guido Lusignanus intra Ascalonis munimenta se recepit, Regi, affini suo, palam

lam refractarius. Ille Regni gubernacula Comiti Tripolitano commisit. Sæcul. XII. A.C.1185.

Tunc igitur miser Rex intelligens, quam gravis immineret Saladinus, & ultima metuens, Heraclium Patriarcham Hierosolymitanum, Arnaldum Templariorum Magistrum & Rogerium Magistrum Hospitalariorum in Occidentem misit. Qui feliciter Brundusium appulsi, cum comperissent, Papam & Imperatorem Veronæ versari, illo se contulerunt; a neutro autem ipsis factis auxilia acceperunt, nisi quod Papa eis Epistolas commendatitias ad Reges Franciæ & Angliæ dedit. Templariorum Magistro Veronæ fatis functo, Patriarcha & Magister Hospitalariorum, in Franciam devecti, Lutetiam Parisiorum decima sexta Januarii anno millesimo centesimo octogesimo quinto pervenerunt, quos Mauritius Episcopus Parisiensis cum Clericis populoque obviam procedens peramanter excepit. Tumque Patriarcha Missam in Ecclesia Dominæ nostræ celebrans, etiam ad populum dixit. Ubi ad Regem Philippum Augustum perlatum, Legatos ex Palæstina adveniisse, relictis omnibus aliis negotiis eos invisere festinavit. Honorifice exceptis osculum pacis dedit, ac ad suos præfectos mandata misit, quibus præcipiebat, Legatos ubique ex ærario suo sustentari.

Rad.de Dic. p. 6. 3. 625.

Rigord.p.14

Ipsi

Sæcul. XII. A.C. 1185.

Ipsi claves urbis Hierosolymitanæ & S. Sepulchri Philippo obtulerunt, qui, postquam eos itineris suscepti causam exponentes audivisset, Concilio generali Episcoporum & Principum Regni Parisios convocato, iisdem suadentibus injunxit omnibus Præsulibus, ut Subditos suos frequentissime ad iter Hierosolymam pro defensione Fidei suscipiendum exhortarentur. Ipsi vero Regi, necdum prolem habenti, nemo suadebat, tanta adire pericula; sed suis sumtibus promtissimos Equitum, cum multis peditum copiis illuc misit.

§. LVIII.

Legati Hierosolymitani in Anglia.

Rog. Hoved. p. 628.

Duo Legati Hierosolymitani deinde, relicta promte Gallia, ad oram Angliæ adversam, ineunte Februario, anno millesimo centesimo octogesimo quinto, exponuntur. Hospites *Redingis* excepit Rex, cujus pedibus advoluti Vexillum Regium cum clavibus S. Sepulchri, Turris Davidicæ, & urbis Hierosolymitanæ ei tradiderunt. Tumque nomine Regis Balduini, Principum, totiusque Regni & populi Hierosolymitani Henricum salutant, ac inter gemitus & lacrymas, quanta calamitate urgente ex Oriente in Occidentem iter facere coacti fuerint, narrant. Epistolam quo-

ep. 2. to. 10. Conc. p. 1737.

que

que Lucii Papæ Regi reddiderunt, in qua miserandam terræ sanctæ sortem, Saladino victore, & Rege Hierosolymæ ægrotante, describebat. Patriarcham & Magistrum Hospitalariorum Regi Angliæ commendabat, & memoriam refricabat, quod aliquando auxilia in Palæstinam mittere promisisset. Tunc nempe cum absolutionem ob cædem S. Thomæ Cantuariensis acciperet. Respondit Rex; Deo adjuvante, omnia feliciter eventura, edixitque, Legatos, quid ipse statuisset, prima Quadragesimæ Dominica, hoc anno millesimo centesimo octogesimo quinto in diem decimam Martii incidente, audituros. Sæcul. XII. A. C. 1185. *Sup. lib. LXXII. §. 37.*

Hac igitur die Londini adfuerunt Rex Henricus, Heraclius Patriarcha, Episcopi, Abbates, Comites & Barones Angliæ, Guilielmus Rex Scotiæ, cum Davide fratre suo & illius Regionis Optimatibus. Tum, elapsis inde octo diebus, de his quæ Legati attulerant deliberatum. Præcipue vero quærebatur, an expediret, Regem ipsum ad opem Hierosolymis ferendam proficisci, aut remanere in Anglia, cujus Regni coronam coram facie Ecclesiæ accepisset. Quidam contra profectionem objiciebant Sacramentum, quo se cum ungeretur, obstrinxisset, & affirmabant, Regem multo magis obligari ad pacem in regno suo conservan- *Rad. Dic. p. 626.*

Sæcul. XII. A.C. 1185.

servandam, idque contra assultus exterorum defendendum, quam ad immensum iter in Orientem arripiendum, ut Palæstinam ab Infidelium armis ipse præsens vindicaret. Si enim Angliam relinqueret, timendum, ne tum Franci, tum ipsi Regis filii, Rempublicam turbarent. Horum consilium amplexus Henricus, conversus ad Hierosolymæ Patriarcham, se quidem non profecturum, respondit, sed data pecunia eos adjuturum, qui in Palæstinam peregrinaturi essent. Cui Patriarcha, haud sane hoc responso contentus, *nihil nobis auxilii præstas, o Rex*, inquit, *virum quærimus, non pecuniam, quæ nobis ex omnibus Regionibus Christianorum abunde mittitur. Belli Duce, inquam, & spectatæ virtutis Principe, nobis opus est.* Tandem rogabat, ut Rex saltem aliquem filiorum suorum mitteret, atque ille, non posse se filios absentes ad difficillimam profectionem adstringere, respondit. Tunc vero Patriarcha intelligens, spem suam se fefelliſſe, Dei vindictam minatus est Regi, usque adeo in Principem invehi ausus, ut ei perfidiam in Regem Franciæ, & S. Thomæ Cantuariensis necem exprobraret. Cumque Regem tanta linguæ intemperantia vehementer commotum videret, porrecto collo, *fac*, inquit, *mihi*

Girald. II. Hib exp. c. 25. &c. J. Brompt. Chron.

mihi, quod Thomæ Martyri feciſti. Malo enim a te in Anglia perimi, quam a Saracenis in Syria, cum quocunque Saraceno pejor ſis. Sæcul. XII. A.C. 1185.

Exinde Henricus Rex, Patriarcha, & Hoſpitalariorum Magiſter, in Normanniam transvecti, Rotomagi Feſtum Paſchæ, quod hoc anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto in diem vigeſimam primam Aprilis incidebat, celebrarunt. Ubi Regi Franciæ nunciatum, adveniſſe Regem Angliæ, celeriter ad eum in arce *Vau de Reuil* prope Rotomagum inviſit, ubi, cum triduo conſultaſſent, valido militum aurique auxilio Terræ ſanctæ ſuccurrere ſtatuerunt. Et quoniam Rex Angliæ cunctis ſuis ſubditis poteſtatem cum Crucigerorum agminibus proficiſcendi fecerat, complures etiam Epiſcopi ſe ad expeditionem ſacram accinxerunt. Antiſtitum præcipui, Archiepiſcopi duo, nuper ordinati, Balduinus Cantuarienſis & Gualterius Rotomagenſis, fuerunt. *Rog. p. 630. Id. p. 629.*

§. LIX.

Balduinus Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Richardus Archiepiſcopus Cantuarienſis anno ſuperiore milleſimo centeſimo octogeſimo quarto die Veneris decima *Chro. Gerv. an. 1184. Rad. Dic. p. 618. Petr. Bles. ep. 5.*

Sæcul. XII. A.C. 1185.

ma septima Februarii, postquam ultra annos decem sedisset, e vita excesserat. Accusabatur, quod ei major cura de rebus Ecclesiæ suæ temporalibus, quam spiritualibus fuisset, & favore Regis, a quo teneré amabatur, ad malos reprimendos non fuisset usus. Ipso defuncto Sedes plus quam decem mensibus vacavit, quod illius Provinciæ Episcopi, & Monachi Ecclesiæ Cathedralis de jure eligendi Archiepiscopum litigarent. Episcopi vigesima tertia Octobris Balduinum, antea Episcopum Vigornienſem, Archiepiscopum elegerunt, & Monachi sua ex parte Dominica tertia Adventus die decima sexta Decembris anno millesimo centesimo octogesimo quarto eidem suffragati sunt. Ae tandem accepta a Lucio Papa electionis confirmatione, & Pallio, Balduinus solemni ritu in Festo S. Dunstani, die decima nona Maji, anno millesimo centesimo octogesimo quinto, in Cathedram Cantuarienſem invectus est. Balduinus Exoniæ parentibus, bonis fortunæ destitutis, natus, cum aliquamdiu cuidam scholæ præfuisset, ob eximia merita Archidiaconus creatus est. Sed paulopost, dimissa hac Dignitate, Monachum Ordinis Cistercienſis induit, atque uno anno consumto Abbas Fordenſis in provincia Devonienſi eligitur. Unde anno millesimo

Goduin. p. 114. Gervas. Act. Pontif. p. 1675.

cente-

centesimo octogesimo primo ad implendam sedem Episcopalem Vigornienſem evocatur. Vir erat admodum ſobrius, modeſtus & mitis, ſed vigore neceſſario ad coercendam improborum licentiam carere, ac melior monachus quam Epiſcopus fuiſſe dicebatur. Ceterum primus ex Ordine Ciſtercienſi Cathedram Cantuarienſem conſcendit; quam annis ferme ſex tenuit. Sæcul. XII. A.C. 1185.

Gualterius Conſtantinenſis, Archiepiſcopus Rotomagenſis ſucceſſerat Rotruvio, vigeſima quinta Novembris, anno milleſimo centeſimo octogeſimo tertio, fatis functo, poſtquam nobiliſſimæ Eccleſiæ annis prope viginti præfuiſſet. Gualterius olim Canonicus Rotomagenſis, & deinde Archidiaconus Oxonienſis, exeunte anno milleſimo centeſimo octogeſimo tertio, Epiſcopus Lincolnienſis electus, Andegavi a Richardo Archiepiſcopo Cantuarienſi conſecratus eſt. Sed brevi poſt tempore Rotomagum translatus, & in Feſto S. Matthiæ, vigeſima quarta Februarii, anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto ſolio Archiepiſcopali ſolemni more impoſitus. Sedit vero annis viginti duobus. Sed quamvis hi Præſules accepto Crucis ſigno ſacram profectionem voviſſent, moras tamen trahebant, & Patriarcha Hieroſolymitanus viam in Orientem relegit, haud

Gal. Chriſt. Chron. Alb. 1164. 1183. *Chron. Rothom. Lab. 1. bibl. p.* 369.

Goduin. p. 344.

Sæcul. XII. A.C.1185.

haud sane tanto, quantum speraverat, itineris lucro sequente. Eodem anno 1185. Balduinus IV. e vivis abiit, &

Sanut. p. 172

quia lepra, qua affligebatur, uxorem ducere prohibitus fuerat, successorem sibi delegit, nepotem suum Balduinum V.

G. Tyr. 1004 *Guil. Neubr.* 3. *c.* 16.

jussu ipsius anno millesimo centesimo octogesimo primo coronatum, sororis suæ Sibillæ, & Guilielmi *a longo gladio* dicti, Marchionis Montisferratensis filium, puerum novennem, qui anno sequente millesimo centesimo octogesimo sexto rebus humanis ereptus est.

§. LX.

Thessalonica a Siculis capta.

Nicet. 1. *Andron. n.* 7. *Jo. Cec. Chron. an.* 1155.

Inter hæc Guilielmus Rex Siciliæ, instigante quodam Alexio Comneno, Manuelis Imperatoris propinquo, bello terra marique adornato, Imperium Constantinopolitanum armis subjicere moliebatur. In Festo S. Joannis anno millesimo centesimo octogesimo quinto

Nicet. p. 194.

Dyrrachium, &

p. 192.

eodem anno, quem Græci sexies millesimum sexcentesimum trigesimum tertium numerabant, die decima quinta Augusti, Thessalonica ab ejus Ducibus capta. Sed Siculi victoriæ gloriam crudelitate & sacrilegiis obfuscarunt; quippe Græcos in ipsis Ecclesiis, ad quas confugerant, obtruncabant, sacras imagines conculcabant, quæ apud Græ-

Græcos sunt figuræ in ligneæ tabulæ plana superficie depictæ. Has in plateam projectas deinde ad focum in culina accendendum admovebant. Non nulli sacra mensa conscensa, saltarunt, cecinerunt, & sanctuarium suo lotio polluerunt. Licet vero omnibus viribus reniterentur præfecti, militum ferocium licentia sequentibus etiam diebus sisti non potuit. Nobiles templa ingressi suo clamore Græcos, Divinum Officium celebrantes, turbabant, aut cantiones impudicas miscebant. Ita mutuum Græcorum & Latinorum odium magis magisque accendebatur. Sæcul. XII. A.C. 1185.

Eustachius Archiepiscopus Thessalonicensis, ovibus suis tanta calamitate pressis, omnia boni Pastoris munia implevit, vir doctissimus, edito in Homerum Commentario celebratissimus. Ante obsidionem urbis, ut poterat, fugere noluit, sed sponte includi se passus est, cum populo suo, ut in vastissima urbe obsessis solatium ferret, & patientiæ exemplum daret. Mœnibus expugnatis, Comites Siciliæ, copiis imperantes, adibat, animosque hostiles mitigabat. Illi Præsulem reverebantur, venienti assurgebant, loquentem tranquille auscultabant, ejusque precibus acquiescebant.

Sæcul. XII.
A. C. 1185.

§. XLI.

Andronici exitus. Isaacius Angelus Imp. Constantinopoli.

Nicet. 2. Andro. n. 1. 2 Cang. famil. Byz. p 201. Nicet. n. 10.

Capta Thessalonica, Siculi Constantinopolim moverunt, ubi dum Andronicus Imperator ad defensionem patriæ omnia comparat, ab inimicis domesticis, quos vir crudelis & suspiciosus in se concitaverat, opprimitur. Æmulorum gravissimum sensit Isaacium Angelum, cujus avus Constantinus, Philadelphiæ natus, Theodoram Alexii Comneni Imperatoris filiam natu minimam duxerat. Unde his nuptiis Angelorum familia, hactenus obscura, splendorem accepit. Isaacius igitur milite prætoriano, qui ad se vinciendum ab Andronico missus fuerat, cæso, ad S. Sophiæ Ecclesiam, quo omnes paricidii rei confugere solebant, se recepit. Confluit populi ingens cuneus, quid de Isaacio fortuna decerneret, spectaturus. Et ecce, complures eum sibi Imperatorem expetunt, effringuntur carceres, ab Andronico capti evocantur, & Isaacii capiti, priusquam e S. Sophia pedem efferret, Constantini Magni corona, super Altare, ut solebat, suspensa, imponitur. Tum unum ex Imperatoris equis, nam forte ab agasonibus ad aquam, qua lavabantur

bantur & unde bibebant, agebantur, conſcendere compulſus, per urbem circumducitur, comitante Patriarcha Baſilio Camatero, quem invitum populus trahebat. Ita Iſaacius Angelus Imperator ſalutatus & in poſſeſſionem Palatii Cæſarei miſſus eſt, quod populus eadem die diripuit, ne quidem ſacrarum imaginum ornamentis in Oratorio Imperatoris parcens, nec thecæ Reliquiarum, ubi Epiſtola JEſu Chriſti ad Abgarum data ſervari dicebatur. Sæcul. XII. A.C. 1185.

Andronicus perniciem ſuam fugiturus navem conſcendit; at comprehenſus & vinculis onuſtus Iſaacio ſiſtitur, quo connivente, omnis generis contumeliis violatur. Nam colaphis tunditur, barba & capilli capitis evelluntur, excutiuntur dentes, a plebe ludibrio habetur, maxime a mulieribus, quarum viros vel interfecerat, vel oculis privaverat. Tum miſero manus dextra ſecuri amputatur & ipſe in carcerem detruditur, nec tamen vel ullo cibo vel ſaltem potu refocillatur. Poſt dies aliquot captivo Cæſari unus effoditur oculus, dorſo ſcabioſi cameli impoſitus in forum publicum deducitur, nudo capite & calvo, ac centonibus utcunque tectus, a furenti plebe verberibus & contumeliis innumeris cruciatus. Alii enim fuſtibus caput percutiebant, alii ſpurcitiis n. 12.

Sæcul. XII. A. C. 1185. admotis nares implebant, aut elevata spongia, sordibus imbuta, vultum paulo ante Domini & Imperatoris sui inquinabant. In eum, in ipsius matrem & consanguineos convitia evomebant. Ipsum rabidum canem appellabant, lapidibus in camelo sublimem impetebant, & latera verubus fodiebant. Quædam femina perditissima ahenum ferventissima aqua plenum in subeuntis caput & faciem effudit. Quisque suam in patriam pietatem luculentissime testari putabat, si Andronicum vel aliqua contumelia vel dolore afficeret. Ipse omnia constanti animo perferebat, nullas nisi illas voces identidem repetens: *Kyrie eleison, Domine miserere!* ad populum vero insultantem ajebat: *Cur arundinem quassatam confringitis?* Ad verba S. Scripturæ alludens; quippe eam legerat, inprimis S. Pauli Epistolas, quibus delectabatur, etsi exinde, ut debuisset, mores suos non emendaverit. Tandem in theatrum pertractus & pedibus suspensus iterum cruciatur donec efflavit animam (*). Hic exitus, hoc fatum fuit

Matth. 12. 20

(*) Hic addit Natalis Alexander ad Sæc. XII. *Periit Andronicus anno millesimo centesimo octogesimo quinto. Biennio duntaxat Imperio potitus. S. Pauli Epistolas supra modum amabat,*

fuit infelicis Andronici, die duodecima Septembris anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto ſalutis noſtræ, Græcorum ſexies milleſimo ſeptingenteſimo nonageſimo quarto, prima die ejusdem menſis, cum Indictione quarta inchoa- Sæcul. XII. A.C.1185.

mabat, earumque lectione delectabatur. Imminens ejus exitium lacrymis ex ejusdem Apoſtoli imagine defluentibus prænunciatum, Græci mentiuntur. Ejus Imperii ſeu potius Tyrannidis hiſtoriam duobus libris conſcripſit Nicetas Choniates, ex quibus hæc defloravimus.

Ceterum, etſi Andronicus, uſurpato Dominorum ſuorum, quibus fidem juraverat, Imperio, & nefanda nece, tot opprobria & tanta ſupplicia meritus fuiſſet, non ideo tamen Græcis Principem ſuum & Imperatorem ſemel receptum rejicere, eique jurejurandô promiſſam fidem frangere, & multo minus tanquam peſſimum mancipium enecare, licebat. Sed hic etiam, ſicut ſæpius alias Græci perfidiæ & barbaræ indolis documenta dederunt. Raroque tantæ ſævitiæ in Reges exempla in aliis ſæculis occurrunt, ſi forte illud inauditæ feritatis ſpecimen excipias, quod ſuperiore ſæculo anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo nono Angli, in conſpectu orbis terrarum, ediderunt, cum Carolus I., Stuartus Angliæ & Scotiæ Rex, atque atavis Regibus ortus, prolata ſubditorum in Dominum ſuum ſententia, in foro publico, conducta carnificis opera, capite plexus eſt.

Sæcul. XII. A.C. 1185.

to, postquam annos duos Imperator Græcorum fuisset.

Nicet. 2. Isaac. n. 4. p. 259.

Isaacius Angelus novem annos & octo menses imperavit, ac in regni exordio a Siculis erepta strenue vindicavit. Patriarcham Basilium Camaterum, etsi non ultimum inter illos locum mereretur, quorum beneficio ad Imperii fastigium ascendisset, deponi jussit, illa ex causa, quod quibusdam feminis nobilibus, vestem Monasticam, quam compellente Andronico invitæ induerant, dimittendi licentiam contuliisset. Basilius Sedem Constantinopolitanam annos duos & menses sex obtinuerat, eique Isaacius Imperator Nicetam *Muntanes* suffecit, senem, Majoris Ecclesiæ Sacellanum, quem in Cathedra Patriarchali

Catal. tom. 1. hist Byz. p. 37.

ultra annos tres & menses sex
sedere non est
passus.



HISTO-

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LXXIV.

URBANUS III. PAPA.
FRIDERICUS I. IMPERAT. OCC. ISAACIUS ANGELUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Lucii obitus. Urbanus III. Papa.

Sæcul. XII. A.C. 1185.

Lucius III. Papa, hucusque Veronæ versatus, mortem oppetiit, vigesima quarta Novembris anno millesimo centesimo octogesimo quinto, postquam in Cathedra S. Petri annos quatuor, & tres ferme menses sedisset, atque altera die, vigesima quinta hujus men-

Pagi Papeb. conat. pag. 1185 n. 12. 13. & an. 1186. n. 1. Radulph. Dic. p. 629.

Sæcul. XII. A.C. 1185.

menſis ſepultus eſt (*). Eadem vero die qua Lucius tumulo illatus, Hubertus Crivelli, Mediolani natus, S. Petri ſucceſſor electus eſt. Eum, cum Archidiaconus Eccleſiæ Bituricenſis eſſet, S. Thomas Cantuarienſis ad ſe vocavit, ut ipſius frueretur conſortio. In Italiam deinde reverſus, & in Eccleſia Mediolanenſi Archidiaconi munere functus, Cardinalis, Tituli S. Laurentii in Damaſo, anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſecundo, a Lucio III. Papa creatur. Tum Algiſo mortuo Archiepiſcopus Mediolanenſis, atque elapſis exinde ſeptem menſibus, a Cardinalibus Papa una voce eligitur. Die Dominica ſequente, prima Decembris coronatus, Urbani III. nomen accepit, ac Sacram Sedem uno anno & undecim prope menſibus, ſimulque Archiepiſcopatum Mediolanenſem, tenuit. Literas, electionis ſuæ teſtes, ad

Ughel. Ital. Sac. to. 4. p. 232.
Vit. S. Tho. p. 162.

Pur. cell. monum ep. I. to. 10. Conc.

(*) Natalis Alexander ad hunc locum: *Corpus Lucii Papæ in Eccleſia Cathedrali Veronenſi conditum eſt. Cui Poeta non ineptus hoc Epitaphium ſcripſit:*

Luca dedit lucem tibi, Luci, Pontificatum
Oſtia, Papatum Roma, Verona mori.
Immo Verona dedit tibi lucis gaudia, Roma
Exilium, curas Oſtia, Luca mori.

ad omnes Episcopos ceterosque Præsules, apposita die duodecima Januarii, anno millesimo centesimo octogesimo sexto, Veronæ dedit. Sæcul. XII. A. C. 1186.

Fridericus Imperator interim in Longobardia commoratus, Festo Natali Domini anno millesimo centesimo octogesimo quinto Papiæ celebrato, nuptias Henrici Regis filii sui & Constantiæ, Rogerii Regis Siciliæ filiæ posthumæ, ac Guilielmi II. qui tunc rerum potiebatur, Amitæ, adornari jussit, & licet sponsa ad annos ætatis plusquam triginta & unum perveniisset, Henricus vero vigesimum primum ageret, hoc matrimonium Mediolani, in Ecclesia S. Ambrosii, vigesima septima die Januarii, anno millesimo centesimo octogesimo sexto, initum est. Inter illas cæremonias Fridericum Imperatorem Archiepiscopus Viennensis, Henricum Regem Patriarcha Aquilejensis, & Constantiam Reginam quidam Germanorum Episcopus coronavit, atque exinde Rex juvenis titulum Cæsaris, cum nomen suum scriberet, apposuit. Verum ista Urbano Papæ non probabantur, dicebat enim sicut Lucius, ejus Antecessor, Fridericum filio suo Dignitatem Imperatoris conferre non posse; nec placebant illæ nuptiæ, unde Henricus spem succedendi in Regno Siciliæ nanciscebatur, quia Rex Guilielmus, Con-

Gotefr. Viterb. Chro. par. 17. p. 513. 522

Rad. de Dic. p. 629.

Sæcul. XII. A. C. 1186.

Constantiæ nepos, prole carebat. Quare Urbanus omnes Episcopos, qui Conventui Mediolanensi interfuerant, ab officio sacerdotali suspendit.

Auct. Aquicinct. an. 1186.

§. II.

Chronicum Godefridi Viterbiensis.

to. 2. Pistorii. an. 1186. p. 504.

Ad hunc annum Chronicum Godefridi Viterbiensis, quod *Pantheon* dixit, clauditur. Erat Godefridus Presbyter, olim Conradi III. Imperatoris Capellanus & ab Epistolis, quod munus deinde etiam sub Friderico & Henrico VI. ejus filio obiit. Ad contexendum Chronicum suum, quo omnia, quæcunque ad Historiæ studium pertinere credebat, congessit, annis quadraginta incubuit, tumque absolutum Opus, Urbano III. dedicatum, ejusdem examini subjecit, *quia nullum scriptum*, ajebat, *nisi a sacra Sede approbetur, authenticum est.* Præterea dicit, operam suam Principibus multum profuturam, non enim fieri posse, ut sapienter gubernent, si rerum præteritarum ignari sint, & cum factorum suorum rationem nemini, nisi soli Deo, reddere teneantur, Reges exemplis virorum, qui ipsos anteceſſerunt, informari oportere.

Ceterum Godefridi Chronicum in viginti Partes dividitur, quarum prima & secunda sunt Dissertationes Theologicæ

gicæ de Natura Divina, de Creatione, & de conditione primi Hominis. In sequentibus prosequitur Historiam Veteris Testamenti a Diluvio usque ad Machabæos, addita Historia profana, maxime ex Chronico Eusebii. Pars decima tertia rursus est Tractatus Theologicus, in quo ubique veracitas Prophetarum, Mysteria S. Trinitatis, & Incarnationis contra Judæos & Hæreticos demonstrantur. Sæcul. XII. A.C. 1186.

Tum novum Testamentum & Historiam tam Ecclesiasticam quam Civilem ab Adventu JEsu Christi exorditur. Ubi de Constantino agit, dicit Auctor:

Tunc Imperator Silvestro Papæ insignia Dignitatis Regiæ dedit, atque ut Ecclesiis majorem quietem asseveret, Aulæ suæ pompam & tumultum Byzantium transtulit. Ex hac donatione dispicimus, quod Ecclesiæ Romanæ Romam, Italiam & Galliam contulerit. Verumtamen, qui Imperio favent, negant, Constantinum ita Regnum alienasse, sed solummodo Religionis reverentia motum, Papam in Patrem sibi elegisse, sicque ejus Benedictionem ac orationis subsidium impetrare voluisse. Adjiciunt argumentum; Constantinum, cum filiis suis Mundum divideret, alteri eorum Occidentem, in quo Italia posita est, tribuisse, quod utique facturus non fuisset, si Italiam antea par. 16. p. 385.

Sæcul. XII. A.C. 1186.

tea Ecclesiæ donasset. Præterea dicunt, Theodosium pluresque alios pios Imperatores, in partitione Imperii, Romam ceteraque Occidentis Regna sibi obnoxia & subdita tenuisse. Ecclesiæ autem Fautores respondent, non esse credibile, quod Deus Ecclesiam suam usque adeo spiritui reprobo tradidisset, ut bona sibi non propria possidere præsumserit. Nam complures viri Ecclesiastici, integerrimæ vitæ, usque in hanc diem Jura Regalia tenuerunt, quo non obstante ad Regnum Cælorum eos perveniisse nemo dubitat. Suppetunt etiam argumenta alia, quod Constantinus hæc jura Ecclesiæ pie ac juste concesserit, & illa licite acceperit. Si enim Deus juste principatum Regibus dedit, populique voluntatem flexit, ut se Regiæ potestati subjiciat, is etiam voluntatem Principum ad eamdem potestatem Ecclesiæ concedendam inclinavit.

Ego vero, subdit Godefridus, *si privatam meam opinionem proferre fas est, fateor me ignorare, num magis gloria & sublimitas præsentis Ecclesiæ, vel priorum temporum humilitas Deo accepta fuerit. Multi existimant, conditionem Ecclesiæ antiquæ fuisse magis sanctam, modernam vero magis prosperam. At ego sententiæ Ecclesiæ Romanæ, Matris nostræ, supra petram, quæ JEsus Christus est, fundatæ inhæreo, & credo, eam*

eam jure possidere, quæ possidet, cum ipsa errare, & fides ejus deficere non possit. Præpositis nostris hujus naturæ quæstiones definiendas relinquo. Sæcul. XII. A.C.1186.

Ubi Godefrido de excommunicationis censura, in Henricum IV. a Gregorio VII. lata, sermo est, subjungit: *Ante hujus Imperatoris tempora nuspiam aliquis excommunicatus aut regno privatus legitur* (*). Post pauca deinde Godefridus profitetur, se hucusque narrata ex aliis antiquioribus Scriptoribus accepisse, illa vero, quæ sequuntur, vel a viris fide dignis audivisse, vel oculis suis vidisse. Manum de tabula removit, ad annum millesimum centesimum octogesimum sextum, postquam nuptias Henrici VI. & Constantiæ Principis retulit. Sed in toto Historiæ hujus corpore multas etiam fabulas, immiscet, quo vitio ceteri quoque illius ævi Scriptores laborant. *Sup. lib. LXII. §. 29. p. 17. p. 499. p. 504.*

§. III.

(*) De S. Ambrosio Episcopo Mediolanensi legimus, ipsum Theodosium ob Thessalonicensium cædem, non equidem lata antea publice sententia, sed ipso facto Ecclesiam intrare volentem a Communione Sacra arcuisse. De potestate autem Principes jure Regni exuendi nullum usque ad Henricum IV. extat vestigium.

Sæcul. XII.
A. C. 1186.

§. III.

Pontificis & Imperatoris diffidia.

Arnold. Lubec. Chr. Slau. 3. c. 16.

Urbanus Papa & Fridericus Imperator sæpe consultabant de negotiis rebusque, quas Lucius infectas reliquerat, unde brevi funesta jurgia nata. Nam Urbano Papæ jura Ecclesiæ unice cordi erant, cumque Mediolani primo lucem aspexisset, memori menti inhærebat, quanta mala Fridericus patriæ suæ intulisset. Querebatur vero, quod Imperator contra fas invasisset ditiones, a Mathilde Principe Ecclesiæ Romanæ donatas. Quod spolia Episcoporum decedentium sibi raperet, unde successores, cum Ecclesias necessariis omnibus destitutas haberent, a Diœcesanis suis pensiones injuste extorquere cogerentur. Tandem quod complura Virginum Cœnobia pessumdedisset, quorum reditus ærario suo addixisset, obtendens, corruptæ vitæ licentiam in Abbatissis tolerari non potuisse; quasi vero expulsis improbis, alias exploratæ virtutis fœminas subrogare non potuisset. Contra Imperator acriter offendebatur, quod Papa Volmarum, electum Archiepiscopum Trevirensem Sabbato in Vigilia Pentecostes, quod Festum hoc anno millesimo centesimo octogesimo sexto in diem mensis Maji ultimam incidebat, Presbyterum

Sup. lib. LXX. §. 55.

Sup. Lib. LXII. §. 48.

terum Cardinalem ordinasset ac altera die Archiepiscopum consecrasset. Superius vero meminimus Imperatorem Rudolpho, Volmari æmulo, faviſſe. Sæcul. XII. A. C. 1186.

Sup. Lib. LXXIII. §. 50.

Pontificis, parentisque animos sponte aversos sua ferocitate haud parum irritavit Henricus Rex. Cum enim adhuc in Longobardia versaretur, & ex quodam Episcopo, ad se accersito, interrogasset, a quo Investituram accepisset, respondissetque Præsul, se eam habere a Papa, Rex juvenis ter eamdem quæstionem repetiit. Tum reponente Episcopo: *Domine! nec Regalia mihi sunt jura, nec Prætores, nec Curia, ideoque Diœcesim, quam rego, a Papa accepi*, Rex a suis Sacerdotem pugnis tundi & per lutum plateæ raptari præcepit. Alia die Urbani Papæ servulo sibi occurrenti magnamque pecuniæ vim deferenti, ea ablata, nares amputari jussit.

Papa Imperatorem ad Judicium vocavit, excommunicationem comminatus, habebatque quosdam præcipuorum in Germania Episcoporum sibi faventes, videlicet Philippum Archiepiscopum Colonienſem, vehementer dolentem, quod omnes defunctorum Episcoporum res mobiles in ærarium Principis conferrentur, tum Conradum Moguntinum, Volmarum Trevirenſem, & duodecim alios Episcopos, quorum spectatissimus erat

Sup. Lib. LXXII. §. 24.

Sæcul. XII. A. C. 1186.

Bertoldus Metensis. Nempe ille, quem, anno millesimo centesimo septuagesimo octavo Archiepiscopum Bremensem electum, Alexander Papa deposuerat. Is Archiepiscopatu exutus & e domo sua pulsus Imperatorem adiit, qui commiseratione motus exulem honorifice exceptum apud se detinuit, donec alia Sedes vacaret. Tandemque eum in Ecclesiam Metensem invexit. Bertoldus nihilominus glisceentibus his ultimis turbis contra Imperatorem stetit, Volmaro, a Papa consecrato, in Germaniam revertenti, ut Ecclesiæ Trevirensis possessionem adiret, obvium se se, etiam extra suam Diœcesim intulit, & maximo honore prosecutus est. Hinc offensus Imperator Bertoldum e Sede Metensi pulsum, ad fugam capessendam compulit. Isque ad Philippum Archiepiscopum Colonienſem se recepit, a quo Præbendam in Ecclesia Apostolorum obtinuit. Imperator, Volmarum quoque nec Juribus temporalibus nec spiritualibus in Ecclesia Trevirensi gaudere passus, Rudolphum, quem rediens Volmarus excommunicaverat, tutabatur. Sed & Henricus, jubente Patre, Volmari clientes & fautores spoliavit, domosque ærario Cæsareo adscripsit. Quare Volmarus, in Angliam fugere compulsus ibidem fatis occupatus est.

Chr. Belg.

§. IV.

Sæcul. XII.
A.C. 1186.

§. IV.

Querelæ Imperatoris adversus Papam.

Fridericus Imperator in Germaniam redux, haud ignarus, Urbanum Papam contra se nihil non acturum, omnes alpium & vicinarum regionum vias obsidere jussit, ne quicunque demum ex Germania ad Curiam Romanam proficisci posset. Quare Pontifex Philippum Archiepiscopum Colonienſem Legatum suum in Germania constituere coactus est. Imperator, hoc Præsule ad se vocato, quærit, an sibi fidem servaturus esset. Respondit Philippus: *Non puto, Domine, dubitare te posse de fide mea, toties tibi explorata. Verumtamen, ut tibi omnium Episcoporum ore loquar, si indulgentius nobiscum ageres, multo magis tibi devinctos haberes. Justam conquerendi causam sibi esse Papa existimat, quod post Episcoporum obitum, spolientur Ecclesiæ, mobilia omnia auferantur, anni currentis reditus excipiantur, sicque successor nihil ab antecessore relictum inveniat. Si hanc vexationem a nobis removeris, Conciliatores pacis inter te & Papam erimus. Si nihil condonaveris, nostrum erit veritatem non prodere.* His reposuit Imperator: *Certissime* *Arnold. c. 17.*

Sæcul. XII. A.C 1186.

tissime scimus, Imperatores, Antecessores nostros, Ecclesiarum Episcopalium Investituram contulisse, & viros longe digniores, ac nunc subrogantur, postquam vobis Electionem, ut vocatis, Canonicam indulserunt, Ecclesiis vacantibus praefecisse. Nos vero quæ Majorum nostrorum recentissimi statuerunt, servamus, sed etiam minimum istud, quod de veteri jure nobis relictum accepimus, nunquam dimittemus. Porro cum te sententiæ meæ adversari videam, nolo, ut ad Curiam, quam Geilenhusium convocaturus sum, venias.

c. 18. Cum igitur plurimi Episcopi & Optimates illuc conveniissent, Imperator orationem exorsus est in hunc modum: *Scitis, quod me Papa persequatur, quamvis ego mihi haud conscius sim, me officio unquam meo erga ipsum defuisse. Dicit, nullum Laicum Decimas obtinere posse, quas Dominus Altari servientibus destinasset. Nos vero minime latet, Ecclesiam ab hostibus oppugnatam Decimas in omne tempus concessisse viris nobilibus & potentibus, qui afflictæ defensionem in se susceperunt, & quorum auxilio destituta ditiones suas conservare non valuisset. Præterea dicit Papa, æquitati non esse consentaneum, ut quisquam sibi Jus Advocati in terras aut Vasallos Ecclesiæ tribuat, sed oportere, ut*

ut iis Præſules ea libertate fruantur, Sæcul. XII.
qua eas primo receperunt. Nos vero A.C. 1186.
haud arbitramur, facile mutari poſſe, quod antiqua conſuetudine ſtabilitum eſt. Itaque, quid Epiſcopi de his ſentiant, quæro. Tunc vero Conradus Archiepiſcopus Moguntinus ſurgens ait: *Graviſſimi momenti eſt hæc cauſa, nec noſtrum eſt litem dirimere. Sentio, ſcribendum eſſe Pontifici, eumque a nobis admonendum, ut pacem reducat, & tibi, quod Juſtitia petit, tribuat.*

§. V.

Epiſtola Epiſcoporum Germaniæ.

Placuit omnibus conſilium. Scripta igitur Epiſtola nomine omnium Germaniæ Epiſcoporum, eorumque Bulla, id eſt, ſigillum appoſitum. Dicebant vero: *Vehementer dolemus, diſcordiam inter Eccleſiam & Imperium oriri,* ap. Rad. de Dic. p. 632. *unde duo illi gladii colliduntur, qui mutuum ſibi conferre auxilium deberent. Imperator in comitiis ſolemni more habitis conqueſtus eſt, quod dum ipſe tibi amicitiæ ſinceræ officia exhibet, dumque Regem Romanorum unicum filium ſuum pro defenſione Eccleſiæ in mille pericula immittit, tu de induſtria infenſum animum oſtenderis, cum Cremonenſes, quos ipſe publicos Imperii hoſtes declaravit, recepiſti, cumque Italiæ urbes & inpri-*

Sæcul. XII. A C. 1186.

mis Episcopos, ne ei succurrerent, prohibuisti. Adjecit Imperator graves querelas in causa Ecclesiæ Trevirensis, nulla enim extat memoria, quod aliquis Antecessorum tuorum Imperatoris nostri Antecessoribus tantam injuriam intulerit, & Episcopum Regni Teutonici consecraverit, priusquam per sceptrum Cæsareum Regalia accepisset. Quin viri fide digni affirmant, te serio promisisse, quod Dominum Volmarum non esses consecraturus. Præter hæc memoravit, quod jam diu Imperii jura læseris in Ecclesia Mediolanensi, quæ præcipuis in Italia Sedibus adnumeratur. Tandem addidit, omnes Imperii Ecclesias exactionibus illorum obrui, qui a te missi veniunt, cum ingentes sumtus in parata pecunia, in conviviis, in hominum hospitio, equorumque pabulo, facere coguntur, atque ita premi Ecclesias & Monasteria egena, quæ non habent, quibus Clericos vel monachos sustentent.

In fine Epistolæ Episcopi Papam rogant, ut querelarum causam tollat, & in Legatis ipsorum ad se missis fiduciam ponat.

Arnold.

Papa, accepta hac Epistola, miratus est mutatos Episcoporum animos, videbatur enim sibi eorum causam defendendam suscepisse, quam ipsi desererent. Quare neutiquam a proposito Imperatorem,

rem, post citationes Canonicas, excommunicandi dimotus est. Sed intercesserunt cives Veronenses, apud quos Papa diversabatur; quippe dicebant: *Sancte Pater! servi & amici Imperatoris sumus, ideoque rogamus, ne eum in urbe nostra & nobis præsentibus Ecclesiastico fulmine percutias.* Dedit precibus eorum Papa, ut ex urbe excederet. Verum in alio loco Imperatorem excommunicaturus morte prohibitus non potuit. Sæcul. XII. A. C. 1186.

§. VI.

Ecclesia Livoniæ.

Inter hæc novella Ecclesia plantabatur in Livonia, studio & labore Meinardi, Canonici Sigebergensis, qui, populi hujus Infidelis convertendi desiderio accensus, pluribus annis illuc profectus est cum mercatoribus, ipse nobilius commercium sectaturus. Lætus deinde, quod Deus ejus operæ benediceret, ac Idololatræ benevolas aures præberent, Hartwicum Archiepiscopum Bremensem & Capitulum Cathedrale adiit, rerumque faciem exposuit, ne prædicandi munus sine Episcopali auctoritate & consilio usurparet. Bremenses eum communi consensu ad excolendam nascentem vineam miserunt, unde uberes fructus sperabant, atque ut majore potestate *Arnold. Lubec. Chro.* 8. c. 8. c. 9.

Sæcul. XII. A.C. 1186.

vigeret, ipsum Episcopum ordinarunt. Meinardus Sedem suam Rigæ, Regionis illius Capite, posuit, ubi Ecclesiam Cathedralem sub præsidio Sanctæ Virginis anno millesimo centesimo octogesimo sexto fundavit, atque doctrina, mansuetudine, & munificentia instructus magnum Infidelium numerum ad Christum convertit. Bertoldus Abbas Lucensis in Saxonia Ordinis Cistercienſis, relicta Abbatia, ut cum Meinardo pii laboris particeps fieret, paganorum animis suis virtutibus, inprimis abstinentia, modestia, patientia, sibi conciliatis, ipsis carissimus fuit. Is etiam Meinardo in Episcopatu successit, atque hi duo primi Livoniæ Apostoli extiterunt.

Cæsar. dist. 7 c. 17.

§. VII.

S. Hugo Episcopus Lincolnienſis.

In Anglia Ecclesia Episcopalis Lincolnienſis jam annis propemodum octodecim vacabat, post obitum Roberti *du Chesnai*, mense Januario anno millesimo centesimo sexagesimo septimo defuncti. Nam Gualterius Constantinenſis, huic Sedi exeunte anno millesimo centesimo octogesimo tertio impositus, vix ultra annum præfuit, Rotomagum, ut memoravimus, translatus. Tandem Henricus II. huic Ecclesiæ Episcopum præpositurus, Richardum Decanum Lincolnien-

vit. S. Hug. ap Sur. 17. Nov. c. 9.

colnienſem & ſaniorem Capituli partem Egeneshamum ad ſe vocavit, vigeſima quinta Maji anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto. Poſtquam diu deliberatum, Capitulares Epiſcopum elegerunt Hugonem, Priorem Cartuſiæ Oſthamenſis in Comitatu Somerſetenſi poſitæ, nuper ab Henrico Rege conditæ, qua domo hujus Ordinis in Anglia nulla prior extitit. Rex virum hunc electum fuiſſe mire gaudebat, Archiepiſcopus Cantuarienſis electionem confirmavit, miſſique ad Hugonem Priorem nuncii, qui eum nomine Regis & Archiepiſcopi ad dignitatem ſibi oblatam recipiendam permoverent. Hugo non ignarus, quam difficile & periculoſum munus eſſet Epiſcopatum gerere, ut ſe expediret, dixit, nullam eſſe electionem, non ſolum quod ipſe Epiſcopatu eſſet indignus, ſed etiam quod auctoritate Regis & Archiepiſcopi extra Eccleſiam vacantem eſſet peracta, denique ſe ſine licentia Prioris Magnæ Cartuſiæ, Præpoſiti ſui, conſentire non poſſe. Ita Hugo Legatos dimiſit, hortatus Clericos Lincolnienſes, ut aliam electionem magis Canonicam cogitarent, ſperansque eos tot ambagibus offenſos alium ſibi Epiſcopum quæſituros. Sed illi, ne Hugoni aliqua ſupereſſet excuſatio, in Eccleſia Lincolnienſi collecti, ipſum ſecundo unanimes eligunt, tum

Sæcul. XII. A.C. 1186.

Godwin. p. 345. Sup. n. 46. Rad. de dic. p. 631. Rog. p. 631.

Monaſt. Angl. to. 1. 959.

Sæcul. XII. A.C.1186. missis ad Cartusianorum Domum viris venerabilibus, non solum licentiam sed etiam mandatum, quo Episcopatum susscipere jubebatur, obtinuerunt. Itaque Hugo e monasterio suo Osthamensi evocatur; atque discedens equo, cui ipse insidebat, sarcinulam nempe ovinas pelles vestesque monasticas imposuit, nihil Regulæ & instituti sui relaxaturus, priusquam Episcopus esset.

Londinum deductus, Westmonasterii in Sacello S. Catharinæ, Festo S. Matthæi, vigesima prima Septembris anno millesimo centesimo octogesimo sexto consecratur.

vit. c. 1. Hugo in Burgundia nobili genere natus erat, quem pater, ex ordine Equestri Vir strenuus & virtutis amans, amissa uxore, octennem Deo obtulit, in Monasterio Canonicorum Regularium haud procul ab arce sua distante, quo & ipse deinde se recipiens, reliquo vitæ tempore Deo serviit. Primum Hugo regimini cujusdam senis sapientis traditus, ab eo literas & bonos mores didicit, ad otium devitandum & vitam seriam assuefactus. Ubi ad annum ætatis decimum nonum pervenit, Diaconus ordinatur, & haud diu post Parochia ei commissa, etsi necdum Presbytero. Cum

c. 2. aliquando ejus Prior ad Majorem Cartusiam pietatis causa perrexisset, itineris socio

socio Hugone accepto, Religiosus juvenis usque adeo Cartusianorum Instituti amore captus est, ut ardentissimo desiderio eorum societatem adipiscendi subeunte, ipsos ad se suscipiendum secreto solicitare cœperit. Nihilominus cum Priore suo domum rediit, Canonicis vero, Fratribus suis, quibus ejus consilium proditum fuerat, vehementissime urgentibus, ne eorum consortium fugeret, jurejurando promisit, se non esse discessurum. Verum solitudinis amori & sanctioris vitæ illecebris resistere non valens, clam se se proripuit, atque ad Cartusianorum Domum pervenit; ubi viri prudentes receptum a timore violatæ Religionis liberarunt. Sanctam Domum tunc regebat Basilius, Prior numero octavus, S. Anselmi Successor. Tum cum Hugo Ordinibus Sacris suscipiendis maturus esset, Seniori suo, cui serviebat, quærenti, an Sacerdos ordinari vellet, simplex respondit, nihil sibi optabilius in hac vita posse obtingere, cui Senior, vultu ad severitatem composito, *tune expetere audeas, quod viri perfectissimi, nunquam nisi compulsi, admittunt?* Mox Hugo exprobratione perterritus, toto corpore in terram demisso, labentibus lacrymis veniam temeritatis petiit. At Senex: *Surge, fili mi, non turbent te verba mea. Novi, quo spiritu mihi*

Sæcul. XII. A. C. 1186.

c. 3.

c. 4.

Sæcul. XII. A.C. 1186.

mihi responderis. Jam Presbyter initiaberis, & cum definitum a Deo tempus advenerit, Episcopus quoque eris. Post-

c. 5. quam Hugo annos decem in cellula transegisset, Cartusianæ Domus Prior ei Procuratoris Officium injunxit, quod tanta prudentia obiit, ut integritatis ejus fama ad exteros quoque pervenerit.

Tunc quidem Rex Angliæ Cartusiam Osthamensem jam fundaverat; sed cum duo, qui præfuerant Priores, accolarum insolentia prohibente, nihil prodesse potuissent, Rex, ad cujus aures Hugonis merita delata fuere, missis ad Majorem Cartusiam Nunciis, eum virum ad regendam novam Domum expetiit. Prior monachique haud lubenter & ipse Hugo ægerrime consensit, dicebat enim: *Cum per tot annos ex vestra doctrina & exemplo me ipsum satis regere non didicerim, quomodo novæ Congregationi præ-*

c. 6. *sim & prosim?* Osthamum tamen digressus, cum ibi monachos paupertate laborantes habuisset, mærentes solatus & ad patientiam atque mansuetudinem exhortatus, domus illius ædificia & res mobiles auxit, conciliato sibi animo Regis populique, etsi gens illa Advenarum esset impatientissima. Cum Regi loqueretur Hugo, tam pie & apposite dictis fidem adstruebat, ut Rex, quæ petebat non concedere non posset, & fate-

fateretur, induſtriam ſuam & ſolertiam hujus viri eloquentia vinci. Quadam die cum ſæva aeris tempeſtas ingruiſſet, credidit Henricus, ſe Hugonis precibus debere, quod fuiſſet ſervatus, atque exinde majore veneratione viri Sanctitatem proſecutus eſt. Sæcul. XII. A. C. 1186.

§. VIII.

Concilium Dublinenſe.

In medio Quadrageſimæ, anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto, Joannes Archiepiſcopus Dublinenſis cum ſuis Suffraganeis in Eccleſia S. Trinitatis Concilium celebravit. Prima die, ipſe Archiepiſcopus orationem de Sacramentis ad populum habuit. Altera Aubinus Abbas Banchinglacenſis, poſtea Epiſcopus Fernenſinus prolixum ſermonem exorſus eſt, de continentia Clericorum, conquerens, hanc morum corruptionem ab Exteris, ſcilicet a Clericis, qui ex Cambria & Anglia venerant, fuiſſe invectam, cum antea pudicitiæ amor Clericos Hiberniæ commendaſſet. Poſtquam Abbas peroravit, Clerici Comitatus Wexfordienſis in conſpectu Archiepiſcopi & Concilii invicem ſe accuſare, quod nuptias ſolemni pompa celebraſſent, & concubinas publice in domos ſuas deduxiſſent; ſtatimque teſtes præſentes exhibebant, quod Hibernis effuſiſſimum riſum movit. Ipſe Archiepi- *Girald. Camb. 2. geſt.*

Sæcul. XII. A. C. 1186.

episcopus Clericos ad hanc delationem ex consilio Archidiaconi excitabat, cupiens debitam pœnam eis illico irrogare. Quare ut illusores reprimeret, & ostenderet, quantum odisset Clericorum lasciviam, sine mora, lata sententia, convictos ab Officiis Ecclesiasticis suspendit, & beneficiorum suorum possessione privavit. Tertia die Giraldus Archidiaconus, jubente Archiepiscopo, ad populum de Officio Pastorum dicens, veras quidem Clericorum Hiberniæ laudes virtutesque non præteriit, sed simul vitia ac inprimis ebrietatem castigavit. Tum conversus ad ipsorum Præpositos, clarissimis argumentis eos nimiæ indulgentiæ convicit.

Anno superiore Rex Angliæ Henricus II. Nunciis ad Urbanum Papam missis non nulla privilegia, antea sibi a Lucio Papa simpliciter denegata, obtinuit, ac inter alia, ut ille ex tribus suis filiis, quem ipse delegisset, Rex Hiberniæ coronaretur. Hac de re Urbanus Bullam dedit, ac ut consensum suum luculentius manifestaret, coronam misit aureis filis textam & eminentibus pavonum plumis splendentem. Post Natalem Domini anno millesimo centesimo octogesimo sexto in Angliam misit Octavianum Cardinalem Diaconum & Hugonem Nonantinum Episcopum Coventrien sem, quibus potestatem

Roger. p. 631.

Id. p. 634.

Gall. Christ. Præf. edit. 1671. Steph.

tem Legatorum Sacræ Sedis ad Joannem Regis Henrici filium, Hiberniæ Regem coronandum contulit; huic enim Regnum destinaverat pater. Sed distulit hæc solemnia, ob negotia, quæ ipsi cum Rege Franciæ interceserunt. Sæcul. XII. A.C. 1187. *Tornac. ep.* 118. *& ibi Molin.*

Petrus Episcopus Carnotensis, antea Abbas Cellensis, librorum editorum fama post mortem superstes, vigesima Februarii anno millesimo centesimo octogesimo septimo, hominem exuit, postquam Sedem hanc tenuisset annis septem, murosque & pavimentum Urbis reparasset. Sepultus est in Abbatia *Josaphat*, succesitque defuncto Renaldus Barensis Guilielmi Archiepiscopi Remensis ex sorore nepos, qui annis triginta sedit.

§. IX.

Guido Lusignanus Rex Hierosolymæ.

In Oriente Arnaldus de Castellione Arcis Caracensis Dominus, rapto vivere assuetus, & terras Musulmannorum populari, magno agmine ex Ægypto in Arabiam proficiscentium capto, peregrinos omnes in vincula conjecit, nulla habita ratione induciarum, quarum statutum tempus nedum effluxerat. Quo comperto Saladinus, missis, qui captivos libertati restitui peterent, minatus est, se Christianos, per ditiones suas iter facientes, eadem crudelitate habiturum. *V. M. S. de Saladin. an.* 1185.

Sed

Sæcul. XII. A.C. 1187.

Sed cum Arnaldus, retinens morem Templariorum, quos propemodum solos munitionum suarum præsidiarios habebat, captivos redditurum se negasset, & inutili linguæ intemperantia mille convicia in Mahometem jeciſſet, tantum iræ concepit Saladinus, ut Deum testem invocans, quod hostium perfidia laceſſeretur, juramento se obligarit, bellum se universis viribus restauraturum. Inducias violatas exclamavit, votumque edidit quod Arnaldum sua manu prostraturus esset. Erat vero tunc Saladinus Ægypti, Arabiæ, Syriæ & Mesopotamiæ Dominus, urbesque, quæ Christianis supererant, ipsius ditionibus cingebantur.

Ceterum Christianorum Regibus Balduino IV. anno milleſimo centeſimo octogeſimo quinto, & Balduino V. parvulo, ejus nepote, anno sequente fatis functis, Guido Lusignanus se Regem Hierosolymæ coronari jussit, auctoritate Sibillæ, uxoris suæ, Regni Hæredis, munitus. Tum vindictæ cupiditate actus, Raimundum Comitem Tripolitanum ad reddendam rationem redituum & sumtuum a tempore regiminis sui compellere conabatur; sed ille, superante iracundia, initis cum Saladino pactis, ejus præsidio se commisit. Hæc erat rerum facies, cum Christiani violata induciarum fide Suldano satisfacere, & causam querelarum, quas in-

Roger. p. 634. Aut. Aquicinth. an. 1187. G. Neuberg. 3. c. 16.

inprimis contra Templarios movebat, tollere intempestive recusarunt. Ergo ille Christianorum regiones anno millesimo centesimo octogesimo septimo cum exercitu plus quam quinquaginta millium invadit. Musulmannorum pars præmissa apud Tabariam seu Tiberiadem Girardum Bideford, Magistrum Templariorum & Rogerium *des Moulins* Magistrum Hospitalariorum occupavit, eosque incautos aggressi Infideles, prima die Maji anno millesimo centesimo octogesimo septimo profligarunt. Girardo fuga saluti fuit, Rogerius cæsus, multi Templariorum capti, & sexaginta vita in prælio exuti. Saladinus, successu accensus, Tiberiadem urbem in Comitis Tripolitani ditione obsidet (nam Princeps iste Reginæ Hierosolymæ precibus dederat, ut fœdera cum Saladino abrumperet) hostes urbem primo impetu ad deditionem compulerunt, sed præsidiarii munitæ arcis, fortiter sibi commissam stationem propugnantes, Infidelium exercitum multis diebus morati sunt.

Sæcul. XII. A. C. 1187.

G Nang. Chro. an. 1186. 1187.

Roger. p. 635. *Vie M. S.*

§. X.

Pugna ad Tiberiadem.

Interim Rex Guido Lusignanus, ceterique Principes Christianorum omnes, ad præstandum celeriter auxilium veniebant,

Epist. in Chron. Reichersp. an. 1187.

Sæcul. XII. A.C. 1187.

bant, ac universis viribus collectis ad Acriam urbem castra posuerunt. Ambo exercitus die Jovis, secunda Julii, anno millesimo centesimo octogesimo septimo, in conspectu fuere, manusque conserere die Veneris, quæ Musulmannis sacra & optimi ominis est, cœperunt. Biduo autem pugnatum & multum humani sanguinis fusum, cum tandem Christiani, numero hostium obruti, sitique & laboris immanitate oppressi ingenti clade devicti sunt. Omnes, qui arma projicere cunctabantur, ad internecionem deleti. Ab hoste captorum præcipui fuere, ipse Rex Guido Lusignanus, Arnaldus * Castellionensis, duo Magistri Templi & Hospitii. Nullius autem rei jactura magis omnium animos perterruit, quam Sanctæ Crucis, quam pro more ad hoc bellum attulerant. Gerebat eam Episcopus Acriensis, eoque in pugna occiso, quidam Ecclesiæ Hierosolymitanæ minister tenuit, de cujus manu eam Infideles rapuerunt. Amissa Crux non minus Christianos Orientis & Schismaticos quam Latinos afflixit. Musulmanni vero, hanc a se captam, opimam prædam, ac pretiosissimum victoriæ suæ præmium existimarunt. Comes Tripolitanus, postquam in paucis raro fortitudinis exemplo dimicasset, viam, qua evaderet, per densos hostium cuneos gladio suo sibi aperuit,

* Al. Reginaldus.

aperuit, ac Tyrum pervenit, ubi haud diu post occubuit, tam Christianorum quam Musulmannorum horror; quippe Christiani infelicem pugnæ exitum ipsius proditioni tribuebant, & illi perfidum abominabantur, quod fidem inito fœdere datam fregisset (*). Sæcul. XII. A.C. 1187.

(*) Hic error typi deprehenditur; nam ex ipso Fleurio §. XI. apparet, Raimundum Comitem Tripolitanum, ex Comitibus Tolosanis ortum, Regis Hierosolymæ Balduini IV. affinem, demum Tripoli occubuisse. De quo Pater Pagi ad hunc annum ex Chronico Nangii ista refert. *Inter hæc Conradus Marchio filius Conradi de Monte ferrato .... Tyrum applicuit .... Tunc Comes Tripolitanus, qui illuc post bellum Tiberiadis confugerat, videns potentiam Marchionis, omnibus suspectus & omnes suspectos habens Tripolim fugit; cui statim Salahadinus mandavit, ut pacta, quæ sibi juraverat, jurare suos quoque juberet. Comes civibus convocatis jurare illos imperat, dicens cedendum esse tempori, nec posse Salahadino resisti; responderunt cives, minime se jurare nisi prius formam audiant juramenti, & super hæc inducias usque ad mane petentes accipiunt. Ea nocte Comitem illum divina ultio percussit; res dissimulari non potuit; nam corpore defuncti nudato, quia nuper Circumcisionis stigma susceperat, apparuit; unde palam fuit, quod se Salahadino confœderans Sectam Sarracenicam cœperat observandam.*

Sæcul. XII. A.C. 1187.

G. Nang.

Saladinus Victor.

Vie M. S.

Prœlio victor Saladinus illico Tabernaculum figi præcepit, & nobilissimos captivorum in conspectum adduci. Tum, omnibus recedere jussis, aliquamdiu oravit, Deoque gratias egit, ratus, prosperam armorum sortem non tam suis viribus tribuendam, quam debitam Christianorum peccatis pœnam esse censendam. Precibus peractis, Guidonem Lusignanum, Arnaldum Castellionensem, ceterosque Principes, rursus adesse jubet, & apud se considere; cumque singulorum fauces diuturna siti arere cerneret, suis innuit; sorbitionem nive admota refrigeratam afferrent, & ipse potionem Guidoni Regi porrigit. Bibit ille, moxque scutulam Arnaldo sibi proximo tradit. At Soldanus per interpretem Regi significari jussit; te, dato potu, sitientem refocillare volui, neutiquam vero hoc monstrum hominis, qui, me vivo, salvus esse non debet. Nempe inter Arabes mos antiquus vigebat, quam hodieque in deserto grassatores, etsi alias pessimi sint, servant, quod captivos suos nunquam enecent, si eis vel cibum vel potum præbuerint. Hoc in illa gente hospitii jus inviolatum habetur.

Saladinus igitur Francorum Principes in aliud Tabernaculum ad capiendum cibum dimittit, cumque remotis mensis iterum omnes tabernaculum suum intrare

intrare jussisset, conversus ad Arnaldum, crudelitatem, qua Musulmannos habuisset, acriter exprobravit, tum etiam, quod Mahometem maledice appellasset, Meccamque & Medinam urbes diripere conatus esset. *Restat nunc*, inquit, *ut Prophetam & Religionem nostram ulciscar. Nihilominus si eam profiteri velis, omnes nobis illatas injurias tibi condono.* Respondit constante animo Arnaldus, velle se Christianum mori, tamque oblata a Sultano beneficia quam jactatas minas contempsit. Tunc vero Saladinus, ira superante, repente prosiliens, nudato acinace intrepidum in capite ferit, corporisque custodes illico plurimis telis confodiunt. Corpus extra tabernaculum projectum tota illa die ibi jacuit. Ita Saladinus voto se exsolvit, & Arnaldus Castellionensis errata prioris vitæ expiavit Martyrio, cujus rei adjuncta soli Scriptores Mahometani nobis tradiderunt. Noxis admissis, quæ nulla excusatione dilui possunt, adnumero, quod Arnaldus fidem publicis pactis datam sæpe violaverit. Ceterum omnes Templarii & Hospitalarii Equites, in illo prœlio capti, jugulati sunt, atque Templarii ducentos ita necati numerabantur. Saladinus cum eos interficiendi mandata daret, dixit: se toti provinciæ maximum haud dubie beneficium præstiturum esse,

Sæcul. XII. A.C. 1187.

Ep ap Rog. ad p. 637.

Secul. XII. A.C. 1187.

si eam Sicariis & nefandis latronibus purgaret. Nempe Templarii nec in pace nec in bello Musulmannis parcebant.

Saladinus Tiberiadis arce in potestatem redacta, ad urbem Acriam, quæ ab antiquis Ptolemais dicebatur, admovit exercitum, ex omnibus urbibus maritimis Christianos ejecturus, ut commercium cum Græcia ceterisque Europæ provinciis tolleret. Acria post biduum expugnata, Soldanus Christianis permisit; vel ibi manerent, vel cum uxoribus & liberis, rebusque, quas loco mobiles auferre possent, alio migrarent. Tum cepit urbes Jaffam, Naplusium, Sebastem, *Nazareth*, *Sefuriet*. Cæsaream, quod vim adhibere coactus fuisset, injectis ignibus crematam vastavit. *Hifa*, quam Scriptores nostri *Caifam*, & *Arsuph*, quam *Assur* vocant, permiserunt se Soldano. *Saida* seu Sidon quoque, priusquam vis afferretur, deditionem fecit. Berytus vero seu *Beriut* trium septimanarum obsidionem sustinuit. Ascalon loco pretii, quo Rex Guido Lusignanus liber dimitteretur, Soldano traditur.

XI.

Hierosolyma a Saladino capta.

Tandem decima nona Septembris Saladinus, quod primum animo destinaverat, urbis Hierosolymæ obsidionem ex-

exorsus est. Quæ diu sine dubio repugnare potuisset, nisi funesta pugna ad Tiberiadem, Principum suorum captivitas, ac tot urbium jactura, omnium animos consternasset. Illud vero omnem reliquam salutis spem ademit, quod in ipsa urbe conjurationem deprehenderint, cujus auctores erant quidam Saladini Dux, Christianus Melchita, aliique ejusdem Ritus homines; haud sane pauci enim Hierosolymæ degebant, Latinis, a quibus se injuriis multis affectos querebantur, infensissimi. Hinc cum Soldanus certe sciret, hos portam unam civitatis sibi prodituros esse, oblatas ab obsessis, videlicet Sibilla Regina, Heraclio Patriarcha & aliis Optimatibus deditionis conditiones fastidiose rejecit, adjectis minis; Musulmannorum gloriam exposcere, ut ipsos ita haberet, sicut olim incolæ Hierosolymitani ab eorum majoribus habiti fuissent, & septuaginta millium Musulmannorum Christiana crudelitate obtruncatorum sanguinem vindicaret. Tum Regina Principesque Soldano nunciari jubent, nisi conditiones honestas concederet, ipsos & longo tempore sua defensuros, & potius ultima esse passuros, quam dederent urbem. Cumque Saladinus suos ad consilium adhibuisset, cuncti suaserunt, ne Christianos ad desperationem, qua excitante

Sæcul. XII. A. C. 1187.

Sup. Lib. LXIV. §. 66.

Sæcul XII. A.C 1187

omnia auſuri eſſent, adigeret. Itaque conditiones ſequentes placuere: Urbem traderent & propugnacula omnia, quorum nullum liceret diruere. Viri nobiles & milites armati excederent, eisque daretur præſidium, Tyrum vel in quamcunque aliam urbem, quam elegiſſent, ituris. Populus egrediens in ſingula capita injunctam penſionem præſtet, res mobiles ſibi auferat, & addito præſidio deducatur.

Ita Saladino Hieroſolyma traditur, die Veneris, ſecunda Octobris anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo, obſidionis decima quarta. Heraclius Patriarcha omnem Eccleſiæ cultum, ornamenta argentea S. Sepulchri, laminas aureas argenteasque, quibus tegebatur, & plus quam ducenta nummorum aureorum millia abſtulit. Et Soldani præfecti quidem obſiſtentes dicebant, privatorum ſolum bona per pacta inita avehi licere. Sed re ad Saladinum delata reſpondit: *Eſſet hic enimvero juſta litigandi materia. Quia vero Chriſtianis licentiam dedimus res ſuas, non exceptis Eccleſiis, auferendi, nulla eis conquerendi cauſa, vel Religionem noſtram calumniandi præbenda eſt.* Ceterum virtutes, quæ in iſto Principe eminebant, fidelitas in iis ſervandis, quæ promiſerat, & munificentia fuere. Militibus ſuis

suis pro omnibus militibus Christianis redemptionis pretium solvit, ac blanditiis honoribusque cumulatos dimisit, Emiris supremi Ducis exemplum imitantibus. Reginam & Patriarcham comiter habuit. Multis millibus pauperum impositam per pacta deditionis pensionem condonavit, & ex suo ærario aliquamdiu suppeditavit, unde ægrotis succurreretur. Equitibus Hospitalariis S. Joannis concessit, ut ex eorum ordine decem in Urbe remanerent, qui ægrotorum suorum per annum curam gererent. *Ep. ap. Rog. p. 645.*

Sæcul. XII. A.C. 1187.

Christianis Latinis Hierosolyma egressis, Musulmanni magnis clamoribus summam lætitiam professi sunt. Tumque Cruces dejecerunt, a primis Crucigeris, cum Hierosolyma potiti sunt, in multis urbis regionibus erectas. Has inter nulla magis spectabilis fuit quam illa ex cupro deaurato super supremum fornicem Ecclesiæ Templariorum posita. Quam cum cadere cernerent Christiani etiam orientales Schismatici lacrymas non tenuerunt. Eam Saladinus exinde Califæ Bagdatensi transmisit, quam ille tanquam homagium Prophetæ Mahometis Successori debitum per compita raptari, conculcari, luto fœdari, & tandem in locum, quo cunctæ urbis spurcitiæ confluebant, projici jussit. Campanæ omnium Ecclesiarum Hierosolymæ

Sæcul. XII. A.C. 1187.

præcipiente Saladino confractæ. Ecclesiam vero Patriarchalem, olim magnam Moscheam, in loco, ubi Templum Salomonis steterat, extructam, ablatis omnibus Christianæ Religionis vestigiis, antequam intraret, aqua rosacea intus forisque ablui voluit, ac die Veneris sequente Religionis suæ Ritus restituit. In ea collocavit Cathedram miræ artis, olim a Nuradino Aleppi inchoatam, cui perficiendæ princeps ille sæpe manus proprias admovebat, edito voto, se eam in Ecclesia Hierosolymitana positurum, Christianis, ut sperabat, exinde ejectis. Ergo votum a Nuradino conceptum Saladinus implevit. In facie ædificii, ingredientibus adversa, hæc verba inscripta: *Servus Dei Joseph filius Job, semper Victoris, Rex Nacer Salah-eldin Inscriptionem hanc posuit, postquam Deus hanc urbem ipsius manibus occupavit, anno quingentesimo octogesimo tertio, ut gratias ageret, peccatorum suorum remissionem, & in omne tempus ejus misericordiam peteret.*

Reliquæ omnes Ecclesiæ in Muslimannorum templa mutatæ, excepta Ecclesia S. Sepulchri, quam Christiani Syri data pecunia redemerunt. In aliis Christiana mancipia cogebantur, imagines & picturas, quibus ornabantur eradere, muros abluere, & pavimentum duro labore

labore detergere. Saladinus collegiis, quæ olim Califæ & Soldani Anteceſſores ſui Hieroſolymæ condiderant, reſtitutis, iterum Theologiam & Jurisprudentiam Muſulmannorum doceri juſſit. Suadebant Saladino non nulli, zelo Mahometano ſtimulati, ut Eccleſiam S.Sepulchri ceteraque ſacra loca omnia deſtrueret, his enim permanentibus, Idololatriam Chriſtianorum foveri, & continuo renovari injuriam, quam Meſſiæ inferrent, cum Paſſionis ejus veſtigia colerent. Nam Muſulmanni non JEſum ſed Judam Cruci fuiſſe affixum credunt. His addebant; ſi cultus Religioſi materia Chriſtianis adimeretur, futurum, ut ſublata belli, quod Sacrum putarent, cauſa, acquieſcerent. At ſagacioribus Muſulmannorum aliud videbatur. Hi ſuggerebantSaladino; non oportere ipſum magis de Religione ſua angi, quam Califam Omarum, qui hanc Eccleſiam ſervaſſet. Locis Sanctis deletis, ad paupertatem redactum iri urbem Hieroſolymam, peregrinis ceſſantibus, id eſt, fontibus divitiarum obſtructis. Denique fore, ut iſta Chriſtianis Occidentis illata ignominia, etiam Chriſtianos Orientis offendat, qui ad ſeditionem commoti, ad defendendam cauſam communem Latinis, non levi reipublicæ periculo, jungi poſſent. Saladinus, his argumentis victus, omni-

Sæcul. XII. A.C.1187.

Sæcul. XII. A.C. 1187.

omnibus Christianis Sacra Loca invisendi potestatem fecit, si modo inermes venirent, & imperata penderent.

Hunc in modum Hierosolyma in potestatem Infidelium rediit, postquam ea Christiani Latini per annos octoginta octo potiti fuissent. Soli autem egressi sunt, nam Christiani Syri, Georgiani, Armeni & Græci ibi remanserunt. Regina Sibilla, Heraclius Patriarcha, cum Templariis, Hospitalariis & magna populi frequentia Antiochiam se receperunt. Multi alii Tripolim diverterunt, quibus Comes, ejusque satellites, eripuerunt, quæ Saracenorum beneficio habebant; atque mulier aliqua, omnibus rebus a Tripolitanis spoliata, cum jam non superesset, quo prolem suam aleret, ferina rabie occupata infantem suum in mare projecit. Christianorum non nulli Hierosolyma pulsi Alexandriam & in Siciliam navigarunt. Latinis autem in Oriente post illam cladem non nisi tres urbes, memoratu dignæ, Antiochia, Tyrus, & Tripolis superfuerunt (*).

Ep. ap. Rog. p. 645.

Jac. Vitr. c. 95.

§. XII.

(*) Cur omnipotens Deus idem & sapientissimus permiserit, Terram Sanctam manibus Christianorum eripi & rursus in Infidelium potestatem devolvi, nemini quidem mortalium temere scrutari licet; Sed præter multos alios Antonius Pagi hac de re ad hunc annum Numero V. ex

Nangio

Sæcul. XII. A.C.1187.

§. XII.

Urbani obitus. Gregorius octavus Papa.

Triſtiſſimo nuncio in Italiam perlato, Urbanus III. Papa mœrore confectus eodem menſe obiit. Nam cum pax inter ipſum & Fridericum Imperatorem, ut videbatur, Eccleſiæ honorifica, reſtituta

Gervas. in Chron. p. 1507. V. Pagi. an. 1187. n. 13.

Nangio ita differit: *Porro Guido Rex, & Magiſter Templi in monumentum Victoriæ reſervantur .... Sic exigentibus meritis ſuis in manus Gentilium Noſtri ſunt traditi, ac a Turcis ſubjugati. Nimis enim in luxus varios & Clerus & populus effluxerant, totaque terra illa facinoribus & flagitiis ſordeſcebat; Sed & qui Religionis habitum præferebant, regularis moderantiæ fines turpiter exceſſerant, rarus in Monaſterio, rarus in Sæculo, quem non vel avaritiæ, vel luxuriæ morbus inficeret.* Denique quid mirum, ſi Deus Chriſtianos e Terra Sancta ejecit, qui ibi non ſanctiorem vitam quam alibi degebant, cum Judæos ob peccata ſua toties inimicorum ſuorum manibus tradiderit? Præterea Exemtio Templariorum a Jurisdictione civili Regis Hieroſolymæ multum nocuit; nam, ut ea prætereamus quæ Lib. LXXII. N. XLII. narravimus, Rex Balduinus IV. ut Libro ſuperiore Num. XLIV. vidimus, Muſulmannos tempore Induciarum a Templariis captos reddere non eſt auſus, ne Ordinem hunc offenderet, qui

Sæcul. XII. A.C. 1187.

tuta fuisset, relicta Verona, Ferrariam venit, ubi ei literæ de Terra Sancta amissa redduntur; nec mirum, quod Vir senectute jam fractus in morbum inciderit, quo decima nona Octobris anno millesimo centesimo octogesimo septimo decessit, postquam in Sacra Sede annum unum & undecim prope menses sedisset. Urbano altera die in Ecclesia Cathedrali Ferrariensi sepulto, vigesima prima ejusdem mensis, Papa eligitur Albertus, patria Beneventanus, Cardinalis Presbyter Tituli S. Laurentii in Lucina, Ecclesiæ Romanæ Cancellarius, qui Gregorius VIII. nominari voluit, die Dominica, illius mensis vigesima quinta consecratus. Vir sapiens & facundus, vitæ pudicæ & rigidæ, magnoque zelo præditus. Sed Sacram Sedem non diutius quam ferme duos menses tenuit.

Hug. Antis. to. 10. *Conc. Greg. ep.* 1.

Nihilominus brevi hoc temporis spatio Gregorius nihil non egit, quo Fidelium animos ad suscipiendam expeditionem Hierosolymitanam accenderet. Quod

qui nemini nisi soli Romano Pontifici obediebat, sicque ad restaurandum bellum justitia destitutum & intempestivum compulsus est. Iterumque Templarii inducias & datam Infidelibus fidem sub Rege Guidone Lusignano, duce Arnaldo, violarunt. Quæ res Christianorum Regno Hierosolymæ exitium attulit.

Quod dispicimus ex prolixa epistola Ferrariæ vigesima nona Octobris data, in qua omnes hortatur ad placandam Divinam Justitiam & agendam pœnitentiam, junctis bonis operibus. Illis qui sacrum iter ingressuri essent eadem beneficia ac Antecessores sui concessissent promittit, id est peccatorum suorum Indulgentiam plenariam, & pro bonis suis temporalibus Ecclesiæ præsidium (*). In

Sæcul. XII. A. C. 1187.

(*) Verba Summi Pontificis in epistola sua sunt: *Eis autem qui corde contrito ..... itineris hujus laborem assumpserint & in pœnitentia peccatorum & fide recta decesserint, plenam suorum criminum Indulgentiam & vitam pollicemur æternam. Sive autem supervixerint, sive mortui fuerint, impositæ satisfactionis relaxationem de omnipotentis Dei misericordia & Apostolorum Petri & Pauli & nostra se noverint habituros.*

Ex his dispicimus, Summos Pontifices, Indulgentiam concedentes, eadem quoad sensum formula: *Impositæ Satisfactionis relaxationem*, usos fuisse, quam hodieque adhibent. Ex illis vero verbis: *Qui corde contrito itineris hujus laborem assumserint & in pœnitentia ... decesserint*, confunditur quorumdam Protestantium protervia cum Interprete Fleurii germano in sua præfat. ad part. I. pag. 20. mentientium: Man verwandelte, in der römischen Kirche, die Herzensbuße in eine Geldbuße; man glaubte, daß einer

Sæcul. XII. A.C. 1187.

In altera epistola, eadem die data, speciatim modum pœnitentiæ præscribens ait: *Nos de Fratrum nostrorum* (id est Cardinalium) *communi consilio, multis Episcopis approbantibus, statuimus, ut omnes usque ad quinquennium saltem per omnes sextas Ferias in cibo quadragesimali jejunent, & Missa ad Nonam cantetur. Iis, qui bene valent, Feria quarta & Sabbato a carnibus abstinendum erit. Nos autem & Fratres nostri in secunda quoque Feria nobis & familiis nostris esum carnis interdicimus. Quicunque hanc legem transgressus fuerit, eodem modo, ac si abstinentiam quadragesimalem violasset, babebitur.* Aliquis illius ævi Scriptor subjungit, Cardinales quoque una promisisse, se abjectis omnibus divitiis & deliciis Crucem verbo & exemplo prædicaturos, nulla munera ab iis, qui causas in Curia haberent, accepturos, se non equitaturos, quamdiu terra vestigiis & Mysteriis Domini consecrata in potestate Infidelium esset, Hierosolymam ceteris præituros, & stipem in via collecturos.

Roger p. 636.

Quia

einer mehr hierinn thun könne, als er zu thun schuldig sey. Die sogenannten Schullehrer fiengen an diesen dem menschlichen Herzen so angenehmen Irrthum prächtig zu schmücken ꝛc.

Quia juxta Canones Mandata mor- Sæcul. XII.
te mandantis extinguuntur, Gregorius A.C. 1187.
Papa, veritus, ne qui magnis expensis
Urbani Papæ literas impetrassent, ad
causas suas in ipsis locis discutiendas &
definiendas, pro aliis impetrandis novos
sumtus facere cogerentur, biduo post
Ordinationem suam, Epistolam ad omnes *ep. 3.*
Prælatos Ecclesiæ directam edi jussit, qua
omnia hujusmodi Mandata, ab Anteces- *Guil. Neubr.*
sore suo, sex mensibus antequam more- *3. c. 22.*
retur, concessa, rata & valida habuit.

§. XIII.

Gregorii obitus. Clemens III. Papa.

Vetere inimicitia inter Pisanos & Ge- *Chron. Pis.*
nuenses, quorum civitates illa tem- *to 3. Ital.*
pestate opulentissimæ & terra marique *Sac. p. 889.*
potentissimæ erant, gliscente, eos Gre-
gorius Papa reconciliare aggressus est,
ut junctis viribus concordes ad recupe-
randam Hierosolymam mitteret. Eo *v. Pag. 1187.*
consilio Pisas petiit, ubi die nona De- *n. 1.*
cembris honorifice exceptus, advocatis
etiam Genuensium Primoribus, utraque
parte præsente, tam sapienter tamque
suaviter peroravit, ut mitigatos animos
ad pacem inclinaret, cum febre corre-
ptus, post paucorum dierum morbum
decima sexta ejusdem mensis defunctus

Sæcul. XII. A.C. 1187

est, postquam Petri Sedem uno mense & viginti septem diebus occupasset (*). Triduo exinde consumto, nempe decima nona Decembris, anno millesimo centesimo octogesimo septimo, legitimis comitiis electus est Papa Paulus seu Paulinus,

(*) Notabit attentus lector, multos Summorum Pontificum pro Ecclesia in exilio fuisse vita functos. Hic enim videmus Gregorium VIII. Pisis, sicut antea Antecessores ejus Urbanum VIII. Ferrariæ, & Lucium III. Veronæ in ærumnis occubuisse. Unde merito obstupescendi locus est, quod Mosheimius Romanos Pontifices, supremos Ecclesiæ Christi Vicarios per omnia sæcula ab universa Ecclesia ac ipsius Mosheimii Majoribus habitos, viros plerumque senes, Romanorum pervicacia sæpissime exules, & in exilio mortuos, Dignitate Papali nunquam hæreditaria, brevi tempore potitos, sexcentis ærumnis vexatos, & omnium Ecclesiarum solicitudine pressos, usque adeo flagitiose calumniari non erubescat, ut dicat, per multa sæcula vix unum alterumve Papam, a maximis vitiis liberum, Romæ sedisse. Nempe præjudicia infantiæ, & odium homini Protestanti, a Magistris suis per sexcenta de Fide & Ecclesiæ Romanæ mendacia conciliatum & accensum, amorem veritatis superant ac extinguunt. Catholici Lectores observabunt, non soli Gregorio VII. Pontifici maximo causam conquerendi fuisse: Dilexi judicium & justitiam, propterea morior in exilio. Brevia.

nus, Romanus, Cardinalis, Episcopus Prænestinus, Clemens III. appellatus, altera die, vigesima Decembris coronatus, qui Sacram Sedem annis tribus & totidem mensibus tenuit. Sæcul. XII. A. C. 1188. *Gervas. an. Ann. Mailr.*

§. XIV.

Pax cum Romanis.

Corona Pontificali accepta, Clemens nihil antiquius habuit, quam ad Romanos cives suos Legatos mittere, qui tandem pacem solide stabilire conarentur. Discordiæ vero causa erat urbs Tusculanensis, decem milliariis seu tribus leucis Roma distans, in ditione Papali, cui Romani implacabili odio arma inferebant, nihil ardentius cupientes, quam hanc civitatem furori suo habere obnoxiam. Idque inter Romanos & Papam a tempore Alexandri III. acerrima jurgia creaverat. Ubi Legati Clementis Papæ Romam pervenerunt, cives hortati sunt; electum Papam ut Patrem suum complecterentur, & pristina concordia membra capiti unirentur. Responderunt illi: *Id ipsum magis cupimus, quam Dominus Papa, ea tamen conditione, ut damnum nobis illatum resarcire & probrum delere adjuvet, quod in bello Tusculanensi sustinuimus. Copias suas, cum opus fuerit, contra hanc urbem movere jubeat, si alia via pacem ad ho-* *Rog. p. 689.*

Sæcul. XII. A.C. 1188.

norem noſtrum ab ea extorquere non poſſimus; tandem, eam nobis tradat, a qua noſtro arbitrio pœnas exigamus, ſi aliquando hanc poteſtati ſuæ ſubjecerit.

ap. Baron. an. 1188.

His conditionibus inita ſunt fœdera, edito Decreto, in quo Senatus populusque Romanus, ſermone ad Papam directo, ſummatim dicunt: *Hodie reddimus tibi Senatum, urbem, & monetam. Reddimus Eccleſiam S. Petri ceterasque ob belli rationem hypotheca gravatas, ab omni onere liberas, eo pacto, ut tertiam partem monetæ Senatui cedas. Æris alieni pars ſingulis annis ſolvatur, quo Eccleſiæ obligabantur, donec pecunia debita tota reddatur. Et ſicut ſors minuetur, ita pro rata parte etiam uſuræ minuantur. Nos Senatores & ſucceſſores noſtri ſingulis annis fidelitatem tibi jurabimus. Iis vero, eorumque miniſtris, tum etiam Judicibus, Cauſidicis, Scriniariis, quos conſtitueris, præbendas, ut mos fuit, conferes.*

Quacunque ratione Tuſculanum deſtruatur, ſalva ſint Romanæ Eccleſiæ jura ſua & feuda. Nobis vero intra menſes ſex muros urbis omnes & Arcem trades, quam reſtaurare nunquam tibi liceat. Præterea ſi Tuſculanum exinde usque ad primam Januarii in noſtra poteſtate necdum ſit, cives excommunicabis, & contractis militibus tuis ex Campania

&

& Romandiola, junctis viribus noſtris, ad ea, quæ de urbe eorum ſtatuta ſunt, implenda compelles. Si his annueris, fidem jurejurando firmabimus, quod tibi, Epiſcopis, Cardinalibus, toti Curiæ tuæ, omnibusque ad te venientibus, commorantibus, aut redeuntibus ſecuritatem præſtituri ſimus, ſalvis Romanorum vectigalibus, quæ bona fide exigent. Cum Romanos ad defendendum Patrimonium S. Petri evocaveris, ibunt, ſi ſtipendia dederis, qualia ab Anteceſſoribus tuis accipere conſueverunt. Hæ fuere præcipuæ conditiones Decreti, pacis cauſa editi, quod die ultima Maji, Indictione ſexta, nempe hoc anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo datum. Annus quoquè a reſtituto Senatu quadrageſimus quartus appoſitus. Unde diſpicimus, Romanos Senatum ſuum rurſus invectum credidiſſe anno milleſimo centeſimo quadrageſimo quarto, & quidem ſub Pontificatu Lucii II. quamvis anno ſuperiore ſub Innocentio II. id moliri cœpiſſent. Ceterum Clemens III. jam decima tertia Martii Romæ verſabatur. Sæcul. XII. A. C. 1188.

Sup. lib. LXIX. §. 1. 4. 6. ep. 6.

Antequam Piſis diſcederet, cives in majore Eccleſia congregatos hortatus, ut omnes vires ad Palæſtinam e manibus Infidelium vindicandam intenderent, expeditionis Ducem dedit Ubaldum ipſorum Archiepiſcopum, cui S. Petri

Chro. Pis. to. 3. Ital. Sac. p. 888.

Sæcul. XII. A.C. 1188.

tri Vexillum, cum potestate Sacræ Sedis Legati, tradidit. Hic Præsul circa medium Septembris, eodem anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo, cum quinquaginta navium classe e portu ſolvit, cumque Messanæ hyemasset, ſexta Aprilis, anno ſequente, Tyrum attigit. Ceterum, conjicere eſt, Clementem Papam Piſis commoratum fuiſſe, cum preces peculiares in tota Eccleſia pro pace, pro libertate Terræ Sanctæ, & Chriſtianis apud Saracenos captivis, peragi juſſit.

Roger. 651.

§. XV.

Decimæ Saladinæ.

Rigord. p. 24 *Rog. p.* 641 *G. Neubr. 3. c.* 23. *to.* 10 *Conc. p.* 1759.

Reges Franciæ & Angliæ in quodam loco, inter Giſortium & Triam ſito, a Feſto S. Hilarii, decima tertia Januarii, usque ad Feſtum S. Agnetis, ſeu diem vigeſimam primam ejusdem menſis, ad colloquendum congreſſi ſunt. Aderant Epiſcopi, & Optimates utriusque Regni, ac etiam Guilielmus Archiepiſcopus Tyrienſis, qui ante annos decem ad Concilium Lateranenſe advenerat. Is cum vehementer & appoſite de præſentibus Eccleſiæ Orientalis calamitatibus, & imminenti, niſi Occidentis Principes opem ferrent, exitio, in hoc Conventu dixiſſet, ambo Reges, miſſis jurgiis, quæ ad hunc congreſſum occaſionem præbuerant,

rant, in mutuam gratiam redeuntes, Crucem ab Archiepiſcopi manu accepe- runt. Regum exemplum ſecuti ſunt Gualterius Archiepiſcopus Rotomagenſis, & Richardus Cantuarienſis, ſeu potius votum jam ante editum confirmarunt. Præterea Epiſcopi Belovacenſis, & Carnotenſis, Hugo III. Dux Burgundiæ, Richardus Comes Pictavienſis, filius Regis Angliæ natu maximus, Philippus Comes Flandriæ, Theobaldus Comes Bleſenſis pluresque alii Principes ad ſuſcipiendam peregrinationem Hieroſolymitanam condixerunt. Ut vero Franci & Angli facile internoſcerentur, Rex Franciæ cum gente ſua Cruces rubeas, at Rex Angliæ cum ſuis virides geſſit. Sæcul. XII. A.C.1188.

Exinde, cum Rex Angliæ Cenomanum veniſſet, edito Decreto præcepit, ut unusquisque hoc anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo decimam redituum & bonorum mobilium ſuorum ad ſuccurrendum Terræ ſanctæ daret, exceptis armis, equis & veſtibus militum, item equis, libris, veſtibus, & oratorii ſupellectile Clericorum, atque tam Clericorum quam Laicorum gemmis aut lapidibus pretioſis. Excommunicatio illis denunciata, qui hanc Decimam non ſolverent. Conſtituti Mandatarii, qui eam in ſingulis parochiis colligerent, nempe aliquis ex Templariorum ordine, aliquis *Rog. p.* 641.

Sæcul. XII. A.C. 1188

ex ordine Hospitalariorum, aliquis ex ministris Regis & aliquis ex Clericis Episcopi. Proficiscentes ab hac Decima exemti eam a Vasallis suis accipiebant. Cives autem & agricolæ, qui non petita licentia Dominorum suorum sacræ militiæ nomen dederant, nihilominus ad decimam præstandam compellebantur.

Prohibitum, ne ullus enormiter juraret, ne aleis vel alio lusu, a solius fortunæ arbitrio pendente, bonas horas perderet, ne quisquam veste varii coloris, vel grisio, vel Martis Scythicæ exuviis, vel purpura uteretur. Nemo vestibus inhoneste dissectis incedat. Quilibet contentus sit duobus ferculis emtis, nec ducat aliquam secum mulierem, nisi forte lotricem peditem, in quam nulla cadat suspicio. Qui ante susceptam crucem reditus suos pignori dedit, nihilominus illa rata parte fruatur, quæ huic anno memorato competit, & toto itineris sacri tempore usuram dare non teneatur. Crucigeris omnes suos reditus, etiam Ecclesiasticos oppignorare liceat. In sacra expeditione morientes de pecunia sua, quam habuerint apud se, pro domesticis suis, pro subsidio Terræ sanctæ, pro pauperibus testari possint. Hoc est Decretum, a Rege Angliæ, cum in civitate Cenomanensi

Decretum Cenomanense.

nensi versaretur, suadentibus Episcopis & Principibus, conditum. Sæcul. XII. A.C.1188.

Constitutis mandatariis, qui decimas citra mare cogerent, in Angliam trajecit, quam cum trigesima Januarii attigisset, undecima Februarii apud Gaintingtoniam in agro Northamptonienſi frequentissimum Conventum Episcoporum & Optimatum celebrans, Decretum Cenomani conditum legi jussit. Tum Balduino Archiepiscopo Cantuarienſi, & Gilberto Episcopo Rosensi, ejus Vicario, sacrum bellum prædicantibus, multisque crucem amplectentibus, Rex in omnes Comitatus ministros misit, ad decimas colligendas, quæ tanto rigore a civibus exigebantur, ut recusantes carceri manciparentur. Judæi quoque ad eas dandas compulsi; unde ingens pecuniarum vis in ærarium Regis confluxit. Is Episcopum Dunelmensem in Scotiam misit, ut decimas poscceret, & licet Rex quinque millia marcarum argenti offerret, quibus Scotiam ab hoc onere redimeret, Rex Angliæ tamen non acquievit. *Gervas. p. 1522.*

Philippus Rex Franciæ quoque, amplo Concilio Præsulum & Principum Regni sui, in Dominica quarta Quadragesimæ, hoc anno millesimo centesimo octogesimo octavo in diem vigesimam septimam Martii incidente, Parisiis coacto, simile Mandatum edidit, quo nempe omnes, ad *Rigord. p. 25 to. 10 Conc. p. 1763.*

Sæcul. XII. A.C. 1188.

sacram expeditionem non proficiscentes, saltem decimam partem omnium rerum suarum mobilium & redituum hoc anno dare jubebantur. Exceptis tribus Ordinibus Cistercienſi, Cartusiano, Fontisebraldenſi, & Leprosorum Domibus. Dies debitoribus dicta prorogabatur, si creditoribus securitatem sortis præstarent. Hæc subsidia Saladini decimæ dicta sunt.

Petrus Blesenſis, datis hac de re literis, Henricum Drocenſem Episcopum Aurelianenſem, Regis Philippi Augusti patruelem, hortatus est, ut Regi suggereret, Clericos ab hac Decimatione debere esse exemtos. *Tempus est loquendi*, inquit, *ne sequaris exemplum ceterorum Episcoporum, qui Regi vestro adulantur. Si Regis reverentia te turbat, aliquos ex fratribus tuis, qui Spiritu Dei aguntur, legationis socios accipe, tumque fortiter ac suaviter loquimini. Si Rex sacram expeditionem vult suscipere, absit, ut necessarios sumtus ex Ecclesiarum & pauperum spoliis sibi comparet, sed ex ærario proprio & præda hostibus detracta, qua Ecclesias locupletari, non vero sub defensionis specie diripi oporteret. Princeps ab Episcopis & Clericis non pecunias sed orationes tantum exigat. Monete Principem vestrum, ipsum de manu Ecclesiæ gladium acce-*

Ep. 112.

Petrus Blesenſis.

accepisse, quo eam protegat, & si modo Ecclesiæ precibus indigeat, eas ipsi tempore mortis suæ multo magis necessarias fore, quo omnis ejus potentia evanescet. Nullus autem hujus admonitionis effectus fuisse apparet, nec etiam illius Epistolæ, quam Petrus de eodem argumento ad Joannem Constantinensem, Ecclesiæ Rotomagensis Decanum, & Gualterii Archiepiscopi nepotem, dedit. In ea Joannem excitat, ut auctoritate, qua apud Regem Angliæ valebat, ad asserendam Ecclesiæ libertatem, uteretur. *Libera est,* inquit, *qua libertate Christus eam liberavit, si autem exactionibus obruitur, in servitutem, sicut Agar, redigitur. Si Principes vestri, pie peregrinantium speciem præbentes, Ecclesiam volunt efficere tributariam, quicunque filius Ecclesiæ est, virili vigore se opponat, & potius mortem subeat, quam Matrem suam servitute opprimi patiatur.*

Sæcul. XII. A C. 1188.

Ep. 121.

Gal. 4. 31.

Hic dispicimus familiarem illi ætati abusum, cum voces *Ecclesia* & *Libertas* in sensu ambiguo acciperentur; quasi vero Ecclesiam, a JEsu Christo liberatam, soli viri Ecclesiastici constituerent, aut nos a quocunque alio onere quam a peccato & Cæremoniis Legalibus redempti fuissemus.

Petrus Blesensis iterum de Decima Saladina mentionem injicit, in Tractatu de

Sæcul. XII. A.C. 1188.

de Itinere Hierosolymitano. *Crucis inimici*, ait, *qui ejus filii esse deberent, editi voti meritum sua avaritia perdunt, nefandam Decimam exigentes, & Crucis signum mutant in scandalum.* Hunc Tractatum vero Petrus in eum finem scripsit, ut Crucigeros ad celeriter proficiscendum hortaretur, & Principum tarditatem vituperaret, qui privati lucri amore iter differebant.

p. 428.

Eadem die qua Rex Philippus Comitia Parisiis celebrabat, Fridericus Imperator Moguntiæ, nempe Dominica IV. Quadragesimæ, die vigesima septima Martii, solemni Curiæ præerat, præsente Cardinale, Henrico Episcopo Albanensi. In his Comitiis, infanda captæ urbis Hierosolymæ narratio, quæ literis fuerat mandata, publice recitata. Atque Fridericus Imperator, Fridericus filius ejus Dux Sueviæ, & sexaginta octo, Principum tam Ecclesiasticorum quam Laicorum viri præcipui, ad suscipiendum iter sacrum voto se obstrinxerunt. Omnis conditionis homines ad hoc bellum incitati, & dies, locusque, unde itineri se darent, in Festo S. Georgii, vigesima tertia Aprilis, anno sequente, Ratisbonæ præstituti. Ne exercitus multitudine laboraret, Imperator pœnam excommunicationis iis denunciari jussit, qui copiis suis se jungere auderent, nisi saltem

Chron. Reicherſp. an. 1188.

Chron. Clarevall. eod. Otto a S. Blas. c. 31.

Anon. to. 5. *Canis*

tem tribus argenti marcis instructi. Henricus S. Sedis Legatus Moguntia Leodium venit, ubi cum ad populum e Cathedra dicens in vitia Clericorum, præcipue autem in Simoniam, vehementissime fuisset invectus, Canonici sexaginta sex Præbendas suas abdicarunt, quibus ipse in aliis Ecclesiis Beneficia dari curavit. Rudolphus Episcopus ad delenda sua peccata, Cruce accepta, anno millesimo centesimo nonagesimo iter ingressus est.

Sæcul. XII. A.C. 1188.

Chron. Claraval. an. 1187. Ægid. Aurvall. de Episc. Leod. c. 56.

§. XVI.

Schismatis in Scotia finis.

Hoc anno millesimo centesimo octogesimo octavo ineunte, Clemens III. Papa veterem litem inter Joannem Episcopum S. Andreæ in Scotia & Hugonem ejus Adversarium compositurus, hac in causa illius Regionis Episcopis, Scotiæ & Angliæ Regibus, & Ecclesiæ S. Andreæ Clericis scripserat, ac in iis literis, quas omnes Pisis die decima sexta Januarii dedit, si rei summam spectamus, dicit: *Quia Hugo ab Urbano Papa III. vocatus ad Sacram Sedem venire contumaciter recusavit, eum ab Episcopatu S. Andreæ removimus, ab usu Episcopalis Officii suspendimus, & subjectos a fidelitate, qua ei tenebantur adstricti, absolvimus. Cumque sanctorum Canonum sanctiones*

to. 10. Conc. ep. 1. 2. 3. 4. 5. Roger. Hov. p. 646. Sup. Lib. LXXIII. §. 27.

Sæcul. XII. A.C. 1188

ctiones Ecclesias vacantes regimine Pastorali diutius carere inhibeant, volumus, ut Capitulum S. Andreæ dignum sibi Præsulem, & si fieri possit, Joannem Episcopum, cujus merita nobis perspecta sunt, eligat. Tum Regem Scotiæ hortatur, ut hunc Episcopum in gratiam recipiat, & Regi Angliæ injungit, ut Regem Scotiæ auctoritate, qua in ipsum viget, ad id ipsum compellat. Has Epistolas Joannes Episcopus Dunelmensis, a Curia Papæ post Festum Purificationis rediens attulit, quæ cum Regi Scotiæ prælectæ fuissent, tandem eo adduci se passus est, ut Joannem Episcopum secum in gratiam redire permitteret, eique quietam possessionem Episcopatus Dunkeldensis concessit, ea conditione, ut Ecclesiæ S. Andreæ omnino renunciaret. Joannes Episcopus amore pacis, voluntati Regis acquievit. Hugo Romam profectus, impetrata absolutione, in ipsa urbe decessit ex morbo, ab insalubri aere contracto, quo complures Cardinales, Romanorum opulentissimi, plurimique ex populo peremti sunt. Rex Scotiæ igitur Episcopatum S. Andreæ Cancellario suo Rogerio, Comitis Legecestrienſis filio, Joanne Episcopo Dunkeldensi præsente & non repugnante, contulit. Ita hæc causa, annis octo agitata, finita est.

Rog. p. 649.

Rex

Rex Scotiæ, postquam ita Papæ satisfeciſſet, ut ſe regnumque ſuum a futuris cenſuris Epiſcoporum Angliæ liberaret, a Sacra Sede privilegium obtinuit, in quo Summus Pontifex conſtituit, ut Eccleſia Scotiæ ſoli Sedi Apoſtolicæ ſubjecta eſſet. Nominat Sedes Epiſcopales novem, quæ illa tempeſtate in Scotia numerabantur, videlicet S. Andreæ, Glascovienſem, Dunkeldenſem, Dumblinenſem, Brechinenſem, Aberdonenſem, Moravienſem, Roſſenſem, & Catinenſem. Tum ſubjungit: *Nemini liceat, niſi Romano Pontifici, vel Legato ab ipſius latere deſtinato, in Regnum Scotiæ Interdicti vel Excommunicationis ſententiam promulgare, & ſi promulgata fuerit, decernimus eam non valere. Nulli, niſi de Regno Scotiæ fuerit, aut de corpore Eccleſiæ Romanæ deſtinatus, licitum ſit, in eo Legationis officium exercere. Cauſæ ob bona, in illo Regno poſita controverſæ, ad exterum tribunal non trahantur, niſi Romam fuerit appellatum.* Hæc Bulla decima tertia die Martii anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo data eſt. Hucusque Epiſcopi Scotiæ Sedis Metropoliticæ Eboracenſis Suffraganei fuerant, nec tamen apparet, hunc Archiepiſcopum fuiſſe vocatum, aut petitum ejus conſenſum, cum

Sæcul. XII. A.C. 1188.

Ep. 6. Rog. p. 651.

Sæcul. XII. A.C. 1189.

cum tanta provinciæ ejus pars avelleretur.

§. XVII.

Conventus in urbe Bernardi-Firmitate.

Rog. p. 651. Chro. Claraval.

Profectioni sacræ Regum Franciæ & Angliæ moram attulit bellum, inter eos exortum, quo tenente, Richardus filius Regis Angliæ primogenitus sub præsidium Regis Franciæ se recepit. Principes conciliaturus Papa Henricum Cardinalem Episcopum Albanensem misit, qui cum sibi mandata diligenter exequitur, Attrebati prima die anni milesimi centesimi octogesimi noni, morte occupatur. Corpus defuncti Claramvallem, ubi Abbas quondam fuerat, translatum, Sancto Malachiæ & Sancto Bernardo medium sepultum est. Comperta ejus morte Papa Cardinalem Joannem Anagnienſem ad negotium pacis perficiendum misit. Is dicendi vi & suavitate Reges permovit, ut promitterent, se judicio Archiepiscoporum Remensis, Bituricensis, Rotomagensis, & Cantuariensis, in die octava Pentecostes, velle acquiescere. Tum sine mora Cardinalis & quatuor Archiepiscopi contra quemcunque, qui optatæ paci obstaculum poneret, solis Regibus exceptis, sen-

ten-

tentiam excommunicationis pronuncia- Sæcul. XII.
runt. A.C. 1189.

Statuta die, Reges prope Bernardi-Firmitatem, Richardus Comes, Cardinalis, Archiepiscopi quatuor, & utriusque Regni Optimates, præsto fuerunt. Petiit Rex Franciæ, ut sponsalia, inter Alesiam sororem suam & Richardum Comitem Pictaviensem inita, implerentur, idem Princeps sibi de feudis suis fidem juraret, Joannes autem ejus frater sacræ militiæ nomen daret. Denegavit omnia Rex Angliæ, nisi quod diceret, consensurum se in nuptias Alesiæ & Joannis filii sui, nempe cujus ingenium & indolem non ita ac Richardi pertimescebat. Itaque, cum nihil ageretur, Cardinalis Joannes Anagnienſis minatus est, nisi Rex Franciæ postulata Regi Angliæ concederet, se totam Franciam Interdicto subjecturum. Cui respondit Rex, se ejus sententiam neutiquam formidare, nec obsecuturum esse, quidquid promulgasset, utpote a Justitia alienum. *Nec enim*, ait, *Ecclesiæ Romanæ jus est, censuras in Regnum Franciæ denunciandi, cum Rex Vasallos rebelles domat, cumque injurias & contemtum Majestatis suæ ulciscitur.* Subjunxit, Cardinalis integritatem Regis Angliæ nummis, qui vulgo *Sterlingi* dicebantur, fuisse

Sæcul. XII. A. C. 1189.

debatam. Hæc sunt verba Rogerii Hovedeni, Scriptoris Angli.

p. 652.

§. XVIII.

Henrici II. Regis Angliæ mors.

Brevi autem post tempore, nempe mense Junio exeunte, Henricus Rex ad paciscendum cum Rege Philippo compulsus est; quin etiam totum se ejus voluntati permisit, atque statutum, ut anno sequente circa medium Quadragesimæ Veselium convenirent, unde profectionem in Palæstinam exordirentur. *Rog. p. 654.* Verum Henricus Rex acerrime commotus, quod se a filiis suis proditum sentiret, Chinone in regione Turonensi in morbum incidit, filiisque maledixit; nec postea iis ignovit, quantumcunque Episcopi aliique viri pii urgerent, ut veniam concederet. Ad extrema deductus in Ecclesiam portari & ante Altare poni voluit, ubi Communione Corporis & Sanguinis Domini Nostri accepta, peccata sua confessus, & ab Episcopis Clericisque absolutus, die Jovis, sexta Julii, anno millesimo centesimo octogesimo nono, in Octava S. Petri, animam reddidit, postquam annis triginta quatuor regnasset. Sepultus est Fontisebraldi in choro Sanctimonialium.

§. XIX.

§. XIX.

Sæcul. XII. A.C.1189.

Richardus I. Rex Angliæ.

Richardus Comes Pictavienſis Henrici filius tunc natu maximus patri in toto Regno ſucceſſit, ac annis decem ſceptrum tenuit. Comperto, parentem fatis functum, Rotomagum contendit, ut Dux Normanniæ ſalutaretur, atque iſta ſolemnia die Jovis, in Feſto S. Margaritæ, vigeſima Julii, anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono, in Eccleſia Dominæ Noſtræ, Epiſcopis, Comitibus, & illius provinciæ Baronibus præſentibus, peracta ſunt. Richardus de Altari gladium Ducalem tulit, quo ab Archiepiſcopo Gualterio præcinctus, etiam Vexillum de ejus manu accepit. *Rog p.656. Rad. Duc. p. 646. Jo. Brompt. p. 1155.*

Tum Dux Normanniæ, die Dominica ante Aſſumtionem, decima tertia Auguſti, in Angliam delatus, cum Eccleſia Archiepiſcopalis Eboracenſis ab obitu Rogerii jam annos octo vacaſſet, eam Godefrido fratri ſuo, ex patris ſui pellice nato, contulit, qui Epiſcopus Lincolnienſis electus ſed non ordinatus fuerat. Electus eſt vero a Canonicis Eboracenſibus, Bartholomæo Huberti Gualterii, ejusdem Eccleſiæ Decani Mandatario, fruſtra reclamante, qui tam ante quam poſt electionem peractam ad Papam appellavit, quod illi, quibus prima ſuffra- *Rog. p. 655.* *Sup. lib. LXXIII. §. 34.*

Sæcul. XII A. C. 1189.

gia competebant, scilicet Episcopus Dunelmensis & Decanus Eboracensis abessent. Et Canonici quidem a proposito non dimovebantur, sed Richardus Dux præcepit, ut omnia in illo statu relinquerentur, in quo, cum pater suus moreretur, fuissent, nempe spiritualia Decanus & temporalia Ducis præfecti administrarent.

Richardus Dux, nam priusquam unctionem Regiam accepisset, hoc nomine ab omnibus appellabatur, deinde Londinum venit, ubi Episcopis & Regni Principibus præsentibus, solemni ritu, in Ecclesia Westmonasterienſi, die Dominica, tertia Septembris, a Balduino Archiepiscopo Cantuarienſi, Archiepiscopis tribus, Gualterio Rotomagenſi, Joanne Dublinenſi, & Volmaro Trevirenſi assistentibus, consecratus est. Trevirensem e Sede sua ejecerat Fridericus Imperator, Rudolpho ejus æmulo, ut retulimus, favens. Ceterum Volmarus eodem anno in Anglia mortem oppetiit, atque ad S. Andream Northamptonii sepultus est. Præterea cum Richardus inauguraretur, Episcopi quatuordecim & ferme omnes Abbates Prioresque adfuere. Rex ante Altare juramento se obstrinxit, quod pacem & honorem Ecclesiæ, quoad viveret, tueri vellet, deinde Justitiam populo suo administrare, noxias

Sup. n. 3. Radulf. p. 648.

xias leges & perverſas conſuetudines ab- Sæcul. XII.
olere, melioresque invehere. Quibus A.C.1189.
peractis Balduinus Archiepiſcopus, ut mos eſt, Regem unxit, & veſtibus Regiis induto gladium ad reprimendos Eccleſiæ hoſtes tradidit. Richardus coronam ſuis manibus de Altari ſumtam dedit Archiepiſcopo, qui eamdem Regio capiti impoſuit.

§. XX.

Seditio in Judæos commota.

Poſt Miſſæ ſolemnia itum eſt ad convi- *Matth. Par.* vium, ubi Epiſcopi cum Rege ſede- *p.* 128.
bant, Principibus miniſtrantibus. Jus- *Jo. Brompt.*
ſerat vero Rex a præcone in urbe de- *p.* 1159.
nunciari, ne illa die vel Judæi vel feminæ Regiam intrarent, ut veneficia devitaret, a quorum ſuſpicione non aberant. Nihilominus Rege menſæ accumbente adſunt ad portam Judæi, dona ferentes. Mox Chriſtianorum aliquis Judæo colaphum impegit, ut ab ingreſſu arceret; alii, hujus exemplo excitati, Hebræos ferociter depellunt. Concurrunt de populo multi, qui putantes, id Regem juſſiſſe, Judæis magno numero ad fores Palatii ſtantibus manus injiciunt, initio pugnis agebatur, tum ſaxis & fuſtibus. Judæorum non nulli peremti, alii ſemivivi jacebant. Quidam eorum, nomine Benedictus, Judæus Eboracenſis, tam

Sæcul. XII. A.C. 1189.

male affectus est, ut spes vitæ vix superesset, & ipse mortis metu Baptismum recipere constituerit de manu Prioris Dominæ Nostræ Eboraci. Interea per totam urbem Londinensem rumor spargitur, præcepisse Regem, Judæorum gentem igne ferroque extingui. Non modicæ turmæ armatæ confluunt, tum ex ipsa urbe tum etiam ex variis provinciis, cum ingens multitudo hominum ad augendam Regiæ unctionis pompam advenisset. Ergo passim miseri Judæi cæduntur, ac in domos arte militari munitas fugientes injectis flammis crematur. Cum, necdum remotis bellariis, hæc Regi nunciarentur, misit Optimatum præcipuos, ut tumultum compescerent; qui vero a furente populo non auditi recesserunt.

Altera die Rex quosdam seditiosorum comprehendi jubet, ex quibus tres suspendio peremti, quod flammis, quas ipsi sparserant, aliquot ædes Christianorum arsissent. Tum, accersito ad se Judæo, qui baptizatus fuerat, quærit, an esset Christianus? ille respondet, quod non esset, sed ut mortem effugeret, passus fuisset, quod Christiani voluissent. Rex deinde Archiepiscopum Cantuariensem, compluribus aliis Episcopis præsentibus, interrogat, quid de isto homine decernendum esset, cui Præsul indignans:

Si

Si Hebræus hic ad Deum non vult accedere, ad Diabolum abeat.

Sæcul. XII. A.C.1189.

Ita Benedictus, ad Judæorum religionem reversus, haud diu post vita functus est, cujus corpus nec Judæi nec Christiani in sua cœmeteria inferri permiserunt. Rex autem, literis ad omnes Angliæ Comitatus missis, vetuit quidem, vim ullam Judæis afferri; sed priusquam hæc mandata promulgarentur, complures urbes, magis prædæ cupiditate quam Religionis amore incitatæ, crudelitatem Londinensium imitatæ fuerant. Multi Judæi, ut vim Christianorum a suis cervicibus arcerent, recepto Baptismo, uxoribus suis Christianæ Ecclesiæ ritu iterum juncti sunt. Judæi vero, urbis Eboracensis incolæ, mense Martio, anno sequente, millesimo centesimo nonagesimo, die Veneris ante Dominicam Palmarum, quæ in decimam sextam diem illius mensis incidebat, ad unum omnes perierunt. Hi enim, numero quingenti, non recensitis mulieribus & parvulis, cum arcis munitissimæ turrim, Centurione & Vicecomite invitis, occupassent, ne a Christianis interficerentur, eamque dedere pertinaciter recusarent, incitantibus militum Ducibus, a populo oppugnantur. Hostibus diu noctuque instantibus, magnam pecuniæ copiam ad suam suorumque vitam redimen-

Rog. p. 657. Jo. Brompt.

Rog. p. 665. Radulf. Dic. p. 651.

Sæcul. XII. A. C. 1189.

dimendam offerunt. Verum cum id quoque inhumana populi sævitia denegasset, aliquis Judæorum fratribus immane suggessit consilium, ut se se alter alterum necarent. Quod inaudita acti rabie executi sunt. Namque quilibet Paterfamilias, apprehensa novacula, primo uxoris suæ, deinde liberorum, tum Domesticorum & tandem proprium jugulum solvit. Aliqui peracta nefanda cæde suorum cadavera in populi se se obsidentis capita effuderunt, alii in arcem Regis congesta unacum ædibus, subjectis ignibus, consumserunt. Qui, postquam ceteros suis manibus interfeciſſent, superfuerunt, a populo trucidati sunt, dum interim Christianorum pars Judæorum domos diripit & incendit. Ita Judæi Eboracenses internecione deleti; cumque etiam omnes tabulæ conflagrassent, Christiani debita, quibus Judæis obligabantur, satis expuncta crediderunt.

§. XXI.

Episcopatus Angliæ.

to. 10. Conc. p. 1766. ex Rog.

Richardus Rex, accepta unctione, ad Abbatiam Pipewellensem digressus, frequentissimum convocavit Concilium, cui Balduinus Archiepiscopus Cantuarien-sis, Gualterius Rotomagensis, Joannes Dublinensis, Volmarus Trevirensis, eodem postea anno in Anglia vita functus, omnes-

omnesque ferme Episcopi, Abbates & Priores illius Regni interfuerunt. In hoc Concilio, medio Septembris celebrato, Rex complures Episcopatus, aliasque Dignitates Ecclesiasticas variis contulit, ac inprimis Richardo Archidiacono Elienſi, & Thesauro Regni præfecto Episcopatum Londinensem *, biennio & sex mensibus, post obitum Gilberti *Foliot*, decima octava Februarii anno millesimo centesimo octogesimo septimo defuncti, vacantem. Episcopatum Elienſem Guilielmo de Longo Campo, suo Cancellario dedit, & Episcopatum Saresberiensem Huberto Gualterio, Decano Eboracensi, ut sic delinitus se electioni Godefridi nothi Regis fratris ad Sedem Eboracensem expetiti ultra non opponeret.

Sæcul. XII. A.C. 1189.

Jo. Prompt.

* In Actis Lincolniensem.

God. p. 237.

Balduinus vero Archiepiscopus Cantuariensis Ordinationi Godefridi obstitit; nam dicebat; sibi soli, utpote Angliæ Primati, jus esse eum consecrandi, protulitque literas Regis Guilielmi Nothi, ex quibus ostendebat, rem ita fuisse judicatam inter Lanfrancum Archiepiscopum Cantuariensem & Thomam Archiepiscopum Eboracensem, quam sententiam Alexander Papa II. confirmasset. Inter hæc Richardus Rex, nunciis ad Clementem Papam missis, obtinuit ab eo Literas, &

Jo. Prompt. p. 1161.

Rog. p. 659.

Sæcul. XII. A.C. 1189

& exemtionem, qua omnes illi, quibus custodiam Regni sui commissurus esset, ab onere suscipiendi profectionem sacram liberabantur; unde maximam pecuniæ vim cumulandi occasionem nactus est. Multum præterea auri congessit ex pretio prædiorum suorum, quæ Episcopis vendidit, rursusque ex Juribus suis aliorumque, quæ cuicunque, ea emere volenti, tradidit. Hac ratione Richardus ad iter Hierosolymam suscipiendum se comparabat.

§. XXII.

Friderici Imperatoris Profectio.

Otto S. Blas. c. 32. Arnold. Lub. 3. c. 29. Chro. Reichersp. an. 1189.

Eodem anno millesimo centesimo octogesimo nono post Pascha, quod in nonam diem Aprilis inciderat, Fridericus Imperator profectionem in Palæstinam exorsus est. Sequebatur parentem Fridericus Filius Dux Sueviæ, cumque conscenso navigio Danubii undis se commisissent, Posonium pervenerunt. Ubi Imperator, in Festo Pentecostes solemni Curia celebrata, universum exercitum collegit. Tum, a Bela III. Rege Hungariæ, qui anno sequente, die Martis, prima Maji, postquam regnasset annis viginti tribus, e vita decessit, honorifice ut par erat exceptus, Bulgariam attigit, in qua regione sæpe via vi & armis

armis aperienda fuit. Multa quoque obstacula in provinciis, Imperatori Constantinopolitano Isaacio Angelo subjectis, ferro vincenda fuerunt, quamvis securum transitum promisisset. Sed inani suspicione cruciabatur; eo consilio veniisse Fridericum, ut Imperium Constantinopolitanum, ipsi detractum, filio suo Friderico donaret. Sæcul. XII. A. C. 1189. *Chr. Jo. Thevorez. c.* 69.

Hunc timorem Isaacii menti indiderat Dositheus, in quo singularem fiduciam posuerat. Is erat monachus Studiensis, & Isaacii, antequam Solium conscendisset, amicus, cui prædixerat, Imperatorem futurum; quod ubi postea evenit, tanti deinceps Isaacius hunc monachum fecit, ut eum in Patriarchalem Cathedram Hierosolymæ evexerit, post obitum Leontii, viri commodis moribus & virtutibus clari. Nam, urbibus Hierosolyma & Antiochia a Latinis expugnatis, Græci ibidem Patriarchas eligere non cessaverant. Dositheus igitur Imperatori Græcorum persuaserat, Fridericum Urbi Constantinopoli, hostili animo, imminere, quin etiam vaticinabatur, per quam portam ingressurus esset, & quantam cladem illaturus, adjiciens, eum deinde atroces pœnas Deo Vindici daturum. Præterea in Crucigerorum castris rumor narrabat, Isaacium cum Saladino fœdera pepigisse, ad divi- *Nicet. Isaac. lib. 2. n. 4. p.* 258. *Chron. Neuhersp. p.* 267.

Sæcul. XII. A.C. 1189.

dividendam inter se Palæstinam, ejectis Latinis; omnes hujus conspirationis conditiones referebantur, dona invicem missa minutatim enumerabantur.

Fridericus vero Imperator, se ab Isaacio deceptum intelligens, ejus ditiones vastare cœpit, & Philippopolim intravit ab incolis desertam, nisi quod pauci Armeni remanserint, qui haud ita ut *Nicet ibid.* Græci Germanos aversabantur. Nicetas hujus urbis Præfectus in sua Historia dicit; Armenos & Germanos Communione Ecclesiastica jungi, & in plerisque opinionibus consentire. *Quippe Armeni*, inquit, *& Germani, æqualiter adorationem sanctarum imaginum rejiciunt, gens utraque panem non fermentatum in Sancto Sacrificio adhibet, & quædam alia, tanquam legitima a Christianis orthodoxis damnata, servat.*

Sup. Lib. LXXIII. §. 60.

Quid Nicetas hic de cultu imaginum dicere velit, non perspicio, nisi forte Græcorum imagines a quibusdam Germanis militibus profanari viderit, quod Siculi, cum Thessalonicam caperent, fecerant. Fridericus, Philippopoli vigesima quinta Augusti in potestatem recepta, vigesima secunda Novembris Hadrianopolim, in ea urbe hyematurus, pervenit.

§. XXIII.

Sæcul. XII.
A.C. 1190.

§. XXIII.

Friderici fata. Henricus VI. Imperator.

Anno sequente, millesimo centesimo nonagesimo Fridericus Imperator, relicta Hadrianopoli, & Hellesponto, seu freto Dardanellarum trajecto, in ditionem Soldani Iconiensis, illius gentis lingua *Cogni* qui *Kelige-Arslam* vocabatur, filii *Masbud*, ex genere Seljucidarum quarti, exercitum duxit. Porro etiamsi hic Soldanus Imperatori fidem dedisset, tutum & salvum transiturum ejus exercitum, perfide tamen milites in angustis montium faucibus collocavit, qui ex insidiis in subeuntes Germanos irruerent. Nihilominus Imperator Turcis bis depulsis, Soldanum Iconii, Regia ejusdem Sede, inclusit, urbemque superatis mœnibus decima octava Maji occupavit. Inde ad fines Armeniæ divertit Terram Sanctam petiturus. Verum, Cœlo aliter visum; nam die Dominica, decima Junii, cum eum intolerabilis æstus ad abluendum corpus in ignobili Ciliciæ seu Caramaniæ amne (*Farfarem* accolæ nominabant) invitasset, fluctibus obrutus interiit, postquam annis triginta septem imperasset

Abulfarage p. 276. Bibl. Or. p. 801.

Sæcul. XII. A.C. 1190.

set (*). Fridericus Dux Sueviæ, defuncti filius, secundo genitus, mili are quidem Imperium suscepit, sed elapsis exinde sex mensi-

vie Salad. M. S.

(*) De morte Friderici Ænobarbi Palatius in *Aquila Sueva* ait: *Aliqui Seleuciæ, veneno, alii inopinata morte, nulla fluminis mentione, abreptum putant. Alii memorant, ab æstu diei & laboris eum arma posuisse & vestes, amnemque in superficie a sole tepidum, sed in imo frigidissimum, cum tetigisset Imperator, obriguisse subita mutatione membra, & quod Alexandro obtigisse ferunt, Fridericum, Cæsarem hactenus invictum, casu improviso & piæ militiæ acerbissimo, inter suorum manus pæne emortuum. Tum vero aquis extractum, respirasse paulum, dicentem: Benedictus Deus! qui me per aquam regeneravit: si me de mundo per aquam vocat, queri non possum. ... Sic in ipso victoriarum cursu Heros præstantissimus periit, humanæ fragilitatis relinquens exemplum. Annum agebat ætatis suæ sexagesimum nonum .... Corpus ejus exenteratum, ob longitudinem itineris, sale diligenter confricatum: & gestatorio impositum, luctuoso agmine Antiochiam delatum est, & in Basilica B. Petri in introitu Chori tumulatum.*

Et in fine varia affert Epitaphia, quale illud est, Nicolai Reusneri

Quem non mille acies possunt absumere ferro,
Armenius vitreo Ferreus amne rapit.

Tandem additur: *Investigabiles cum sint viæ Domini, nec sit, qui possit requirere, Quid fecisti?*

mensibus, videlicet vigesima Jan. 1191. in castris ad Acriam urbem positis e vita migravit. Henricus VI. Friderici Imperatoris filius natu maximus in Germania manserat, dudum Rex Romanorum salutatus. Is eodem anno millesimo centesimo nonagesimo Joannem Cancellarium suum Archiepiscopum Trevirensem eligi curavit, atque ita Schisma, quod in illa Ecclesia annis septem tenuerat, composuit. Joannes Ecclesiæ Trevirensi annis viginti tribus præfuit (*).

Sæcul. XII. A C. 1190.

Chron. Reichersp. Mag. Chron. Belg. p. 204. Sup. Lib. LXXIII. §. 43.

§. XXIV.

Concilium Rotomagense.

Richardus Rex mense Decembri anno millesimo centesimo octogesimo nono ex Anglia solvit, Regni custodia & regimine Guilielmo *de longo campo*, Episcopo Eliensi, Cancellario suo, commisso, cui ut majorem conciliaret auctoritatem, a Clemente Papa potestatem Legati Sedis Apo-

Rog. p. 663. p. 665. Rad. Dic. p. 655.

---

cisti? laudemus Dominum, nec Christum Domini Fridericum damnemus.

(*) Quod hic & alias frequentius Imperatores & Reges dicuntur Episcopatus contulisse, exinde tamen attentus Lector non inferet, Electionem Canonicam in illis Sæculis fuisse abrogatam & suppressam, sed denique auctoritatem Summorum Principum ita invaluisse, ut sæpe ille, cui ipsi favebant, eligeretur.

Sæcul. XII. A. C. 1190.

Apostolicæ in Anglia impetravit. Gualterius vero Archiepiscopus Rotomagensis, Richardum Regem in sacra profectione comitaturus, antequam itineri se daret, Concilium Provinciale, in Ecclesia sua Metropolitica, die undecima Februarii, anno millesimo centesimo nonagesimo celebravit, cum in Anglia adhuc numeraretur annus octogesimus nonus supra millesimum centesimum, quia anni exordium vigesima quinta Martii agebatur. Omnes Episcopi ejus Suffraganei cum multis Abbatibus adfuere, atque Canones triginta duo conditi, plerique ex Conciliis antiquioribus, inprimis ex Concilio Generali Lateranensi, sub Alexandro III. anno millesimo centesimo septuagesimo nono celebrato, petiti. Primo præcipitur, ut omnes Ecclesiæ Rotomagensi Suffraganeæ in legendo & psallendo, id est, in Officio Divino, usum Ecclesiæ suæ Metropolitanæ imitentur. Eucharistia non nisi in vase aureo vel argenteo, & nunquam in stanneo consecretur. Placuit etiam, ne corpus Dominicum sine lumine, cruce & aqua benedicta, nec sine Sacerdotis præsentia, nisi extrema necessitas excuset, deferatur. Ergo aliquo casu existente id tamen licebat. Clerici, qui ut examen proprii Episcopi declinent, ab Episcopis extra suam provinciam, vel a transmarinis,

post. Petr. Bles. p. 799.

Sup. Lib. LXXIII. §. 20.

c. 2.

c. 3.

c. 7.

nis, Ordinem consequuntur, ab Epi- Sæcul. XII.
scopis suis ad administrationem Ordinis A.C.1190.
nulla ratione recipiantur. Archidiaconi
per Archidiaconatum suum incedentes,
jure procurationis a subditis non nisi mo-
dicam pecuniam exigant. Societas seu c. 12.
fœdera Clericorum Laicorumve, quibus
se se ad præstandum sibi mutuum auxi-
lium in quibuslibet causis juramento ad-
stringunt, prohibentur. Solemni ritu c. 25.
in omnibus Ecclesiis illi, præter alios
reos, excommunicentur, qui falsum jura- c. 26.
mentum edendo Ecclesiam jure suo pri-
vant, aut reditus Archiepiscopales frau-
dulenter usurpant. Dantur etiam ad- c. 31. 32.
juncta, quibus existentibus, rei ad im-
petrandam absolutionem Romam mit-
tendi sunt (*).

§. XXV.

Profectio Regum Franciæ & Angliæ.

Richardus Rex in Normannia aliquam-
diu

(*) Verba Concilii in Actis ex Edit. Harduini, ad hunc annum leguntur in hunc modum: *Hujus autem Constitutionis reos nullus Sacerdotum absolvere, vel eis pœnitentiam dare præsumat, nisi fuerint in articulo mortis constituti: Sed hujusmodi perjuri & excommunicati ad proprios Episcopos remittantur absolvendi, & de tanto excessu graviter puniendi, & ad eorum majorem confusionem ad Sedem Apostolicam transmittantur.*

Sæcul. XII. A.C. 1190.

diu commoratus, Turonem venit, ubi Sacrorum peregrinantium peram & scipionem de manu Guilielmi Archiepiscopi accepit. Sed cum Rex scipione niti cœpit, confractus est, aliumque recepit Veselii, ubi corpus beatæ Mariæ Magdalenæ servari credebatur. In eo loco, ut condixerant, Reges Franciæ & Angliæ præsto fuerunt. Philippus Rex discessurus curam Regni Adelæ Reginæ matri, & propinquo suo Guilielmo Archiepiscopo Remensi, Sacræ Sedis Legato, injunxit, edita Constitutione, qua in regimine Franciæ se absente uterentur; in ea inter alia capita istud legitur: *Si Episcopatus aut Abbatia ad jus Regale pertinens vacaverit, volumus, ut Canonici vel Monachi Reginam & Archiepiscopum adeant, sicut ad nos venire tenerentur, & petant Electionem liberam, quæ ipsis non gravate concedatur. Porro Regina & Archiepiscopus bona, juribus Regalibus subjecta, in sua potestate teneant, usque dum electus vel consecratus vel benedictus fuerit, tumque ei reddantur. Si aliqua Præbenda aliudve Beneficium vacaverit, illo tempore, quo jus Regale nobis competit, Regina & Archiepiscopus ea viris piis & literatis, requisito Fratris Bernardi consilio, conferant.* Id de Eremicola in Silva Vincennarum degente accipiendum puto, estque primum hic vesti-

p. 666. *Jo. Brompt. p.* 1173.

Rigord. p. 29.

pag. 30.

Sup. Lib. LXIII. §. 41.

vestigium, quod occurrit, Beneficia ex Jure Regali fuisse collata. Postea commemoratur in hoc Edicto, ex bonis Ecclesiarum, pro casu emergente, pecuniæ subsidia fuisse Regi concessa. Sæcul. XII. A. C. 1190.

In Festo S. Joannis Rex Philippus multis comitantibus ad Monasterium S. Dionysii venit, Vexillum, quod vulgo Auriflamma dicebatur, more Majorum suorum ad bellum procedentium, accepturus. Vetus enim opinio erat omnium animis indita, solum hujus signi conspectum hostium agmina sæpe in fugam vertisse. Rex in pavimento ante SS. Martyrum corpora prostratus iter suum Deo, S. Virgini & omnibus Sanctis commendavit. Tum peractis inter calentes lacrymas precibus surgens peram & baculum, quem ipsi Archiepiscopus Remensis tradidit, recepit. Cum deinde duo vexilla super corpora SS. Martyrum posita sumsisset, monachorum orationes expetiisset, & Benedictionem, quam Sacerdos, clavo, corona spinea, & brachio S. Simeonis elatis impertiebatur, accepisset, die Mercurii, post octavam S. Joannis, die decima quarta Julii, anno millesimo centesimo nonagesimo cum Richardo Rege Angliæ Veselium se contulit. Illa tempestate San-Dionysiani coronam spineam Domini nostri, quæ a Carolo Calvo monachis dono data dicebatur, ut in *Felib hist. S. Den.*

Sæcul. XII. A.C. 1190.

hujus Principis epitaphio legitur, se possidere credebant.

Rog. p. 668.

Reges, cum Lugdunum pervenissent, in diversa sparsi, Philippus Genuæ, & Richardus Massiliæ naves conscendunt, ac deinde Messanæ iterum junguntur. Richardus Rex Italiæ oras prætervectus ad ostia Tiberis venerat, ubi Octaviano Cardinali Episcopo Ostiensi, obvium se inferenti, Romanorum Simoniam acriter exprobravit, conquestus, quod accepissent argenti marcas septingentas pro Ordinatione Episcopi Cenomanensis, mille quingentas pro Legatione Episcopi Elienſis, & magnam pecuniæ copiam, ut efficerent, ne Elias Malemortius Episcopus Burdegalensis a Clericis suis accusatus deponeretur. Octava Septembris Rex Richardus Salernum appulsus, diu ibi moras traxit, expectans, usque dum classis Messanæ portum attingeret; quo tandem Rex Philippus die Dominica, decima sexta Septembris, & Richardus vigesima tertia invecti, hyemem peregerunt. Richardus vero cum Rege Siciliæ, nuper rerum potito, fœdera iniit.

p. 673.

§. XXVI.

Guilielmi obitus. Tancredus Rex Siciliæ.

Guilielmus Bonus mense Novembri, anno

anno ſuperiore milleſimo centeſimo octogeſimo nono, fatis functus erat, annos natus triginta ſex, poſtquam viginti quinque regnaſſet. Cumque improlis obiiſſet, Regnum haud dubie Conſtantiam, mortui Regis Amitam, Regemque Romanorum Henricum VI. qui eam, adjecta hac conditione, Tori conſortem acceperat, ſpectabat, idque omnes Siciliæ Comites jurejurando promiſerant. Sed hæ nuptiæ auctore Gualterio Archiepiſcopo Panormitano conciliatæ fuerant, Matthæo Regni Cancellario repugnante, quorum virorum in Inſula æqualis prope erat poteſtas. Matthæi igitur, Guilielmo defuncto, tantum valuit auctoritas, ut ipſo jubente Tancredus, Comes Lichienſis, Rogerii primi Siciliæ Regis, Guilielmi *Boni avi*, filius, ex amica genitus, Rex proclamaretur. Ita Tancredus Panormum accitus, a Cancellario, conſentiente Curia Romana, coronatur. Inde cum Tancredo Richardus Rex de uſufructu dotis Johannæ, ſororis ſuæ, ultimi Regis defuncti viduæ, aliisque diſſidiis transegit, & pacta a Clemente Pontifice confirmari petiit. In illa commoratione Meſſanæ Rex Richardus, omnibus Epiſcopis, itineris ſociis, in quoddam Oratorium convocatis, ad eorum pedes proſtratus, induſio tectus, enormem anteactæ vitæ licen-

Sæcul. XII. A.C. 1190.

Chr. Ric. de S. Germ. to. 3. Ital. Sac. p. 955.

Rog. p. 676.

p. 681.

Sæcul. XII. A.C. 1190.

licentiam & flagitia confessus est, contriti cordis signa edens. Tum injunctam sibi ab Episcopis pœnitentiam suscepit.

§. XXVII.

Joachimus, Abbas in Calabria.

Cum ambo Reges in Sicilia versarentur, ad aures Richardi pervenit fama *Rog. ibid.* Joachimi Abbatis Curacii in Calabria, Ordinis Cistercienſis, opinione virtutis & scientiæ clarissimi; quin etiam Prophetiæ dono præditus credebatur. Richardus, cum eum Messanam advocasset, viri sermonibus delectabatur, inprimis *Apoc. 12.* in explicatione Apocalypsis. Abbas Joachimus dicebat; Mulierem amictam sole esse Ecclesiam, Draconem eam invadentem esse Diabolum, & septem Capita septem præcipuos Persecutores, Herodem, Neronem, Constantium, *Mahomet*, *Melsemut*, Saladinum, & Antichristum. Quis hic *Melsemut* fuerit nescimus. Priores autem quinque, si Joachimo fidem habemus, erant illi, quos *Apoc. 17. 10.* S. Joannes cecidisse affirmat, Saladinus ille, quem Evangelista dicit adhuc esse, & Antichristum, quem dicit, nondum venisse. Adjiciebat, Saladinum brevi Hierosolymam & Terram Sanctam amissurum. Atque Richardo Regi interroganti, quando id futurum esset, Joachimus Abbas respondit; postquam septem anni

anni consumti essent, ex quo Saladinus Hierosolymam cepisset. *Cur ergo ante tempus proficiscimur?* reposuit Rex, cui Abbas: *expeditio vestra est perquam necessaria. Dabit vobis Deus victoriam de inimicis suis, nomenque vestrum inter cunctos orbis terrarum Principes celebratissimum efficiet.* Subjecit, Antichristum jam natum esse Romæ, ac fore, ut in Sacram Sedem eveheretur. Pluribusque modis hanc Apocalypsis partem explicavit. At Gualterius Archiepiscopus Rotomagensis, Gerardus Auscienſis, aliique Præsules & Viri Ecclesiastici doctrinæ laude eximii, refragabantur loquenti, quæ de Antichristo affirmabat, negabant, & contrarium demonstrare omnibus viribus nitebantur. Ita colloquium istud refert Rogerius *d'Hoveden* in commentario de itinere Richardi, qui, ut alias videtur, accurate scripsit. Fatendum, nihil simile in Commentario in Apocalypsin, ab Abbate Joachimo edito, vel in aliis ejus Scriptis occurrere; sed forte hos libros postea composuit, erroresque emendavit, cum vidit, rerum eventus vaticiniis suis minime respondere.

Sæcul. XII. A.C. 1190.

V. Boll. to. 18. p. 137.

Joachimus, Celicæ prope Cosentiam in Calabria natus, juvenilibus annis professionem Hierosolymam suscepit, vestitu monachum referens. In reditu, cum in Syria esset, ad domum cujusdam vi-

vit. ap. Boll. c. 1. to. 18. p. 95.

Sæcul. XII. A.C.1190.

duæ divertit, quæ hospiti pudorem eripere animo constituit. Sed ipse suspicans castitati suæ insidias strui, relicto lectulo, quem dormituro mulier libidinosa paraverat, postquam tota illa nocte in oratione perseverasset, ubi illuxit, aufugit, quoad vixit puritatis amantissimus. c. 2. In Calabriam reversus, & monasterium Sambucinense Ordinis Cistercienſis ingressus, non ibi tamen vota Religiosa, sed deinde in Monasterio Curacienſi ejusdem Ordinis, edidit. In eo Abbas electus, postquam sese occultare frustra conatus esset, c. 3. Archiepiscopo Cosentienſi, Abbate Sambucinenſi, virisque aliis, in illa regione spectatissimis, instantibus Abbatiale onus recepit. Quia vero Sacras Scripturas scrutandi & explicandi studio captus erat, c. 4. ad Lucium III. Papam profectus, Pontificatus ejus anno secundo, Salutis humanæ milleſimo centeſimo octogeſimo secundo, licentiam obtinuit, eas exponendi, eidemque haud diu post Opus suum de Concordia Veteris & Novi Testamenti obtulit. Tunc etiam Commentarium in Apocalypsim scribere cœpit, atque hos labores auctoritate Papæ munitus prosecutus est. Tandem Clemens Joachimum hortatus est, ut Scripta sua perficeret, & sibi deinde afferret, examen Sacræ Sedis subitura. Hæc ex epistola Papæ die decima octava Junii,

Junii, anno Pontificatus sui primo, Christi millesimo centesimo octogesimo octavo data dispicimus. Quin etiam Clemens Papa Joachimum a cura Abbatiæ Curacensis liberavit, facta potestate, quocunque vellet se recipiendi, ut liberius librorum scriptioni vacaret. Sæcul. XII. A.C. 1190.

Tunc ergo Joachimus Abbas cum Rainerio discipulo suo ad montes Calabriæ prope Cosentiam in quemdam locum, quem accolæ *Floram* dicebant, secessit, ubi primo Oratorium sibi condidit & cellulam; postea vero crescente Discipulorum ad eum confluentium numero, anno circiter millesimo centesimo octogesimo nono novum extruxit Monasterium, in quo Regulæ rigor major fuit quam in Ordine Cisterciensi, & unde Congregatio separata ortum traxit. Hoc Monasterium in suis exordiis Rex Guilielmus Bonus tutatus est; postea autem Joachimo Abbati Tancredus molestus extitit, cujus Præfecti affirmabant, locum in ditione Regis esse. Quare Tancredus ei Monasterium Matinense prope urbem Episcopalem S. Marci obtulit; sed illud Joachimus recipere noluit, quod diceret, æquitati haud fore consentaneum, si ipsi supervenientes alieno labore fruerentur. Jussitque Rex ne *c. 6. Boll. p. 125.* Joachimus Abbas.

Sæcul. XII. A.C. 1190.

Joachimi monasterium amplius turbaretur.

Ital. Sacr. to. 9. p. 279. & Boll. to. 18. p. 93.

Ceterum Lucas, postea Archiepiscopus Cosentinus, cui Abbas Joachimus pæne familiaris fuerat, de eo elogium literis prodidit in hunc modum: *Anno secundo Lucii Papæ, nempe anno Christi millesimo centesimo octogesimo tertio, antea nunquam conspectum vidi Casamajore virum nomine Joachimum, tunc Abbatem de Curacio. Illo tempore monachus erat Domus Sambucinensis, quæ Casæmajoris filia est, omnibus carus & maximi æstimatus, sapientiæ & dono intelligentiæ a Deo acceptæ insignis. Tunc Papæ ejusque Consistorio cognitionem Scripturarum & scientiam suam de concordia utriusque Testamenti aperuit, ac impetrata licentia scribere cœpit. Mirabar vero, virum tanti nominis, & tanta dicendi vi præditum, veste veteri detrita & in extremis partibus adusta incedere; atque amici ejus familiarissimi affirmarunt, nunquam, quoad viveret, de cultu corporis fuisse solicitum. Casamajore uno anno & dimidio versatus, dictans simulque emendans Librum de Apocalypsi & concordia, simul etiam opus, Psalterium decem chordarum, componere cœpit.*

Abbas me ipsi notarium & amanuensem dedit. Scribebam diu noctuque in volumi-

Sæcul. XII. A.C. 1190.

voluminibus membranaceis, cum duobus aliis monachis, ejus scribis, quæ ipse ex chartis deletitiis dictabat. Missam celebranti Joachimo ego serviebam, admirans omnes ejus gestus; nam Hostiæ benedicens dextram altius, quam alii Sacerdotes solebant, elevabat, & majore fervore cæteros omnes ritus peragebat. In illa actione vultus viri, natura pallidus, totus mutabatur & speciem Angelicam referebat. In Octava Paschæ & Pentecostes cunctis diebus sacris operabatur. Decorem Altaris diligebat. Tunc quoque ejus facies rubicundo colore nitebat, cum ad nos in Capitulo, ex mandato Abbatis, peroraret. Demissa voce exordiebatur, quam sensim efferebat, fervido & excitato spiritu prosequebatur, ac ita audientium animos afficiebat, ut nunquam longior fuisse ejus sermo videretur. Totas noctes orando & scribendo consumebat, nec tamen ab officio communi Fratrum aberat, nec in Psalmodia somno succumbebat. Quantum cibi, vel qualis apponeretur, nunquam curabat, castitatis præterea amator singularis, quod complures Episcopi & Monachi testatum faciunt. Vidi eum nonnunquam flexis genibus & levatis in cælum oculis JEsu Christo tanquam de facie ad faciem præsenti colloquentem. Quadragesimam apud ipsum aliquando transegi, in qua,

Sæcul. XII. A. C. 1190.

qua, exceptis Dominicis & Festis, nulla esca nisi frustillo panis & modica aqua singulis diebus reficiebatur. Quanto rigidius autem abstinebat, eo robustior & hilarior videbatur.

Cum esset Curacii Abbas, sæpe suis ipse manibus domum infirmorum purgabat, lectos sternebat, culinam lustrabat, & omnia ægrotantibus necessaria suppeditabat. Iter faciens sæpe de equo desiliebat, jubens famulum suum conscendere, ut labore fessus recrearetur. Summa hyeme pauperibus nudis detractas sibi ipsi vestes donabat. In omnes hospites liberalissimus, solis suis propinquis & consanguineis durus, iis nullum unquam beneficium præstabat. Labore manuum delectabatur, tunc inprimis, quando tota Congregatio operibus sibi injunctis vacabat, & partem ad se spectantem incredibili robore perficiebat, nam vires corporis validissimas a natura acceperat, frigoris, caloris, sitis & famis patientissimus. Hoc testimonium de Joachimo Abbate Archiepiscopus Cosentiæ literis prodidit.

§. XXVIII.

Mors Clementis III. Cœlestinus III. Papa.

Inter hæc Rex Germaniæ Henricus VI. Italiam petiit, coronam Imperii accepturus,

Sæcul. XII. A.C. 1191.

pturus, & Reginæ Conſtantiæ conjugis ſuæ jura in Regnum Siciliæ vindicaturus. Cum urbi immineret, obiit Clemens III. vigeſima octava die Martii anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo, poſtquam Cathedram Petri tenuiſſet annos tres & menſes duos. Elapſo biduo, defuncto ſubrogatur Cardinalis Hiacyntus, Diaconus Tituli S. Mariæ in Cosmedin, dictus Cœleſtinus III. Is annos ſexaginta quinque in Ordine Diaconorum ſteterat, unde ſequitur, eum annos ætatis ſuæ haud multo pauciores quam octoginta quinque numeraſſe, cum ad coronam Papalem recipiendam vocaretur. Electus eſt vero in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, die trigeſima Martii, ſed ejus Ordinatio diebus quindecim dilata. Dubium non eſt, in hac Electione Ritus a Cencio Cubiculario, in Ordine Romano, quem tunc temporis concinnabat, commemoratos, fuiſſe ſervatos. Ab iis autem, quorum in electione Paſchalis II. anno milleſimo nonageſimo nono memini, non nihil differunt.

Arnold. Lub. 4. c. 4. Chro. Richar. de S. Germ. Chro. Reicherſp. an. 1191.

Petr. Bles. ep. 123. ſub. fin.

Sup. Lib. LXV. §. 1.

Refert Cencius, Papam electum illico a Cardinalium Diaconorum digniore Cappa rubra indui, eique nomen imponi. Electus ante Altare proſternitur, omnibus *Te Deum Laudamus* decantantibus. Tum Cardinales Epiſcopi eum ad

Mabill. Muſ. Ital. to. 2. p. 210.

Sæcul. XII. A.C. 1191.

ad Cathedram ſuam, poſt Altare poſitam, deducunt, quibus ipſe ad ſe accedentibus oſculum pacis præbet. Unde poſtea ad ſedem lapideam, ante magnificam portam Baſilicæ S. Salvatoris in Laterano ſtantem, procedit. Hæc ſedes jam tunc *Stercoraria* dicebatur, quia in centro perforata eſt, ſed arctum eſt foramen, atque antiquarum rerum periti arbitrantur, eam aliquando in quibusdam thermis collocatam, ideoque decurrenti aquæ viam fuiſſe apertam. Ibi Pontifex primo munificum ſe futurum probabat, nummos, quot manu capere poterat, aliquoties in populum effundens. Ad Baſilicam deinde S. Silveſtri deductus in Sede Porphyretica collocabatur, Ferula Regiminis Inſigne manui ſedentis inſerebatur, atque claves Baſilicæ & Palatii Lateranenſis tradebantur. Tum in alia ſimili ſede iterum acquieſcens, induebatur cingulo rubro holoſerico, ex quo pendebat marſupium, ſigilla duodecim, ex unionibus confecta, & moſchum continens. Quæ Cencius in hunc ſenſum explicat: Cingulum continentiam, marſupium largitionem eleemoſynæ, gemmæ ſeu lapides pretioſi duodecim Apoſtolos, & moſchus bonum JEſu Chriſti odorem ſignificant.

2. *Cor.* 2. 15.

§. XXIX.

Sæcul. XII.
A.C. 1191.

§. XXIX.

Henricus VI. Imperator coronatur.

Cum Rex Henricus cum exercitu adveniſſet, ſecurus, & ratus, non auſuros Romanos ei coronam Imperii denegare, Cœleſtinus Papa Ordinationem ſuam procraſtinabat, ut ſic etiam coronationem Henrici differret. Sed Romani, poſtquam in conſpectum Regis admitti petiiſſent, *amicus noſter ſis*, ajunt, *more Majorum tuorum nobiscum age, & injurias nobis a præſidiariis arcium tuarum Tusculanenſium illatas ulciſcere, ab iis enim in hanc usque diem laceſſimur. His conditionibus, impetrabimus, ut Papa te coronet.* Ubi Rex ea, quæ petebant Legati, ſervaturum ſe promiſit, ad Papam reverſi, ajunt: *Præ oculis tibi eſt, quod Rex iſte agros noſtros cum exercitu occupet, quod meſſes, vineas, olivas peſſumdet. Rogamus te igitur: ne ejus conſecrationem ulterius differas; cum dicat, nullo alio conſilio ſe veniſſe, quam ut urbem honoret, & Paternitati tuæ obediat.* Itaque dedit id Romanorum precibus Papa, atque ipſe Sabbato, in vigilia Paſchæ, Presbyter ordinatus, & die Dominica, decima quarta Aprilis, Epiſcopus

Arnold. 4. c. 4

Rog. Hoved. p. 689.

Sæcul. XII. A.C. 1191.

pus ab Octaviano Episcopo Ostiensi consecratus, altera die Lunæ Henricum VI. & Constantiam conjugem ipsius, Corona Imperii Romani decoravit. In Juramenti formula Cœlestinus Papa, priusquam Henricum coronaret, ab eo exegit, ut Tusculanum sibi redderet. Tum in solio Pontificali sedens, coronam Cæsaream in inferiore gradu inter crura sua positam pede impulsam in terram dejecit, ut ostenderet, jus sibi esse & potestatem Imperatorem nocentem deponendi. Verum Cardinales levatam quantocius coronam Imperatoris vertici imposuerunt. Hæc ex Rogerio accepimus, Scriptore Anglo, ritum istum referente, qui in nulla alterius Imperatoris coronatione occurrit (*).

Altera

(*) Ad istum locum, Natalis Alexandri hoc est judicium: *Pontificem coronam Imperialem pede percussisse ac dejecisse, ut significaret, se potestatem habere exuendi ipsum Imperio, si potestate sua contra Ecclesiam abuteretur, tradit Rogerius de Hoveden in Annalibus Anglicanis. At narratio ista, quam Baronius Cardinalis approbat, apud me laborat suspicione falsitatis propter aliorum Historicorum & maxime Arnoldi Lubecensis Abbatis & Gotfridi Viterbiensis silentium. Nec verisimile est, Pontificem plusquam octogenarium, mansuetissimum, prudentissimum ac modestissimum Christiano Imperatori*

Altera die, nempe Feria III. Paschæ, Imperator, ut promiserat, urbem Tusculanum Pontificis potestati permisit, qui eandem civitatem die Mercurii, ut Transactionem Clementis III. Antecessoris sui impleret, Romanis tradidit. Hi urbem istam tanto furore demoliti sunt, ut nec lapis super lapidem remanserit. Nec fuit, qui eam in hanc usque diem restauraret. Incolæ in loca propinqua sparsi, non nulli pergulas in alterius suburbii ruinis construxerunt, unde postea oppi-

Sæcul. XII. A.C. 1191.

Id. p. 690. *Rad. Dic. p.* 659.

---

peratori in Sacro inaugurationis Ritu, palam insultare voluisse.

Judicium Natalis Alexandri ex eo confirmatur, quod idem Rogerius Hovedenus scripserit, Joachimum Abbatem prædixisse, Antichristum Romæ jam natum, etiam Sedem Apostolicam esse concensurum, etsi nugæ istæ in Joachimi scriptis non inveniantur. Sup. Fleur. §. XXVII.

Porro Natalis Alexander in Cœlestino III. Sæc. XII. adjecit: *Constantiam illam Rogerii Siciliæ Regis filiam, in Monasterio Panormitano Monialem fuisse votis obstrictam, atque a Cœlestino, ut Henrico V.* Imperatori nuberet, a votis absolutam, recentiores non nulli commenti sunt. Quod doctissimus Cardinalis Baronius luculenter ex Auctorum silentio probat, pluribusque aliis argumentis.*

* Henrico VI.

Sæcul. XII. A.C. 1191.

oppidum *Freſcati*, ubi hodie Epiſcopus reſidet, nomen accepit. Imperator vero in Apuliam movens, repugnante licet Pontifice, qui Tancredo Regi favebat, complures urbes cepit, interque alias Salernum, ceterarum caput, ubi Conſtantiam Imperatricem reliquit. Verum exercitu graſſantibus morbis labefactato, ineunte menſe Novembri abſiſtere coactus eſt. Inter illos, qui in iſta expeditione occubuerunt, Imperatoris Cancellarius, & Philippus Archiepiſcopus Colonienſis recenſentur. Mox Tancredus amiſſas urbes recuperavit, eique Conſtantia captiva tradita, quam in Siciliam miſit.

Ric. S. Germ. an. 1191. Chro. Reicherſp.

§. XXX.

Acria a Crucigeris expugnatur.

Rex Franciæ, cum Meſſana ſolviſſet ſub finem menſis Martii, in vigilia Dominicæ in Albis, vigeſima Aprilis anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo ad oram Acriæ in Palæſtina delatus eſt, quam urbem Crucigeri jam annis duobus obſidebant. Namque expugnata a Saladino Hieroſolyma Rex Guido Luſignanus, nullius urbis, in qua tuto degere poſſet, Dominus, Tyrum ſe ſe recipere conſtituerat; ſed Conradus Marchio Montisferrati, qui in ea urbe rerum potiebatur, intrandi copiam non fecit, mili-

Rog. p. 692. Rigord. p. 32 Jacob. de Vitria Hiſt. Hieroſol. c. 98. p. 1120.

milites vero dedit, quibus Rex ad aliquid contra hostes audendum uteretur. Sæcul. XII. A.C. 1191.
Itaque Guido Lusignanus, desperatione animum occupante, ne saltem otiosus perire videretur, anno millesimo centesimo octogesimo nono obsidionem Acriæ molitus est. Idque usque adeo temere cœptum credidit Saladinus, ut ne quidem ad ferendum obsessis auxilium festinaret. Interim tamen varii Crucigeri subsidia Guidoni attulerunt; quippe advenit Flandrensium & Brabantinorum classis, cumque etiam Rex Franciæ appulisset, tantæ fuerunt Christianorum vires, ut Philippus Rex admotis machinis mœnia expugnare potuisset, nisi promisso suo religiose stare, & Regem Angliæ præstolari voluisset. Ille ex portu Messanæ non prius quam Feria IV. in Majore Hebdomada, die decima Aprilis, vela fecit, atque tempestate turbida ad oram Cypri dejectus, Insulam ex potestate Isaaci Comneni, qui Imperatori Isaacio Angelo arma rebellis intulerat, ereptam sibi subjecit. *Rog. p. 690.*

Postquam igitur Richardus quoque in portum Acriensem invectus est, obsessi spe omni abjecta, Regibus se permiserunt, positis conditionibus, anno millesimo centesimo nonagesimo primo, eaque urbs exinde potentissima, inter illas, quas Latini in Palæstina tenebant, extitit. *Id. p. 696.*

Sæcul. XII. A.C. 1191.

Præcipua stipulatæ deditionis capita fuere: Emiri nomine Saladini, Domini sui, promitterent, veram Crucem in pugna ad Tiberiadem captam reddere, ac mille Christianos captivos ducentosque Equites, ex illorum numero, quos in suis ditionibus tenebat, libertate donare. Recepta urbe, Christiani Ecclesias, in fana Mahometanorum mutatas, a captivis Infidelibus purgari jusserunt, easque decima sexta Julii Alardus Episcopus Veronensis, Cardinalis & Sacræ Sedis Legatus, Archiepiscopis Tyriensi, Pisano, & Ausciensi, atque Episcopis Saresberiensi, Ebroicensi, Bajonensi, Tripolitano, Carnotensi, & Belvacensi assistentibus, reconciliavit. Jusserant Reges, omnes Musulmannos, qui Baptismatis fonte se ablui paterentur, libertati restitui. Ubi autem constitit, perfidos mortis metu Baptismum petere, ac recuperata libertate Religionem Christi abjicientes ad Saladinum redire, quemquam captivorum amplius baptizari vetuerunt. His gestis, credidit, satis se feciisse Rex Franciæ, ægrotans, & prætera offensus a Rege Angliæ, quocum ei jam ante Messanæ jurgia nata erant. Ergo ultima die mensis Julii navigio se committit, imperium in Francos Crucigeros relinquens Hugoni III. Duci Burgundiæ, qui anno sequenti millesimo centesimo nonagesimo

Rigord. p. 34 Vie Salad. M. S.

Rog. p. 696. J. Brompt. p. 1206.

simo secundo Tyri fatis functus est. Philippus Rex Hydruntem advectus die Jovis, decima Octobris anno millesimo centesimo nonagesimo primo, inde Romam petiit, ubi a Cœlestino Papa honorifice exceptus, & octiduo ejusdem sumtibus sustentatus est. Graves querelas contra Regem Angliæ exposuit, petiitque, se suosque absolvi a voto, cujus totum tempus non impleverat. Sæcul. XII. A. C. 1191. *Rog. p. 697. p. 712.*

Papa singulis palmas & cruces, quas de collo pendentes gestarent, dedit, ac piorum peregrinorum nomine dignos publice edixit. Philippus Franciam attigit imminente Natali Domini, quod Festum Fontisbellaquei celebravit. *Rig. p. 35.*

§. XXXI.

Equites Teutonici.

Dum Acria urbs obsidebatur, quidam Germani Bremenses & Lubecenses, tacti commiseratione ægrotantium militum Christianorum, quibus omnia necessaria deerant, tabernaculum, Nosocomii loco, ex velo navali construxerunt, sub quo magna charitate morbidos fovebant. Jam prius autem Hierosolymæ Hospitium Gentis Germanicæ fuerat. Nam ex quo Christiani Latini urbem incolere cœperunt, Germani illo advenientes, linguæ, quæ ibi vulgaris erat, nempe Francorum, ignari, nesciebant, ad *Chro. Pruss. c. 1.* *Jac. Vitr. hist. Hieros. c. 66.*

Sæcul. XII. A.C. 1191.

quos se verterent. Quare Germanus aliquis virtutis amans, ibi cum uxore sua jus civitatis consecutus, Deo inspirante, suis sumtibus ædificavit Xenodochium ad suscipiendos suæ Gentis ægrotos. Tum consentiente Patriarcha, Oratorium Sanctæ Virginis honori sacrum adjunxit, &, postquam diu piissimum opus partim ex suis facultatibus partim ex pecuniis, quas amore proximi a Christianis emendicabat, prosecutus fuisset, quidam alii, ipsius exemplo excitati, se se huic Hospitio addixerunt, qui abjecta sæculari veste, edito voto ad serviendum pauperibus se obstrinxerunt.

Exinde juncti sunt iis Equites & Nobiles, qui majus obsequium se Deo præstituros existimarunt, si ad tutelam Terræ sanctæ etiam armis uterentur.

Nata igitur novæ pietatis occasione, dum Christiani Acriam obsident, hospitio in castris tumultuarie erecto, statutum est, tertium Ordinem Militarem, accepto a Templariis & Hospitalariis S. Joannis exemplo, fundare, consilium Patriacha, Archiepiscopis Nazareno, Tyrienſi, Cæsarienſi, Episcopis Bethlehemitico & Acrienſi, Magistris Templi & Hospitii S. Joannis, Henrico Rege Hierosolymæ, ceterisque illius Regionis Principibus, approbantibus. Cumque id etiam Præsulibus & Principibus Germano-

manorum in Palæstina tunc præsentibus placeret, communi omnium consensu Fridericus Dux Sueviæ Germanorum Dux, missis ad Henricum Regem Romanorum fratrem suum Legatis, rogavit, ut recentis Ordinis confirmationem a Papa impetraret. Quam Cœlestinus Papa III. Bulla vigesima tertia die Februarii anno millesimo centesimo nonagesimo secundo data, concessit. Ceterum novum Institutum dictum est Ordo Equitum Teutonicorum de Domo S. Mariæ Hierosolymæ, eratque vestitus singularis pallium album cui Crux nigri coloris assuta. Iisdem Papa omnia privilegia Templariorum & Hospitalariorum S. Joannis, quorum vitæ rationem imitabantur, contulit; sed Episcopis, & Patriarchæ subjecti cunctorum bonorum suorum Decimas dabant. Primus Ordinis Magister fuit Henricus *Walpot*, tenente Acriæ obsidione electus, qui, urbe in Christianorum potestatem redacta, hortum emit, ac Ecclesiam & Hospitium ædificavit. Is postquam Ordinem rexisset annis decem, anno Christi millesimo ducentesimo mortalitatem exuit.

Sæcul. XII. A.C. 1191.

Auct. Aquicinct. an. 1189

Jac. Vitr.

§. XXXII.

Ecclesia Alexandrina.

Patriarchæ Jacobitæ Alexandrino Mar-

Sæcul. XII. A. C. 1191.

co, filio Zaraæ, prima die Januarii anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono, poſtquam illam Sedem annis prope viginti tribus occupaſſet, ex hac vita ereptо, Monachi, Epiſcopi, populusque congregati ſuffecerunt, *Abul Meged*, Monachum S. Macarii, in valle *Habib*, filium divitis mercatoris Syri, qui paucis abhinc diebus decedens pinguem hæreditatem filio reliquerat. Ipſe *Abul Meged*, mercaturæ ſtudens, ſæpius iter in Indias ſuſceperat. Ordinatus eſt vero Cairi, die Dominica, vigeſima nona Januarii, & Joannes dici voluit, accepta prius a Soldano licentia, quæ juxta illius Eccleſiæ Canones eſt conditio neceſſaria. Joannes opes ſuas in eleemoſynas aliaque pia opera impendit, longe alia via ac Anteceſſor ipſius incedens, orationi, lectioni, prædicationi, ceterisque omnibus Epiſcopi officiis vacans. Ad menſam, aliorum ſumtibus paratam, nunquam accedebat, munera accipiebat nulla. At Coptorum ritibus addictus, Synodo ſuæ præſidens excommunicationis ſententiam contra Marcum Presbyterum, *Elcombar* filium, confirmavit, Confeſſionem abolevit, ſuis Circumciſionem admittere ſuaſit, & illos, qui ad Communionem Melchitarum tranſierant, ad ſuam reducere omnibus viribus adlaboravit.

Chr Orient. hiſt. Patr. Alex. Soller. V. MS. Salad. an. 1192

Ad

Ad hunc Patriarcham Abas Rex Æthiopiæ materque ejus *Maſcal Cabri*, datis literis contra Cilum Patriarcham ſuum conqueſti ſunt, quod peſſimis eſſet moribus, quod luxu diffluëret, denique vitam mollem & Sacerdote indignam duceret, rogantes; ipſo depoſito, alium meliorem ſufficeret. Joannes, poſtquam querelas & argumenta contra hunc Præſulem ad ſe miſſa mature penſaſſet, reum omni Eccleſiaſtica Dignitate privavit, aliumque Metropolitam Æthiopibus dedit. Quippe Eccleſia Æthiopiæ Sedi Alexandrinæ ſimpliciter ſuberat, iisdem Jacobitarum erroribus corrupta. In Nubia quoque, in reliquis Africæ partibus & in provincia Hieroſolymitana Patriarchæ Alexandrini auctoritas valebat; Joannes vero *Abul Meged* Sedem Alexandrinam annis viginti ſeptem tenuit. Contra Melchitæ illa tempeſtate pauperrimi erant & infirmi; unde ſucceſſio Patriarcharum nobis minus nota eſt, quamvis enim Muſulmannorum Principes Chriſtianos omnes averſarentur, magis tamen Jacobitis favebant, quibus nec cum Græcis nec cum Latinis erat Religionis ſocietas; Melchitas autem ideo oderant, quod Patriarchæ Conſtantinopolitano addicti eſſent, quæ res Melchitis haud modicum ſæpe creavit periculum. In prima & ſecunda Chriſtiano- Sæcul. XII. A.C.1191.

Sæcul. XII. A.C. 1191.

rum expeditione Melchitæ propenso in Latinorum Episcopos animo eorumdem præsidium sibi conciliarunt, ipsis utilissimum, quamdiu Regnum Hierosolymæ stetit, sed postea valde funestum; cum enim urbs sub potestatem Mahometanorum rediit, crudelissime fuissent habiti, nisi pactis cum Saladini Duce initis eam prodidissent. Exinde Latinis aperte adversari cœperunt, ut se liberarent a calumniis Jacobitarum, qui nullum non lapidem movebant, quo obtinerent mandatum, Ecclesias Melchitarum claudendi. Saladinus quemcunque in sua Religione perseverare sinebat, cunctasque Christianorum Sectas suo præsidio tutas esse jubebat (*).

§. XXXIII.

(*) In diesem Absatz wird ein aufmerksamer Leser beobachtet haben, daß Johann, Patriarch zu Alexandrien die Beicht abgeschaffet. Diesen Mann könnten etwan Protestanten als einen Zeugen der lutherischen Wahrheit anführen. Nur ist es Schade, daß dieser abtrünnige Patriarch ein Liebhaber der jüdischen Beschneidung gewesen. Ferner wird jedermann hier leicht anmerken, daß alle Gemeinde, die sich von der Gemeinschaft des römischen Stuhles abgerissen, über kurz oder über lang also zerfallen, daß eine jede aus ihnen anheut kaum den Schatten einer christlichen Kirche vorstellet.

Sæcul. XII.
A. C. 1191.

§. XXXIII.

Pugna ad Arſuph.

Poſt Regis Philippi abitum, Saladinus ad oppidum *Arſuph*, quod noſtri Scriptores *Aſſur* nominant, inſtructa acie Regem Richardum aggreſſus eſt, qui licet viribus inferior prœlio vicit & ferocem profligavit, Sabbato die decima Septembris. Hujus victoriæ datis literis certiorem fecit Rex Abbatem Claræval-lenſem, adjiciens, ſe in Syria haud diutius quam usque ad Paſcha commorari poſſe, Ducem autem Burgundiæ, Campaniæ Comitem, ceterosque Crucigeros, niſi ſuccurrerent Occidentis populi, ferendis hoſtium aſſultibus haud ſane pares futuros. *Quare*, ſubjungit Richardus Rex: *Sanctitatem tuam, flexis genibus, oro; Principes, Nobiles, populos, totumque Chriſtianum orbem hortare: veniant poſt Paſcha armati ad defendendam Hæreditatem Domini, omnes, inquam, excita, ſicut nos ad hanc expeditionem ſuſcipiendam provocaſti.* Hæc Epiſtola Jafæ prima Octobris data eſt. Abbas vero Claræval-lenſis, ad quem dirigitur, tunc erat Garnerius, olim Abbas Monaſterii *d'Auberive*, anno ſequente milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo, Epiſcopus Lingonenſis electus.

Vie Salad. M. S. Rog. p. 698.

Chro. Claræval. an. 1186. & 1192

Com-

Sæcul. XII. A.C. 1191.

Complures ex Crucigeris dignitate conſpicuos in hac expeditione Regis Angliæ tam in obſidione Acriæ, quam poſtea, mors abſtulit, videlicet, Sibillam Reginam Hieroſolymæ, Guidonis Luſignani uxorem, Heraclium Patriarcham Hieroſolymitanum, Balduinum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Theodoricum Archiepiſcopum Veſuntinum, pluresque alios Præſules ac magnum Optimatum numerum. Heraclius Titulum Patriarchæ Hieroſolymitani annis undecim geſſerat, eique Cœleſtinus III. Papa Albertum Eremitam, Epiſcopum *Bethlehem*, ſubrogavit, Petri Eremitæ, primæ ſacræ expeditionis auctoris pronepotem, qui Concilio Lateranenſi anno milleſimo centeſimo octogeſimo nono interfuerat. Theodoricus *de Montfaucon* Archiepiſcopus Veſuntinus, Fridericum Imperatorem in profectione ſacra ſecutus, peſte correptus, vigeſima tertia Novembris anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo occubuit.

Rog. p. 685. *Jo Brompt. p.* 1191.

Sup. Lib. LXXIII. §. 18.

Auct. Aquicinct. an. 1191. *Guil. Tyr.* 21. *c.* 26. *Gall. Chron. to.* 1. *p.* 117.

§. XXXIV.

Obitus Balduini Archiepiſcopi Cantuarienſis.

Gervas. p. 1566. 1569.

Balduinus Archiepiſcopus Cantuarienſis in obſidione Urbis Acriæ anno ſuperiore decima nona Novembris exceſſit e vita

evita, postquam Ecclesiæ suæ annis ferme sex præfuisset, quo toto tempore inter ipsum & Monachos Ecclesiæ Christi, Cathedralis suæ, jurgia fervebant, occasione novi Collegii, ex consilio Henrici Regis instituendi, ut Jus eligendi Archiepiscopum a monachis ad Canonicos transferretur. Hos enim magis sibi obnoxios habiturum quam monachos Rex sperabat. Tabulæ Fundationis Hakintonii conscriptæ, Ecclesia ædificata, S. Thomæ honori dedicata, & non nulli Canonici in possessionem missi. Verum urgentibus Monachis Urbanus Papa III. omnia nulla declaravit, quin etiam muros recentes dirui jussit. Optata se impetraturum a Gregorio VIII. Urbani Successore credidit Archiepiscopus, alteramque Fundationem Lamethi ad Tamisim prope Londinum molitus est; quam rem perficere fatum non expectatum non permisit. Haud exiguum librorum numerum Balduinus ad posteros transmisit, ex quibus sequentes typis vulgati sunt: Tractatus sexdecim, seu Sermones de variis Argumentis, unus Liber de Fide, seu de Sancto Sacramento Altaris, Bartholomæo Episcopo Oxoniensi tunc Mæcenati suo inscriptus. In his vero Operibus, quod plerorumque Scriptorum illius ævi vitium est, loci communes, sensus Scripturæ allegorici & arbitrarii, sermones

Sæcul. XII. A. C. 1191.

Sup. Lib. LXXIII. n. Godouin. de Præs. Angl.

Bibl. Cisterc. to. 5. init.

Sæcul. XII. A.C. 1191.

mones vagi & insipidi occurrunt, ita ut Lectores nec dulce nec utile in iis inveniant.

Gervas Chron. p. 1569.

Richardo Regi Messanæ agenti literæ redditæ sunt, quibus obitus Balduini Archiepiscopi nunciabatur. Inde ergo datis ad Capitulum Cantuariense literis, Monachos rogavit, ut Guilielmum, Archiepiscopum Montisregalis in Sicilia in Archiepiscopum suum eligerent. At illi, rejecto viro alienigena & sibi ignoto, excusarunt, quod eum eligere non possent, donec certiora de morte Balduini percepissent. Postmodum cum alterum mandatum a Rege accepissent, congregati monachi vigesima septima Novembris Renaldum Episcopum Bathonienſem, cognomento *Fitz* Jocelinum, quod Jocelini Episcopi Saresberiensis filius esset, Archiepiscopum Cantuariensem elegerunt. Qua electione confirmata, Pontifex ei Pallium misit. Sed interim Renaldus in morbum incidit, & extrema sibi imminere sentiens, sumto habitu Monastico, titulo Ecclesiæ Cantuariensis, altera post Natalem Domini die, vigesima sexta Decembris, eodem anno millesimo centesimo nonagesimo primo, e vivis abiit.

Id. p. 1579. Rog. p. 712.

§. XXXV.

Sæcul. XII.
A.C. 1191.

§. XXXV.

Episcopus Elienſis ex Anglia pulſus.

Richardo Rege abſente, graves turbæ in Anglia exortæ. Nam duo ejus fratres, Joannes Comes Moretonii * & Godefridus Archiepiſcopus Eboracenſis, violato juramento, quod ediderant, ſe in Ditionibus ultra mare poſitis commoraturos, in Angliam reverſi factionem validam excitarunt contra Guilielmum Epiſcopum Elienſem, Regni Cancellarium, Sacræ Sedis Legatum, cui præcipueRex res gerendi poteſtatem & auctoritatem crediderat; hoc enim viro ad reprimenda eorum molimina utebatur. Ceterum Archiepiſcopus Eboracenſis, cum mandata a Summo Pontifice obtinuiſſet, effecerat, ut Turone a Bartholomæo Archiepiſcopo, ſex ejus Suffraganeis & Epiſcopo Bajocenſi aſſiſtentibus, die Dominica, decima octava Auguſti in Eccleſia Metropolitica S. Mauritii conſecraretur, fruſtra repugnantibus Clericis & Suffraganeis Cantuarienſis Eccleſiæ, & affirmantibus, Archiepiſcopum Eboracenſem a nullo alio quam a ſuo Archiepiſcopo ordinari debere. Unde, cum Godefridus in Angliam die decima quarta Septembris appuliſſet, jubente Epiſcopo Elienſi Dubri com-

Rog. p. 708.

* Mortain.

Radev. Dic. p. 663.

Gervas. p. 1571.

Sæcul. XII. A.C.1191.

comprehensus, per plateas turpiter raptatus & in carcerem conjectus est.

Captivum Moretonii Comes ejus frater liberavit, ac captata occasione, quod tanta Archipræsuli illata esset injuria, Episcopos Principesque Angliæ, jam ante Episcopo Elienſi, auctoritate sua invidiose utenti, infestos, acerrime concitavit. Inter hæc Gualterius Archiepiscopus Rotomagensis in Angliam vigesima septima Aprilis reversus erat, cum epistola Richardi Regis, in qua Episcopo Elienſi aliisque, quibus curam Regni commiserat, præcipiebat, ut Gualterium omnium consiliorum ad Rempublicam pertinentium participem facerent. Ut Regiis mandatis satisfieret, Comite Moretonii auctore, Londini, die Martis, octava Octobris, Conventus celebratus, cui duo Archiepiscopi Rotomagensis & Eboracensis, omnes ferme Episcopi, atque inter alios S. Hugo Lincolnienſis, & Comites Angliæ interfuerunt. In eo autem, Cancellario Episcopo Elienſi, a Regimine Reipublicæ communi consensu deposito, Archiepiscopus Rotomagensis subrogatus est, qui nihil agere, nisi ex consilio virorum, sibi a Rege ad res gerendas adjunctorum, constituit. Cancellarius cedere tempori coactus, Turrim Londinensem, quo se receperat, tradidit, promittens se prius Regno non ex-

Radulf. p. 659.

Id. p. 664. Rog. p. 701.

cessu-

cessurum, quam etiam alia munimenta, quæ in ipsius erant potestate, dedidisset. Nihilominus, cum Dubri e portu solvere, sub muliebri veste latens, pararet, proditus & custodiæ datus est. Episcopis deinde faventibus in libertatem assertus, in Franciam trajecit, ubi Parisiis ab Episcopo Clericisque solemni pompa procedentibus exceptus est, a quibus, datis sexaginta argenti marcis, honorem istum impetravit. Inde Guilielmus in Normanniam digressus, Legatis ad Cœlestinum Papam missis, contra Comitem Mortaniæ consciosque actionem movit. Sæcul. XII. A.C. 1191. *Jo. Brompt. p. 1226.*

§. XXXVI.

Actio Romæ contra Episcopum Eliensem.

Sed ejus Adversarii quoque Nuncios Romam miserunt, & Hugo Episcopus Coventrienſis, edito Libello, omnium conjuratorum querelas contra Cancellarium exposuit, quas exaggeravit, & scomatice ejus depositionem, fugam, ac denique, quibus adjunctis ejus sexus Dubri deprehensus fuerit, verbis, quæ honeste non proferantur, retulit. In fine petiit, ut Ecclesia Romana ob tam gravium erratorum pœnas exigat, & Rex Angliæ Regno suo viros idoneos præficiat. Verum Papa majorem rationem *Rog. p. 702.*

Sæcul. XII. A. C. 1191.

habuit eorum, quæ Cancellarius, Legatus ſuus, perſcripſerat, deditque ad Epiſcopos Angliæ epiſtolam, in qua dicit:

Id p. 706. Cæleſt. ep. 1. *Cum dilectus in Chriſto filius noſter Richardus Rex propter honorem Dei abſens ſit, jura Regni ipſius conſervare debemus. Itaque quia compertum habemus, Joannem Comitem Moretonii & quosdam alios jura Regni & Venerabilis Fratris noſtri Guilielmi Epiſcopi Elienſis, Sacræ Sedis Legati, temere violaſſe, vobis in virtute obedientiæ præcipimus, ut, ſi quidem ita eſt, conveniatis, & Comitem, ejusque conſcios Fautores & Conſiliarios vinculo excommunicationis adſtrictos publice, accenſis candelis, & pulſatis campanis denuncietis, quod manus violentas in Epiſcopum injecerint, eum in carcere tenuerint, aut præfecturam Regni a Rege conſtitutam mutare præſumſerint. In terris reorum & conſciorum omnia Officia Divina celebrari probibete, donec ad Sacram Sedem veniant, a nobis abſolvendi, afferantque Guilielmi Legati & veſtras literas teſtantes, ipſum libertati & Regnum pri-*

Rog. p. 770. *ſtino ſtatui eſſe reſtitutum.* Hanc epiſtolam die ſecunda Decembris anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo datam Epiſcopus Elienſis S. Hugoni Epiſcopo Lincolnienſi transmiſit, ut, quæ Pontifex in ea mandabat, exequeretur. Sed in Anglia nulla hujus Epiſtolæ Papalis ratio

tio habita, nec etiam alterius ſcriptæ ab Epiſcopo Elienſi, quem nec Sedis Apoſtolicæ Legatum nec Regni Cancellarium amplius venerabantur. Sæcul. XII. A.C. 1192.

Interim Archiepiſcopus Rotomagenſis Romam Legatos miſerat, qui anno ſequente milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo ei reſcripſerunt in hunc modum: *Silentio præterimus pericula & labores itineris. Poſtquam vero ſtructas nobis inſidias ſæpius evaſimus, tandem incidimus in graſſatores, qui nos rebus omnibus, exceptis equis & literis ſpoliarunt; atque ita omni pecunia deſtituti pervenimus in Urbem, in qua ſumtus maximi faciendi ſunt. Agebatur dies undecima Februarii, Curia autem Romana in Baſilica S. Petri diverſabatur. Vidimus ibi Cancellarii Legatos, feroces, & ſucceſſu rerum ſuarum elatos; reditum enim parabant, poſtquam effeciſſent, ut Papa Domini ſui Legationem in Anglia confirmaret, datis Bullis, quibus jam erant ſigilla appoſita. Papam vero, ubi in conſpectum admiſſi ſumus, omnesque illos, quorum conſilio utebatur, Cancellarii cauſæ omnino faventes intelleximus; nihilominus poſtquam advenimus, Bullas ejus Nunciis tradere Pontifex diſtulit.* *Rog. p. 718. Jo. Brompt. p. 1232.*

Ad Curiam igitur introducti Papæ, omnibusque Cardinalibus tuas, Epiſcoporum, aliorumque Præſulum, & Optimatum

Sæcul. XII. A.C. 1192.

matum Angliæ literas obtulimus, adjicientes, quæ mandatis tuis consentanea existimavimus, & postquam Episcopi Eliensis Nuncii responsa sua & objecta contra nos protulissent, Papa indignanter & fastidiose contra causam tuam longam orationem exorsus est. Scimus, inquiebat, Regem Angliæ præfecturam totius Regni soli Episcopo Eliensi commisisse, nec alterum ei vel superiorem vel æqualem dedisse. Inspeximus Regis epistolas, alias vero, quibus priora mandata abrogaret, non vidimus. Fateor quidem, quod complures viri venerabiles adversus Cancellarium apud nos querelas datis literis moveant; contra autem literas etiam ei faventes ab aliis viris spectatæ auctoritatis accepimus. Quas vero vos attulistis, ab iis sunt, qui Legatum Sedis Apostolicæ expulerunt; non mirum igitur, quod propriæ suæ causæ faveant. Præterea non ignoramus, Regem nulli unquam hominum tanta amicitiæ sinceræ pignora dedisse, aut tam eximios honores exhibuisse, præterquam Episcopo Eliensi. Quippe non satis Richardo fuit, pinguissimam Ecclesiam Eliensem, Cancellarii dignitatem & Præsidis, se absente, potestatem huic Episcopo conferre, sed etiam a Clemente Papa piissimæ memoriæ & a nobis petiit, ut eum Sacræ Sedis Legatione muniremus; quod instantissime

Turbæ in Anglia.

tissime flagitanti concessimus. Quamobrem credere non possumus, nisi ejus literas & sigillum videamus, tam subito Regis gratiam amisisse virum usque adeo prius amatum, nec, nisi nobismetipsis adversari & repugnare velimus, Episcopi Eliensis Legationem, quam ei, a Rege & omnibus Angliæ Episcopis rogati, contulimus, vel suspendere vel tollere possumus. Tenemus Episcoporum, & Domini vestri Archiepiscopi Rotomagensis, literas, quibus Cancellarium Episcopum Eliensem Legatione Apostolica exornari poscunt. Donec felix fuit Episcopus iste, laudabatur ab omnibus; nulla Ecclesia, nullum monasterium, privatorum nemo querebatur, aut virum iniquæ exactionis accusabat, nunc vero, dum adversam fortunam patitur, omnes in perculsum declamant.

Sæcul. XII. A. C. 1192.

Maximi sane ponderis cunctis videbantur argumenta, exposita a Pontifice, qui majorem se non habet, a Papa & supremo Judice, cujus voluntati nemo resistit. Illud quoque non nulli contra causam tuam pugnare credebant, quod Rex rediens Papam rogaverit, ut tibi Legati potestatem in Normanniam aliasque transmarinas provincias daret. Nemini enim verisimile videbatur, voluisse Regem tibi Præfecturam in Anglia & Legationem in Normannia conferri, cum nemo in alia pro-

Sæcul. XII. A.C. 1192.

vincia residens in alia tam sublime munus obire queat. Tandem Papa, tum nostris, tum quorumdam Cardinalium, quos in partes tuas pertraxeramus, precibus utcunque mitigatus, cum omnium Cardinalium præsentium sententiam requisiisset, & diu fuisset deliberatum, sententiam protulit, qua Cancellarium a tuis censuris absolvit, & vicissim censuram Cancellarii in te latam nullam declaravit. Præterea ei injunxit, ut objecta de vi Archiepiscopo Eboracensi illata dilueret. Ceterum eidem Cancellario Legati potestatem non ademit, sed restrinxit, prohibuitque, ne Sententiam Interdicti, Suspensionis, aut Excommunicationis in te, in Episcopos, in Præfectos, aut Optimates Angliæ denunciet.

His subjunxit Papa: quod, utriusque Partis consensu, in Angliam missurus esset Viros paci inter te & Cancellarium reducendæ, vel saltem animis demulcendis idoneos. Ceterum speramus, nos effecturos, ut epistolæ Papæ ad omnes Angliæ Episcopos directæ, quibus acceptis, Cancellarius te pluresque alios Excommunicatos denunciavit, abrogentur; qua de re cum in Consistorio præsentibus omnibus quereremur, & epistolæ illæ lectæ fuissent, Pontifex aperte reclamavit, affirmans, se inscio scriptas esse. Idem profitebantur, admirantibus similes Cardinales.

nales. Obstrepentibus vero Cancellarii nunciis Papa non respondit. Sed illa nocte Papam adeunt, exprobrant, quod publice a se factum publice negasset, memorant, quot obsequia ei Dominus ipsorum Cancellarius præstitisset, & per honorem Ecclesiæ Romanæ ac proprii nominis gloriam obtestantur, ut testimonium præberet veritati. His monitis expugnatus Papa altera die in Consistorio, Cardinalibus, Clericis populoque præsentibus dixit: Fratres mei! confiteor, quod in Episcopum Elienſem ejusque Nuncios graviter peccaverim. Nam in memoriam rediit, quod epistolæ, quibus sententiam excommunicationis in Comitem Moretonii, Archiepiscopum Rotomagensem ipsorumque conscios confirmavi, meo jussu missæ fuerint; eas hodieque confirmo, voloque, ut, quibus imperatum est, injuncta exequantur. Talis est epistola, quam Legati ipsius ad Archiepiscopum Rotomagensem dederunt.

Sæcul. XII. A.C. 1192.

§. XXXVII.

Legati in Normannia non recipiuntur.

Itaque Cœlestinus Papa hoc anno millesimo centesimo nonagesimo secundo duos Cardinales, Sacræ Sedis Legatos, Octavianum Episcopum Ostiensem, & Jordanum Abbatem Fossæ novæ, Presbyterum tituli S. Anastasiæ, in Normanniam

Reg. p. 720. Jo. Bromt. p. 1238.

Sæcul. XII. A.C.1192.

niam misit, causam inter Cancellarium Guilielmum Episcopum Elienſem & Gualterium Episcopum Rotomagenſem composituros. Sed ecce, cum ad urbem Gisortium perveniſſent, Equites arcis præsidiarii, & cives, jubente Normanniæ Prætore, intraturis clausas portas objecerunt, quod dicerent, Regem Richardum a pia peregrinatione necdum rediiſſe, & abeuntem Legatos Sacræ Sedis se absente recipiendi licentiam non dediſſe, quamvis tutelæ Summi Pontificis omnes suas Ditiones commisiſſet. Respondebant Cardinales, ad pacem reducendam se veniſſe; sed nec preces profuere nec minæ, quippe armatorum vi ad viam, qua venerant, relegendam compulsi sunt. Cardinalis Octavianus Normanniam Interdicto adstrinxit, & Prætorem excommunicationis sententia feriit, at Cardinalis Jordanus, Richardi Regis amantiſſimus, nullam Censuram protulit. Cum hæc in Angliam delata fuiſſent, Regina Eleonora, Joannes Comes, Archiepiscopus Rotomagenſis, aliique Reipublicæ Præfecti, Hugonem Episcopum Dunelmenſem in Normanniam mittunt, qui Censuras aboleri, & congruum honorem Legatis exhiberi curaret. Hugo itaque in Franciam devectus Lutetiam venit, ubi cum Cardinales habuiſſet, exasperatorum animos delinivit,

vit, multoque labore & industria effecit, ut promitterent, Episcopum Ostiensem reos a Censura Ecclesiastica absoluturum, posita conditione, si Prætor, consciique, jurarent, se se Ecclesiæ Judicio subjecturos esse, in causa injuriæ Cardinalibus illatæ, & ille permitteret, eos libere Rotomagum pergere non ut Cardinales, sed ut advenas & extraneos, adjecta & alia conditione, ut nempe Clerici Normanniæ proficiscentibus sumtus ad decem dies, quinquaginta viris & equis quadraginta sustentandis necessarios, suppeditarent. His pactis condicebant, se pacem inituros, Episcopo Dunelmensi & Decano Rotomagensi arbitris. Verum quia Prætor eo adduci non potuit, ut Legatos, sine Regis licentia, Normanniam attingere pateretur, non sublatis Censuris reversi sunt, quamvis eos Episcopus Dunelmensis Veselium usque obsequii causa comitaretur. At Papa Cardinales Interdictum solvere jussit, ac pedem in Normanniam inferre vetuit. Sæcul. XII. A. C. 1192.

§. XXXVIII.

S. Albertus Episcopus Leodiensis.

Rudolphus Episcopus Leodiensis a sacra profectione reversus, cum propediem in domum suam perventurus esset, quinta Augusti, anno millesimo centesimo nonagesimo primo, veneno necatus est. *Ægyd. de Episc. Leod. c. 56. &c.*

Sæcul. XII. A. C. 1192. In electione Succeſſoris diviſa fuere ſuffragia, plerisque Albertum Lovanienſem, primum Leodienſis Eccleſiæ Archidiaconum, Henrici Ducis Lotharingiæ & Lovanii fratrem, aliis, factione Balduini Comitis Namurcenſis impulſis, alterum Albertum, Comitis Retelii fratrem, etiam Archidiaconum Leodienſem, eligentibus, virum & literis & ingenio deſtitutum, cui nobiles Natales pro meritis erant. Ambo Imperatorem Henricum adierunt, Inveſtituram impetraturi. Sed ille, qui Epiſcopatum iſtum tertio deſtinaverat, & odio inveterato in Ducem Lotharingiæ flagrans, affirmavit, diſſidentibus Canonicis electionem eſſe nullam, & tunc ſibi ſoli competere Epiſcopum nominare. Itaque Eccleſiæ Leodienſis Inveſtituram Lothario Bonenſis Eccleſiæ Præpoſito contulit, viro opulento, jam ante plures Dignitates Eccleſiaſticas conſecuto, fratri Comitis Horſtadienſis, qui præclara Imperatori præſtiterat obſequia. Canonici ad Papam appellarunt, quippe aſſerebant, electionem Alberti Lovanienſis eſſe Canonicam; ſed Lotharius Leodium veniens & Epiſcopatus & arcium munitarum poſſeſſionem cepit.

c. 59.

c. 60.

Albertus vero Romam profectus eſt, ſuperatis multis impedimentis, nam Imperator omnes aditus obſideri juſſerat.

Quare

Quare per vias obliquas iter faciens, servi vestem indutus tandem in isto habitu Pontifici sistitur; qui lacrymas non tenens, ad genua accedentem amplexus & solatus est, jam antea fama sibi notissimum. Romam pervenerat Albertus ad Festum Paschæ, illo anno millesimo centesimo nonagesimo secundo in diem quintam Aprilis incidens, ibique usque ad octavam Pentecostes commoratus est. Argumenta produxit, quibus electio peracta Canonica fuisse probabatur, non nullis tamen Cardinalium censentibus, Germanorum ferocitati & implacabili Imperatoris odio cedendum esse. Tandem Papa, præstituta ad vulgandam sententiam die, in Palatio Lateranensi electionem de Alberto peractam Canonicam publice declaravit & confirmavit, ipsum Cardinalem creavit, & Diaconum Sabbato quatuor temporum ante Pentecosten ordinatum, Evangelium ad Missam cantare jussit. Tum omnes Bullas necessarias ei tradi præcepit, ac inter alias mandatum, vi cujus a Guilielmo Archiepiscopo Remensi consecrari posset, si Bruno Archiepiscopus Colonienſis, ejus Metropolita, iram Imperatoris metuens, manus ipsi imponere recusaret. Has vero literas omnes, jubente Papa, sine ullo dato pretio accepit.

Sæcul. XII. A.C. 1192.

§. 62.

Alber-

Sæcul. XII. A.C. 1192.

Albertum, ubi Remos pervenit, Guilielmus Archiepiscopus omni honoris genere coluit, Presbyterum Sabbato quatuor temporum, mense Septembri, ordinavit, & die Dominica sequente, vigesima tertia ejusdem Mensis, Episcopum Leodiensem consecravit. Altera die literæ afferuntur, Imperatorem Leodii versari, iram vindictamque coquere, ac omnibus qui Episcopo Alberto favere auderent, exitium minari. Dux quidem Ardennensis Silvæ, Præsulis patruus, qui eum Remos perduxerat, suadebat; vim vi repelleret, contractis amicorum auxiliis. Sed Albertus id penitus rejiciebat, professus, nunquam se consensurum, ut armis & sanguine via sibi ad Episcopatum aperiretur. Sperare se, quod Imperatoris animum humilitate & patientia conciliaturus esset. Haud multo post Remos adveniunt tres Germani ordinis Equestris, & quinque Nobiles, se exortis rixis a Curia & societate Imperatoris ejectos simulantes. Hi ad Episcopum Leodiensem salutandum in ejus conspectum admittuntur, paulopost in amicitiam quoque ob singularem morum humanitatem recipiuntur, Episcopum procedentem comitantur, sæpe ad convivium invitantur. Nec deerant, quibus suboleret, pessimo consilio advenisse hos Germanos, verum S. Episcopo nullus malum

c. 62.

c. 67.

malum aliquod ſuſpicandi locus eſſe videbatur. Tandem vero cum incautum quadam die quaſi ambulandi & liberiorem aërem captandi cauſa extra civitatem deduxiſſent, nemine niſi Canonico uno & equeſtri viro Epiſcopum comitantibus, ubi paſſus ferme quingentos exceſſerant, duo illi, qui utrumque latus ſtipabant, Præſulis tempora nudatis mucronibus transverberant, ceterique latrones gladiis & ſicis, plus quam ad mortem opus erat, ex equo collabentem conficiunt, quippe, qui corpus occiſi deinde explorarunt, plagas tredecim graviſſimas adactas deprehenderunt. Latrones, ſubditis equis calcaribus, noctis ingruentis beneficio uſi; Virdunum hora ferme nona matutina pervenerunt, unde ad Imperatorem regreſſi, amico vultu excepti ſunt (*).

Sæcul. XII. A.C. 1192. c. 83.

Alber-

(*) In Palatio, ad Henricum VI. Aſperum hæc leguntur: *Fama namque de obitu Friderici allata, Philippus Archiepiſcopus Colonienſis, Albertus Leodienſis Antiſtes, alii Germaniæ & Burgundiæ, rerum movendarum cupidi de Henrico abdicando agitabant. Verum poſtquam Leodienſem truculentius ceteris agentem apud Remos obtruncatum viderunt, inclinantibus etiam in Henricum Italorum animis, venia petita, ſe ad eum contulerunt.*

Sæcul. XII. A.C. 1192.

c. 86.

Albertus Episcopus die Martis, vigesima quarta Novembris, anno millesimo centesimo nonagesimo secundo, ita trucidatus, in Ecclesia Metropolitica Remis solemni pompa sepultus est. Post mortem, ut Martyr ob defensam libertatem Ecclesiasticam honoratus, atque in adjuncto Epitaphio hoc Titulo decoratus est. Non nulla ad ejus tumulum edita miracula referuntur. Tandem vero elapsis annis plus quam quadringentis, videlicet anno millesimo sexcentesimo duodecimo, Albertus Archidux & Infans Isabella ejus conjux, consentiente Rege Ludovico XIII. licentia a Cardinale Guisio Archiepiscopo Remensi impetrata, eductum S. Alberti corpus solemni supplicatione in Carmelitarum Ecclesiam, quam ante breve temporis spatium Bruxellis condiderant, transtulerunt. Ejus memoria in Martyrologio Romano vigesima prima mensis Novembris agitur.

Marlot. to. 2. p. 431.

§. XXXIX.

Stephanus Episcopus Tornacensis.

vit. per Cl. du Molinet.

Eberhardo Avennensi Episcopo Tornacensi, anno millesimo centesimo nonagesimo primo, fatis functo, subrogatus est Petrus, Ecclesiæ Parisiensis Cancellarius, Doctor celeberrimus, quod factum Guilielmo Archiepiscopo Remensi, Ecclesiæ Tornacensis Metropolitano,

tano, &, abſente Rege Philippo Auguſto, Regni Præfecto minime probabatur. Hinc Stephanus Abbas S. Genovevæ Pariſiis, qui Guilielmo ab intimis conſiliis erat, datis literis Petrum Cantorem commendavit, & quia Canonici Tornacenſes in Electionis forma erraſſe dicebantur, affirmabat, hanc culpam Petro abſenti & neſcienti nocere non poſſe. Subjunxit, Regem diſerte præcepiſſe, ut Petrus Epiſcopus Tornacenſis eligeretur, additque: *Proinde timendum, ne ſi is rejiciatur, Philippus, & Rex & juvenis, in majus malum prorumpat.*

Sæcul. XII. A.C. 1192.

ep. 175.

Tam procul autem abfuit, ut Archiepiſcopus Remenſis argumentis, a Stephano Abbate allatis, moveretur, ut ſuaſerit Canonicis, eum ipſum eligerent ſibi Epiſcopum. Cui conſilio omnes applauſerunt, ſolo Stephano vehementer in admirationem rapto, ubi ſe electum eſſe certior factus eſt. Id profitetur in epiſtola ad Bartholomæum Vindocinenſem Archiepiſcopum Turonenſem data, ubi ſubjungit, conſtituiſſe ſe animo, ad Feſta Paſchalia ad Eccleſiam, quæ ſe vocaret, pergere, ut in die octava (agebatur vero annus milleſimus centeſimus nonageſimus ſecundus) conſecraretur. Cœleſtino Papæ hæc electio non probabatur; ſed cum ei Stephanus epiſtolam demiſſiſſima oratione ſcripſiſſet, acquievit

Ep. 177.

Ep. 179.

Sæcul. XII. A. C. 1192.

vit Pontifex. Itaque Stephanus, Tornacensi Ecclesiæ præfectus, eam annis undecim rexit.

Annum ætatis suæ agebat quinquagesimum septimum, cum ad Episcopatum vocatus fuit. Natus enim erat Aureliani anno millesimo centesimo trigesimo quinto, ubi literarum Rudimentis in Schola Ecclesiæ Cathedralis imbutus, Carnoti deinde severioribus Disciplinis operam dedit. Cumque natura ita comparatus esset, ut nullius rei amore magis quam sciendi desiderio teneretur, doctrinæ singularis laude ævo suo ita floruit, ut nemo magis. Prosa & carmine elegantissime scribebat, pro genio sui Sæculi, cui trivialis versificatio & inanes vocabulorum lusus placebant. Institutum Canonicorum Regularium amplexus est, secundum Reformationem S. Eguwerti Aureliani, anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo invectam; cumque S. Thomas Cantuariensis, tunc in Francia degens, viri merita cognovisset, eum intimorum amicorum numero adscripsit. Stephanum, postea Abbatem S. Eguwerti electum, cum hoc Monasterium regeret, & Mauritium Episcopum Parisiensem consuluit Pontius Episcopus Claromontanus; quid dicendum de valore Baptismi collati his verbis: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,*

Vita Stephani Tornacensis.

Ap. Steph. ep. 3.

Sancti, si baptizans omittat verba: *Ego te baptizo*, sed infantem in aquam immergat. Mauritius Episcopus respondit, nullum esse hujusmodi Baptismum, sed aliter baptizandum esse talem parvulum. Verum Stephano Abbati alia stetit sententia. Asserebat, in Baptismi Institutione Jesum Christum non dixisse: *Ite, baptizate, dicentes: Ego te baptizo* & reliqua. Atque Baptismum, cum tribus immersionibus ac invocatione Trinitatis collatum, non debere declarari nullum. Id confirmabat auctoritate complurium SS. Patrum, qui hoc moti argumento etiam Hæreticorum Baptismum recepissent. *Nihilominus*, ajebat, *maxime revereor formulam consuetam, Ego te baptizo, eamque ad Solemnitatem Baptismi non autem ad substantiam pertinere existimo. Secus illos damnabimus, quos Laici in casu necessitatis baptizant, nihil enim aliud, cum parvulos immergunt, dicunt, nisi: En nome Patres & Files, & Espirites Santes.* Ex his & ex epistola Pontii Episcopi videmus, Fideles voce *ondoyer abluere* seu *immergere* ad significandum Baptismum, sine cæremoniis Ecclesiasticis collatum, jam illa ætate usos fuisse. Tandem inferebat Stephanus, hujusmodi parvulum valide esse baptizatum, suam autem sententiam modestissime exponit, & magnam reve-

Sæcul. XII. A.C. 1192.

Ep. 4.

Ep. 5.

Sæcul. XII A. C. 1192.

rentiam Episcopi Parisiensis, qui contrarium definierat, profitetur. Exinde Alexander III. Papa juxta mentem Episcopi Parisiensis pronunciavit, atque Theologi, hanc Decisionem secuti, docuerunt, hæc verba: *Ego te baptizo*, ad manifestandam Ministri intentionem & Baptismum ab omni alia ablutione discernendum esse necessaria (*).

C. 1. ext. de Bapt. S. Tom. 3. part 9. 66. ar. 5. ad 2.

Anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, Stephanus Parisiis S. Genovevæ Abbas eligitur, Canonicis S. Eguwerti Aureliani amare lugentibus, qui etiam discedenti annuam pensionem ex quibusdam agris suis accipiendam concesserunt. In Monasterio S. Genovevæ præ-

(*) Etsi Stephani Abbatis opinio, sistendo in Theoria, sua probabilitate non carere videatur, cum omissis verbis: *Ego te baptizo*, simpliciter tamen fiat, quod Christus Dominus præcepit, nam Intentio Ministri ex ipsa actione, qua hominem præsentem abluit, si ex adjunctis circumstantes baptizantem serio & modo humano agere credant, manifestatur, & Baptismus per verba ab abluente simul prolata: *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti* ab omni alia ablutione satis distinguitur, nihilominus sine dubio gravissime peccarent, qui practice contra Decreta Summorum Pontificum & universalem Ecclesiæ consuetudinem memorata verba omittere auderent.

præter ſcholas exteriores, quæ aderant, alias intra clauſtra inſtituit, ne occaſio, & commercium cum diſcipulis ſæcularibus monachos corrumperet. Ceterum Abbatiam S. Genovevæ, ex ruinis poſt latrocinia Normannorum, Lutetiam obſidentium, ab annis trecentis necdum ex toto reparatam, Stephanus in integrum reſtituit, Eccleſiam ædificavit, qualem hodieque conſpicimus, & clauſtra virorum Religioſorum, ita ut ſecundus Conditor monaſterii celeberrimi, cujus opes non parum auxit, haberi poſſit. Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo Stephanus ſecutus eſt Gualterium Cardinalem, Epiſcopum Albanenſem, in Occitaniam proficiſcentem, quem Rogerius *de Bediers*, Albigenſium Fautor, cepit.

Sæcul. XII. A. C. 1192.

Sup. lib. LIII. §. 54.

v. ep. 148.

Ep 173. Roger. Hov. p. 575.

Sup. Lib. LXXII.

Philippus Auguſtus Rex Stephanum Abbatem, quem maximi æſtimabat, aliquando ad Summum Pontificem miſit, graviſſimi momenti cauſam pertractaturum. Anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſeptimo eumdem præter alios patrinum filii ſui & ſucceſſoris Ludovici eſſe voluit. Philippo Auguſto ultra mare militante, Regis Conſanguineus, Guilielmus Archiepiſcopus Remenſis, Regni Moderator, Stephanum Abbatem, cujus dotes & experientia perſpectæ ipſi erant, ad conſilium in rebus gerendis adhibuit.

Sæcul. XII. A.C. 1192. Talis erat hic Abbas, cum ad Eccleſiam Tornacenſem regendam vocatus eſt.

§. XL.

Ordo Viardinorum.

Mem. M. S. Sub idem Tempus Ordo Viardinorum ſeu *Vallis Olerum* inſtitutus. In Cartuſia Luviniacenſi, Diœceſis Lingonenſis, anno milleſimo centeſimo octogeſimo octavo quidam Frater converſus, nomine *Viard*, qui, ad vitæ rationem magis auſteram, ac ea erat, quam in ſuo monaſterio ſervabat, & a curis rerum temporalium magis liberam, a Deo vocari ſe ſentiens, impetrata Præpoſitorum ſuorum licentia, in ſilvam, duas leucas Luviniaco diſtantem, ſe recepit, ubi aliquamdiu in horrido ſpecu abſconditus ſingularem rigorem in ſe ipſum exercuit. Poſtea vero a vicinæ regionis populo inventus eſt, virique fama usque ad aures Ducis Burgundiæ pervenit, qui ſæpe ad eum inviſit. Cumque aliquando Dux, imminente hoſtium exercitu, ad prœlium accinctus eſſet, & non temnendum periculum intueretur, Viardo pollicitus eſt, ſi commiſſa pugna victor rediret, ſe in eodem loco Monaſterium conditurum. Vicit Dux, & promiſſo ſtetit, novumque Monaſterium vetus nomen a loco, qui *Vallis olerum* vulgo dicebatur, traxit. Antiqua in illa Eccleſia Inſcriptio, Viardum

dum secunda die mensis Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, pedem primo intulisse, prodit. Sæcul. XII. A.C. 1192.

Is Discipulis suis Constitutiones Statutis Cartusiensium simillimas servandas tradidit, exinde ab Honorio III. Papa confirmatas. Qua de re Jacobus Vitriacus, illius ævi Scriptor, hunc in modum loquitur, qui in eo tamen fallebatur, quod crediderit, Viardi Discipulos Cistercienssium Institutum fuisse amplexos. *In exiguis*, inquit, *degunt cellulis, ut tranquille lectioni, orationi & contemplationi vacent. Ut curas rerum externarum amputent, nec armenta habent, nec agros, & extra septa Monasterii terminos sibi posuerunt, quos transgredi non licet. Soli Priori fas est exire, nec soli, sed aliquot Fratribus comitantibus, ad invisendum Monasteria sibi subjecta, aut aliud negotium necessarium perficiendum. Intra fines Monasterii sunt horti, arbores pomiferæ, legumina, ad quæ colendæ statutis horis exeunt, ut laboris sui fructus manducent. Sunt & alii reditus annui, quos sine magno negotio percipiunt, ne ulla res necessaria desit. Præterea ne gravi paupertate a rerum spiritualium studio avocentur, aut ad mendicandum compellantur, in quamcunque domum non plures fratres, quam commode alere possint, suscipiunt.* *Hist. Occid. c. 17.*

Sæcul. XII.
A. C. 1192.

§. XLI.
Richardus Rex a Duce Auſtriæ captus.

Rog. p. 717. Neubrig. 4. c. 29. 31. Vie. Salad. M. S.

Richardus Rex acceptis literis nuncian-tibus, quantis turbis ſe abſente Anglia jactaretur, cum Saladino quam citiſſime potuit, iniit inducias ad triennium, his pactis, ut urbes Jafa, Cæſarea, *Arſuff*, Hiffa, & Acria * in Chriſtianorum poteſtate manerent. Juravit Saladinus, manu Alcoranum tangens. Richardus vero dixit, in patria ſua a Regibus nihil præter verba, cum fidem darent, exigi. Itaque Muſulmanni dexteram, quam porrigebat, amplexi, nullum alium ritum petierunt. Tum, cum ex portu Acrienſi, die Jovis, octava menſis Octobris, anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo, ſolviſſet, devitata Apulia, ubi copiæ Cæſareæ in ſtativis erant, Dalmatiam petiturus in ſinu maris Veneti naufragium paſſus eſt. Inde per ditiones Ducis Auſtriæ, quem in obſidione urbis Acriæ acerba contumelia offenderat, iter facere coactus, quamvis Templarii habitum induiſſet, proditur, & ſiſtitur Duci, qui eum, Viennæ arctiſſimo carceri incluſum, tandem Imperatori, ipſius hoſti, tradidit (*). Richardus

* Accona.

(*) Contumelia a Rege Angliæ, ejusque militibus Leopoldo Duci Auſtriæ in Palæſtina illata,

chardus Rex itaque vigesima die Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo secundo captus, toto anno sequente ex custodia non est dimissus. Quo nuncio in Normanniam delato, Archiepiscopus Rotomagensis ejusque Suffraganei, datis ad Cœlestinum Papam literis conquesti sunt, Regem suum captum fuisse, a peregrinatione Hierosolymitana redeuntem, spretis Crucigerorum privilegiis, quæ eis singularem Sacræ Sedis tutelam & præsidium promittebant. Tum hortabantur Summum Pontificem, ut in hac causa S. Petri gladio uteretur. Epistolam hanc concinnaverat Petrus Blesensis, qui etiam suo nomine Conrado Archiepiscopo Moguntino, quocum ei vetus necessitudo, cum ambo juvenes scholas frequentarent, intercesserat, scripsit, rogans, omnibus viribus Regem Richardum e captivitate liberare contenderet. Alienora Regina, Richardi mater, ejusdem viri opera ad exarandas Epistolas, quas in eadem causa

Sæcul. XII. A.C. 1192.

Petr. Bles. ep. 64.

ep. 143.

ep. 144. *&c.*

illata, hujusmodi erat: Quod cum aliquando Crucigeri munimenta, ab Infidelibus defensa, junctis viribus assultu superassent, & Austriaci in illa murorum parte, in quam ipsi pervaserant, signa & vexilla Ducis sui fixissent, illa deinde ab Anglis eruta, & in fimetum conjecta, altera die a toto exercitu conspecta fuerint.

Sæcul. XII. A.C. 1192.

ad Summum Pontificem tres dedit, usa est. In illis Epistolis Petrus Blesensis, Reginam ita loquentem inducit: *Illud vero Ecclesia potissimum mæret, illud etiam famæ tuæ haud sane parum nocet, quod in tanta filii mei calamitate ne quidem huc usque Nuncium ad Germaniæ Principes miseris. Sæpe, nata causa minoris momenti Cardinales tui Legationem, etiam ad barbaras non nunquam nationes, obeunt; nos autem usque adeo tibi viluimus, ut nec Diaconum aut Acolythum saltem delegaveris. Nempe hodie non Ecclesiæ honor, aut populorum salus, sed lucelli spes Legatos facit.* Et

Ep. 145.

in alio loco: *Quid ad excusandam negligentiam afferre possis, non capimus, cum filium meum liberandi non potestas tibi sed voluntas desit. Nonne tibi Deus in persona S. Petri potestatem omnia Regna moderandi dedit? non Duces, non Reges, non Imperatores a Jurisdictione*

Ep. 146.

tua exemti sunt. Et iterum: *Dices, potestatem tibi in animas non in corpora fuisse commissam. Demus, quod affirmas; satis nobis erit, si animas illorum, qui carissimum filium in carcere detinent, ligaveris. Facili negotio eum in libertatem asseres, si modo non hominum magis quam Dei timor animum tuum occupet.*

§. XLII.

Sæcul. XII.
A. C. 1193.

§. XLII.

Hubertus Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Inter hæc Richardus Rex, cum ſciret, Sedem Cantuarienſem adhuc vacare, nec amplius ſperaret, Archiepiſcopum urbis Montisregalis in eam transferri poſſe, Matri ſuæ Reginæ ex carcere ſcripſit in hunc modum: *Ubi literæ iſtæ tibi fuerint redditæ, Juſtitiæ Præfectos noſtros, Epiſcopum Londinenſem, ceterosque Eccleſiæ Cantuarienſis Suffraganeos convoca; quibuscum tu ipſa ſine mora Cantuariam ad Priorem monachosque te conferes, atque efficies, ut Hubertus Epiſcopus Saresberienſis, niſi forte id jam peractum ſit, Archiepiſcopus Cantuarienſis eligatur. Perſuaſum enim mihi habeo, hujus viri ſacerdotium, Deo gratum, ad ſtabiliendam Regni pacem, & liberationem meam accelerandam fore utiliſſimum.* Ut his literis obſequerentur, Regina & Archiepiſcopus Rotomagenſis, miſſis nunciis Monachos Cantuarienſes Londini die Dominica Menſis Maji trigeſima ad eligendum Archiepiſcopum præſto eſſe juſſerunt. Idque omnes quidem executi ſunt; ſed Monachi, ut juri ſuo, quod de eligendo Archiepiſcopo ſibi ſolis competere dicebant,

Gervas. p. 1582.

Radulf. p. 669.

Sæcul. XII. A. C. 1193.

cebant, consulerent, Sabbato Hubertum elegerunt, cui sequente Dominica etiam Episcopi suffragati sunt. Hubertus, cognomento Walterus, olim Decanus Eboracensis, deinde, anno millesimo centesimo octogesimo nono, Balduino Archiepiscopo Cantuariensi, a quo unice amabatur, eum potissimum commendante, Episcopus Saresberiensis electus, ubi Sedem Cantuariensem conscendit, missis Romam Legatis Pallium petiit, atque ut monachis Cantuariensibus magis placeret, quo esset magis familiaris, Habitum eorum Regularem induit.

Gerv. p. 1679 Godwin. de præs. p. 118.

§. XLIII.

Philippus Rex Ingeburgem ducit & dimittit.

Rigord. p. 29 p. 36. 37.

Cum Philippus Augustus Rex Franciæ, amissa prima conjuge Isabella Hannoviæ, decima quinta die Martii anno millesimo centesimo nonagesimo defuncta, ex qua filium nomine Ludovicum susceperat, viduus esset, secundas nuptias cogitans, Stephano Episcopo Noviomensi in Daniam ad Canutum III. Regem misso, ejus sororem Ingeburgem sibi sponsam expetiit. Consensit lubenti animo Rex, ac Petrum Episcopum Roschildensem addito comitatu, Regia Principe digno, eam in Franciam deducere

cere jussit. Venientem Philippus Rex Ambiani, ubi eam præstolabatur, excepit, ac omnis moræ impatiens eadem die, Sabbato, decima quarta Augusti, anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, sibi de præsenti desponsatam, altera die, in Festo Ascensionis Beatæ Mariæ, a Guilielmo Archiepiscopo Remensi ejusque Suffraganeis, permultis Franciæ Principibus præsentibus, corona redimiri jussit. Ecce vero, inter illas cæremonias Rex, Ingelburgem intuens, eam aversari & horrere, trepidare, pallere & denique usque adeo turbari, ut ægre paulo ante dilectissimæ conspectum sustinere potuerit, donec ritus solemnes complerentur. Exinde non nulli de divortio mentionem injecerunt, aliis Regi suadentibus, ut horrorem, forte brevissimum, affectu contrario superare conaretur. Tum Philippus Reginam ad S. Maurum prope Parisios sibi adduci præcepit, ubi matrimonium fuisse consummatum illa deinde semper affirmavit, quod tamen factum fuisse Rex negabat, ac eam mirum in modum fastidiens æquo animo pati haud poterat, si quis ipso præsente de Regina sermonem conseereret.

Sæcul. XII. A. C. 1193.

Gesta in 3. *n.* 48. 49. 50.

Id plerique veneficorum artibus effectum crediderunt; nam formosissima & castissima erat Princeps, cujus conjugium

Sæcul. XII. A.C. 1193.

gium ut sibi obtingeret, Rex diu ante exoptaverat.

Elapsis deinde ab his nuptiis duobus mensibus & septimanis tribus, Rex cum Episcopis & Regni Principibus Compendii comitia celebravit, quibus Archiepiscopus Remensis, Sacræ Sedis Legatus præerat. Introducuntur testes, qui jurejurando affirmarunt, inter Reginam defunctam Isabellam & Ingeburgem sanguinis propinquitatem intercedere. Hanc vero affinitatem, tanquam a stipite, a Carolo Bono, Comite Flandriæ, S. Canuti Regis Daniæ filio, deducebant. Pronunciarunt Præsules, hanc propinquitatem ad dirimendum matrimonium sufficere, atque Archiepiscopus Remensis prolata sententia nullum declaravit. Regina, quid ageretur nescia, nam linguæ Francorum erat ignara, & postquam Dani, qui Franciam petenti itineris socii dati fuerant, in patriam reversi fuissent, propemodum sola, ubi interpretis opera intellexit, quid de ipsa decretum fuisset, vehementer obstupescens & erumpentibus lacrymis perfusa Gallice, ut poterat, exclamavit: *Male France! Male France! o Franciam improbam! perfidam Franciam!* addiditque *Rome, Rome!* dicere volens, quod ad Sedem Apostolicam appellaret. Mox relictam Rex in Daniam remissurus erat; sed illa redi-

Sup. Lib. LXVII. §. 53.

redire detrectavit, petiitque, ut sibi liceret in Monasterium se abscondere, cum mallet in continentia vivere, quam aliud matrimonium inire. Itaque Rex ad Congregationem Virginum extra Regnum suum exulem dimisit. Sæcul. XII. A.C. 1193.

Illa aliquamdiu custodita est, in Abbatia Cisonienſi* Canonicorum Regularium Diœcesis Tornacensis, cujus Episcopus Stephanus, postquam Principem invisisset, ad Guilielmum Archiepiscopum Remensem de ea scripsit in hunc modum: *Doleo sortem Principis optimæ, causæ autem ejus judicium Divino tribunali relinquo. Quis enim, nisi visceribus æneis sit, non moveatur tanta calamitate matronæ Regiæ, non natalibus modo sed etiam virtutibus clarissimæ? utinam cerneres tota die nunc orationi, nunc lectioni, nunc labori manuum vacantem! quid aleæ, quid aliud quodcunque ludi genus sit, ignorat. A tempore matutino usque ad meridiem inter calentes lacrymas non tam pro se quam pro Rege Deum precatur. In Oratorio suo nunquam sedens, sed vel stans vel flexis genibus nixa conspicitur. Paupertate vero tanta premitur, ut pauca, quæ de vestibus Regiis & supellectile supersunt, ad depellendam famem venumdare cogatur. Alimenta petit, & profitetur, te unicum, ex quo tot adversitatibus affligitur,*

* Cisoin.

Ep. 262.

Sæcul. XII. A.C. 1194.

gitur, ejus esse refugium, unde escam aliaque subsidia abunde acceperit. Molliri te sine tantæ supplicis lacrymis, qui tot vulgaris conditionis egenis liberalissime succurris.

§. XLIV.

Richardi Regis reditus.

Gervas. p. 1585.

Legati, ab Huberto Archiepiscopo Cantuariensi electo Romam missi, mense Octobri anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, cum Nuncio Pontificio, Pallium afferente, redierunt, quos cum ipse septima Novembris recepisset, eadem die in Cathedram Archiepiscopalem invectus est. Haud diu post in præfectura Regni subrogatur Archiepiscopo Rotomagensi, in Germaniam proficiscenti, ut Richardo Regi, cui Imperator libertatem concesserat, se obvium inferret. Tum Regi tandem in Angliam appulso, die duodecima Martii anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, Hubertus extra civitatem Cantuariensem obviam processit. Ex equo desiliens Rex ad Præsulis pedes genua flexit, qui cum & ipse se demisisset in terram, alter alterum tenero affectu amplexus est. Episcopis deinde suadentibus statuit Rex, denuo coronari, quasi Regnum secundo auspicaturus, qui Ritus Vintoniæ die Dominica octava Paschæ decima septima mensis

sis Aprilis peractus. Exinde Hubertus Archiepiscopus auctoritate in Anglia soli Regi secundus fuit, quem Rex Cancellarium, supremum Justitiæ Præfectum, Regni, se absente, Præsidem creavit, eidemque Legati Apostolici potestatem in Anglia a Cœlestino Papa obtinuit. Sæcul. XII. A.C.1194. *Rog. p. 738.* *Goduin.*

§. XLV.

Querelæ contra Godefridum Archiepiscopum Eboracensem motæ.

Graves querelas adversus Godefridum Archiepiscopum Eboracensem, Regis Richardi fratrem, ex impari matre natum, Canonici Cathedrales, & complures Abbates, ex quibus duo Ordinis Præmonstratensis fuere, ad Papam detulerant. Accusabatur vero Archiepiscopus, quod, negligens officii boni Pastoris, venatui, ceterisque Principum sæcularium oblectamentis plus justo indulgeret. Quod, ex quo Archiepiscopus esset, nunquam Clericos ordinasset, nunquam consecrasset Ecclesias, nunquam Abbates benedixisset, nunquam Synodum provincialem convocasset. Quod Clericorum & Abbatum famæ sæpe detrahere soleret, eosque leviter excommunicaret. Quod libertatem & laudabiles consuetudines Ecclesiæ suæ pessum- *Cæl. ep. 5. ap. Roger. 749.*

Sæcul. XII. A.C. 1194.

pessumdaret. Quod jus Romam appellandi sperneret, & complures, qui ad S. Sedem appellassent, carceri inclusisset. Quod Canonicos ad Papam appellantes excommunicasset & suis Beneficiis privasset.

Præterea nullam habere rationem privilegiorum a Pontificibus concessorum dicebatur, sed magis iis nocere, qui hujusmodi literas producerent. Eum Judicia a Legatis Sacræ Sedis prolata non modo non exequi, sed, iis exhibitis, vehementer indignari, illosque, qui auctoritate Legatorum in integrum restituti fuissent, probrose ejicere. Viros, qui Ecclesiis vacantibus præficerentur, aptissimos arcere, & solo suo arbitrio vel pueros, vel viros morum licentia infames constituere, aut denique fructus Ecclesiarum, priusquam vacarent, usurpare. Addebant, quod sæpe, Beneficia conferens, ea minueret, aut exactis pensionibus, quas in suum lucrum converteret, Clericum gravaret. Quod reos a Censuris, accepto pretio, absolveret.

His compertis Papa mandata dedit S. Hugoni Episcopo Lincolnienſi; cum aliquo Archidiacono & Priore Eboracum se conferret, & in mores Archiepiscopi accurate inquireret. *Si Actores legitimi prodeant*, ait in suis literis Pontifex, *audies, accusationis capita signo tuo clau-*

sa

sa ad nos mittes, & utrique Parti, con- Sæcul. XII.
cesso necessario intervallo, diem indices, A. C. 1194.
qua Romæ judicium Sacræ Sedis subeant. Si nullus contra Archiepiscopum adsit Actor, nisi communis fama, purgationem Canonicam ei injunges, cum tribus Episcopis & totidem Abbatibus (*). *Si sic purgare se non valeat, a Ministerio Episcopali suspensum ad nos mittes, ut quæ Officii ejus sint doceatur. Si contra Actores suos quædam objiciat, ea quoque sigillo tuo munita ad nos deferri curabis. Si vero, ut Mandatum nostrum eludat, priusquam Citationem tuam acceperit, appellet ad Sedem Apostolicam, vel se det itineri Romam venturus, spatium trium Mensium ei figes, intra quod ipse Curiam nostram adeat, & nisi pareat, mox ab eo tempore ab omni Ministerio suspensum denunciabis.* Hæc Epistola Romæ, die octava Junii anno millesimo centesimo nonagesimo quarto data est.

Episcopus Lincolniensis cum duobus Legationis hujus sociis sibi mandata strenue curavit. Cum die Dominica post Epiphaniam, octava Januarii, anno milles- *Rog. p. 749. 750.*

(*) Nempe tres Episcopi & totidem Abbates Archiepiscopi innocentiam jurejurando testari debuissent.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

millesimo centesimo nonagesimo quinto Eboracum perveniſſent, de omnibus articulis, in commentario ſuo contentis, quæſtionem habuerunt, Abbatibus, omnibusque illius Diœceſis Clericis in Eccleſia Cathedrali congregatis, atque etiam Archiepiſcopi Clericis præſentibus, qui dixerunt, quod Godefridus Archiepiſcopus ſuus appellaſſet, & iter Romam ingreſſus eſſet.

Quare Mandatarii Quæſtionem habitam Romam mittunt, Archiepiſcopo ſex ſeptimanarum inducias ultra menſes tres, a Papa præſtitutos, præſcribunt, ejusque Adverſariis diem primam Junii, qua in Judicio Pontificis ſtarent, eodem anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, indicunt.

§. XLVI.

S. Hugonis Lincolnienſis conſtantia.

Ceterum neminem in Anglia perficiendis hujusmodi negotiis S. Hugone Lincolnienſi magis idoneum reperire erat, cujus virtutes, maxime autem amor Juſtitiæ invictus, zelus, cum oppreſſos defenderet, ferventiſſimus, & conſtantia, ubi Principum cupiditati reſiſtendum erat, incredibilis, cunctis erant perſpectiſſimæ. Hinc Papæ, ſub quorum Pontificatu

tificatu vivebat, negotia emergentia difficillima illius Provinciæ Hugonis curæ committebant, ut testatum facit vitæ ejus Scriptor, & addit; S. Præsulem tam singularem gratiam justum ab injusto discernendi a Deo accepisse, ut Jurisconsulti peritissimi faterentur, mortalium nullum se novisse, qui causas perplexas Hugone solertius definiisset, etsi Jurisprudentiæ non studuisset. Quibus bona erat causa, gaudebant, se Hugonem nactos fuisse judicem, quem virum sciebant maxime sedulum, atque nec minis nec donis flexibilem.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

vit. c. 23. ap. Sur. 17. Nov.

Richardus Rex post suum in Angliam reditum in Normanniam trajecit, bellumque Philippo Regi intulit, qui in ejus ditiones irruperat. Quia vero ad faciendos in exercitum sumtus auro indigebat, Archiepiscopum (nisi conjectura me fallit, Cantuariensem) in Angliam missum, ab Episcopis ceterisque Præsulibus subsidia petere jussit. S. Hugo, re mature pensata, intelligens fore, ut gravissimum onus in inopem populum denique devolveretur, respondit, nunquam se huic proposito assensurum. Alius quoque ex Episcopis, cum Hugonem argumenta prolixius explicantem auscultasset, in ejus concessit sententiam. Hæc audacia minime probabatur Archiepiscopo, qui celeriter ad Regem reversus

c. 18.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

sus querelas retulit. Is iracundiæ impetu abreptus, & ad purpuratorum proximum conversus, *si me amas*, inquit, *si salvum me, si vivum cupis, ito, & Hugonem alterumque Episcopum, perfidia socium, perde!*

Ergo Episcopus ille de Sede sua pellitur, bona omnia ærario Principis addicuntur, & ipse e regno proscriptus aliquamdiu exulare cogitur. Tandem vero amicorum precibus datum, ut ei liceret ad Regis genua accidere, clementiam implorare, adjecto promisso, quod nunquam posthac ejus voluntati repugnaturus esset.

c. 23. At cum armati venissent, eadem crudelitate Episcopum Lincolnienſem habituri, ille, rebus adhuc integris, eos omnes in vicinis Ecclesiis pulsatis campanis excommunicatos denunciari jussit. Quare, viri intrepidi fortitudine territi, negotio infecto, recesserunt. Quippe Censuræ a S. Hugone latæ omnibus terrorem ingentem incutiebant, quod eas sæpe mors subita & horrenda sequeretur, quod ab ipso excommunicatos Diabolus occuparet, aut alia signa Divinæ vindictæ manifesta comitarentur. Verumtamen Hugo, veritus, ne ipse Regis iram & calamitatem in gregem suum provocasse videretur, longam profectionem exorsus, non sine gravi periculo, ad

c. 10.

eum

eum se contulit. Cum arci immineret, in qua Rex versabatur, obviam procedentes viri probi & prudentes suadebant, ut recederet, & conspectum Regis offensi haud subire auderet, ne, si interficeretur, mors ejus, ut olim S. Thomæ Martyrium, calamitates atrociſſimas a Deo vindice Angliæ Regno conciliaret. Sed his monitis non acquievit Hugo, atque cuidam amicorum promittenti, se Regi locuturum, ne Præsul de vita periclitaretur, respondit: *Quid vis? hominem tam ignavum me putas, ut me abscondam, teque liberosque tuos in periculum mittam?* Mox regiam intrat, & ex ministris audiens, Regem Sacerdoti Sacris operanti adesse, Oratorium ingressus, ejusque lateri admotus ingenti fiducia ait: *Da mihi osculum.* Ac Rege respondente: *Id de me haud es meritus*, reposuit: *meritus sum, quia longum iter emensus ad te veni. Osculum mihi debes.* Cumque simul arrepto Regis pallio cunctantem ad se traheret, ille subridens demissa cervice Præsulem osculatus est. Sæcul. XII. A.C. 1195.

Episcopi ceterique præsentes, cum cernerent Hugonis de Rege victoriam, obstupescebant. Rex quoque fortitudinem animi demirabatur, ac pietatem viri, qui ut liberius oraret, relicto loco Episcopis destinato, prope altare se re-

Sæcul. XII. A.C. 1195.

S. Hugo Lincolnienſis.

ceperat. Ergo eum ſincere veneratus, ubi inſtrumentum Pacis ſibi a Clericis oblatum eſt, juſſit illud prius ad Epiſcopum Lincolnienſem deferri. Credidere plerique inſignem poſtea de hoſtibus reportatam a Rege victoriam, exhibiti Sancto Epiſcopo honoris præmium fuiſſe. Completa Miſſa Hugo Regem poſt Altare deductum, ut ſine ſpectatore colloquerentur, cum conſediſſent, ita affatus eſt: *Fatere, quis conſcientiæ tuæ ſtatus ſit. Ego enim Epiſcopus ſum, tu vero filius meus diœceſanus, de quo in Dei Judicio rationem reddam.* Reſpondit Rex: *Nihil adeo, quod occurrat, conſcientia mihi objicit, niſi quod iracundia & vindictæ cupiditas contra Regni mei hoſtes me torqueat. Itane vero?* repoſuit Hugo, voce ad ſeveritatem compoſita, *an negare potes, quod continuo pauperes opprimas? quod innocentes affligas? quod populos tibi ſubditos exactionibus vexes. Præterea fidem conjugalem violaſſe diceris. An levia tibi videntur hæc errata?* Ad hæc Epiſcopi verba Richardus expavit, & obmutuit. Ac poſtquam eum Præſul aliquamdiu gravi oratione corripuiſſet, de quibusdam modeſte ſe excuſavit, de aliis veniam petiit, promittens emendationem. Hugo deinde, præſente toto conventu, Regi expoſuit, quod, cum eſſet

esset Pastor, æquo animo ferre non pos- Sæcul. XII.
set, oves suas enormi exactione obrui. A.C. 1195.
Acquievit Rex, beneficii loco accipiens, quod zelosissimus Episcopus ultra verba non processisset. Postquam discessit, ad suos conversus Rex, *si omnes Episcopi tales essent*, inquit, *nec Regum, nec Principum potestas in eos valeret.*

Ceterum S. Episcopus Archidiaconis *c.* 16.
suis, aliisque Prælatis districte prohibuit, ne a peccatoribus mulctas pecuniarias exigerent. Tum respondentibus, improbos multo magis pecuniæ suæ jactura, quam excommunicationis ignominia moveri, opposuit: *Vestra hæc culpa accidunt, qui non curatis, an pœnitentiam sibi injunctam impleant, solum de pecuniis, quas se daturos promiserunt, soliciti.* Tum cum exemplum S. Thomæ Cantuariensis, id facientis, afferrent, respondit: *Credite mihi, plane non ideo, quia hoc fecit, Thomas in Sanctorum numerum relatus est, nec ideo Sanctus fuit.* Præterea Hugo omnes prætextus, sub specie æquitatis ab Antecessoribus suis excogitatos, ad pensiones a Fidelibus exigendas abolevit. *Rog. p.* 758.
Mos ante aliquot annos invectus fuerat, quo Episcopi Lincolnienses singulis annis amiculum, martis Scythicæ pellicula ornatum, Regi eo pacto donabant, ut pretium a populo repeterent, & si collectæ pecuniæ pars aliqua supereset,

Sæcul. XII. A.C. 1195.

eam ſibi tanquam induſtriæ mercedem ſervarent; ſed Hugo, mille argentis marcis Regi datis, Diœceſim ſuam in perpetuum ab hac ſervitute liberavit.

Rog. p. 712.

S. Epiſcopus, anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo Domos Religioſas ſuæ Diœceſis luſtrans, in Abbatiam Virginum de *Godeſtove* venit, cumque ad orandum Eccleſiam intraſſet, atque in Choro ante Altare tumulum editiſſimum, velamentis ſericis ſtratum, lampadibus & cereis circumdatum vidiſſet, quæſivit, cujus corpus hic ſepultum eſſet? reſpondentibus Monialibus, eſſe ſepulchrum Roſimundæ, Regis Henrici II. amicæ, cujus amore Princeps ille multa beneficia huic Eccleſiæ contuliſſet, Epiſcopus ait: *Proſtibulum fuit. Effodite, auferte eam hinc, & extra Eccleſiam inter alias feminas ſepelite, ne Religio Chriſtiana riſui exponatur & vileſcat, ſicque exemplo iſto diſcant mulieres laſciviam & adulterium fugere.* Sacræ Virgines Epiſcopo obſequentes, quod præceperat, executæ ſunt.

§. XLVII.

Pœnitentia Duci Auſtriæ injuncta.

Cœleſtinus Papa Leopoldum Auſtriæ Ducem fulmine Vaticano percuſſerat, quod Richardum Regem Angliæ cepiſſet, Crucigerum, ſub tutela Sacræ Sedis poſitum, quod ingens redemtionis pretium

pretium exegiſſet, & dum ſolveretur, obſides imperaſſet. Duce ſatisfacturum ſe promittente, ſcripſit Papa Epiſcopo Veronenſi Legato ſuo in hunc modum: Sæcul. XII. A.C. 1195.

Præcipimus tibi, ut juramentum Ducis Auſtriæ recipias, quod mandatis noſtris ſimpliciter obedire velit. Tunc vero injunges, ut omnes, quos detinet pro Rege Angliæ obſides, liberos dimittat, pactis, quibus Regem obſtrinxit, renunciet, quantum lytri nomine accepit reſtituat, pro illata injuria & damno plene ſatisfaciat. His conditionibus Ducem ſuosque a Cenſura abſolves, & Interdictum, quo Ditiones ejus ligantur, tolles. Eos præterea in terram ſanctam proficiſci, ibidemque tanto tempore pro Jeſu Chriſto militare, quanto Rex Angliæ in carcere fuit, jubebis. Si præſcripta perficere detrectent, omnes priſtino excommunicationis vinculo illigabis. Hæc Epiſtola die ſexta Junii anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto data. *Rad. de Dic. p. 675.*

Maluit Dux Auſtriæ ab excommunicatione non abſolvi, quam imperata facere. Quod omnium malorum, quæ infelicem Principem hoc anno oppreſſerunt, cauſam extitiſſe permultis perſuaſum. Omnes Ducatûs urbes flammis vaſtatæ ſunt, cunctis incendiorum originem ignorantibus. Danubius intumeſcens ripis ſuperatis non nullas ci- *Rog. p. 748.*

Sæcul. XII. A.C. 1195.

vitates inundavit, & plus quam decem hominum millia fluctibus hausta interierunt. Illa æstate exaruerunt arva, herbas & olera vermes, quasi in perniciem Austriæ tunc primum nati, consumserunt, Nobilium præcipui tabida lue extincti. Verum calamitates, etsi essent extremæ, Ducem ad alia consilia arripienda non permoverunt; sed præfracte addito jurejurando affirmavit, nihil certius fore, quam ut obsides, pro Rege Angliæ sibi dati, jugularentur, nisi ille sine cunctatione quæcunque promiserat impleret. Ecce vero, cum Dux eodem anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, die post Natalem Domini, nempe in Festo S. Stephani, e domo exiisset, equus infelici casu corruens Domini insidentis crus contrivit. Nullum supererat ad salutem remedium, quam pedem crudeli sed necessaria industria amputare, ne pars emortua & sanie ardens totum corpus corrumperet. Quia vero manum operi admovere nullus Chirurgorum audebat, ipse Dux, quodam Cubiculariorum suorum operam commodante, pedem a corpore avulsit, tam infeliciter, ut omnes de vita Principis desperarent. Itaque Episcopis & Optimatibus, qui ad celebrandam Christi Domini Nativitatem advenerant, convocatis, petiit, ut Sacerdotes ipsum a

Cen-

Censuris, quas Papa in eum pronuncia- Sæcul. XII.
verat, absolverent. Responderunt Cle- A. C. 1195.
rici omnes, ipsum absolvi non posse, nisi
jurejurando promitteret, quod in causa, *p.* 749.
de qua agebatur, se judicio Ecclesiæ subjecturus esset, & nisi Optimates Austriaci pariter juramento se obstringerent, quod, si morte abriperetur, ipsi nomine defuncti Principis, quæ promisisset, impleturi essent.

His conditionibus absolutus ab excommunicatione Leopoldus obsides Regi Angliæ reddi jussit, & pecuniam, quam debebat, restituit. Quibus peractis e vita decessit. Tum Duce ejus successore & non nullis Optimatum ultima defuncti mandata perficere recusantibus, Clerici funus sepulturæ dari non permiserunt; unde per octiduum corpus insepultum mansit, donec cuncti obsides libertatem recuperassent. Quin etiam quatuor millia marcarum argenti eis oblata sunt, quam pretii partem, pro Regis libertate datam, in Angliam reveherent. Sed ea, itineris pericula animo præcipientes, accipere ausi non sunt.

§. XLVIII.

Monachus, Patriarcha Hierosolymitanus.

Heraclio in obsidione urbis Acriæ anno millesimo centesimo nonagesimo pri- *Papeb. to.* 14. *p.* 51. *Rigord. p.* 37.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

primo mortuo, titulus Patriarchæ Latini Hierosolymitani collatus est Sulpitio, qui eum non ultra annos tres gessit (*).

Anno autem millesimo centesimo nonagesimo quarto, Sulpitio per electionem subrogatus est Magister Michael, Ecclesiæ Parisiensis Decanus. Titulus Magistri, quæ vox idem significat ac Doctor,

(*) Dixerat Fleurius superius §. XXXIII. Heraclio, quem hic affirmat in obsidione Acriensi anno millesimo centesimo nonagesimo primo occidisse, a Cœlestino III. Papa suffectum fuisse Albertum Eremitam, Episcopum Bethlehemiticum, cujus mentionem hic nullam facit, sed subrogat Heraclio Sulpitium. Si autem Sulpitius tres annos Patriarchæ Titulo gavisus est, scilicet usque ad annum millesimum centesimum nonagesimum quartum, duos extitisse Patriarchas Hierosolymitanos necesse est, vel Albertum brevissimo tempore isto honore potitum. In Critica Antonii Pagi ad annum millesimum centesimum nonagesimum primum lego: *Quare accurate Interpolator Chronici Aquicinctini . . . scribit: Albertus Eremita, Petri Eremitæ, qui Belli Sacri Auctor Urbano II. Pontifici fuit, pronepos, ex Episcopo Bethlehemitano Patriarcha Jerosolymitanus post Heraclium a Cœlestino Papa constituitur . . . Albertum vero fuisse Latinum, ostendit electio ejus facta a Cœlestino Papa, & Cognatio cum Petro Eremita, qui Gallus erat.* Sed nec ex istis apparet, quamdiu Albertus Patriarcha Hierosolymitanus fuerit.

Doctor, & noviſſimo tempore viluit, illa ætate magno honori ducebatur, ipſisque Epiſcopis & Cardinalibus tribuebatur. Ceterum Michael, cognomento Corvonienſis, Pariſiis ſcientiarum Profeſſor celeberrimus, primo Canonicus & Cancellarius Eccleſiæ Cathedralis fuit, tumque Decanus Eccleſiæ Meldenſis, deinde Laudunenſis & tandem Pariſienſis. Capitulo autem Laudunenſi conquerenti, quod ſibi tantus vir eriperetur, Stephanus Abbas S. Genovevæ & poſtea Epiſcopus Tornacenſis, datis ad eos literis conſolatoriis, monebat, unam Eccleſiam alteri iſtud Caritatis commercium debere, ut viros optimos ſibi invicem communicarent. Michael igitur Corvonienſis anno milleſimo centeſimo nonageſimo primo, poſt obitum Matthæi Monmorancii, eligitur, virtute & doctrina præſertim Theologica clarus. Tum Patriarcha Hieroſolymitanus vigeſima quarta Aprilis anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto nominatus, vix elapſis diebus quindecim, a Clericis Senonenſibus, Rege Philippo, totiusque civitatis populo conſentiente, Archiepiſcopus expetitur. Vacabat nobiliſſima Sedes, Guidone Noviomenſi vigeſimo Decembris anno milleſimo centeſimo nonageſimo tertio fatis functo, quam deinde Michael annis ſex tenuit.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

Ep. 158. *al.* 175. *& ibi nota.*

Gall. Chro. to. 1. *p.* 635.

In

Sæcul. XII. A.C.1195.

In Cathedra Patriarchali Hierosolymitana Succeſſor ei datus eſt quidam patria Florentinus, cui nomen Monaco, id eſt Monachus, vir Theologiæ, Juris Canonici, & Medicinæ, peritus, a Patriarcha Heraclio Cancellarius conſtitutus & deinde Archiepiſcopus Cæſarienſis a Capitulo & ab omnibus Suffraganeis electus. Hieroſolyma Saladini armis expugnata, Monachus Florentiam reverſus, & annos circiter duos ibi verſatus, comperto, quod Chriſtiani Acriam in ſuam poteſtatem redegiſſent, iterum in Palæſtinam proficiſcitur, ubi paulopoſt Archiepiſcopi, Epiſcoporum, & Canonicorum ſuffragiis, Rege licentiam concedente, Patriarcha Hieroſolymitanus eligitur. Annis exinde novem hac Dignitate fulſit.

Hiſt. trans. br. S. Ph. Bol. to. 12. p. 16. Gio Villani. lib. 5. c. 13.

§. XLIX.

Doſitheus Patriarcha Conſtantinopolitanus.

Inter hæc Doſitheus Patriarcha Græcus Hieroſolymitanus Conſtantinopolim translatus fuerat. Quippe Iſaacius Angelus Imperator ab hac Sede anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſecundo Nicetam *Montanes* amovit, etſi eumdem ipſe evexiſſet. Repulit autem invitum, cum nihil haberet, quod ipſi objiceret, niſi

Sup. Lib. LXXIII. §. 61. Nicet. p. 259.

nisi gravem senectutem. Sed revera virum simplicem esse ac levem tandem intellexerat. Ergo alium suffecit Imperator, nempe Leontium Monachum, postquam publice de solio suo jurejurando affirmasset, hunc virum antea sibi ignotum fuisse, sed eum noctu a Beata Maria Virgine sibi fuisse ostensum, quæ etiam viri merita, speciem, & locum, in quo lateret, indicasset. Sed his omnibus non obstantibus, quamvis scilicet Leontium summis laudibus extulisset, & tanquam hominem Divinum prædicasset, eum tamen ne quidem uno anno in Cathedra Constantinopolitana sedentem pati potuit, sed anno millesimo centesimo nonagesimo tertio Dositheum, Hierosolyma vocatum, in eam transtulit. Sæcul. XII. A.C. 1195.

Verum, non ignarus Isaacius hujusmodi Translationi Canones repugnare, Theodorum *Balsamon* Patriarcham Græcum Antiochenum, Constantinopoli residentem, Jurisconsultum illo ævo peritissimum doloso animo consuluit. Eo enim ad occultum colloquium vocato, editis maximi doloris signis, *sortem Ecclesiæ*, inquit, *profecto tristissimam! quod usque adeo viris, etiam monastici Ordinis, scientia & virtutibus præditis destituta sit, ut ne unum quidem Patriarchali fastigio urbis nostræ Constantinopolitanæ dignum* p. 260.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

dignum invenire possimus. Subjunxitque: *Diu est, quod te, virum Jurisprudentiæ laude clarissimum, tanquam facem splendidissimam super hoc candelabrum imponere cupiam, sed vigor canonum, Translationi Episcoporum adversantium absterret. Si, prout ista scientia instructissimus & in ea versatissimus es, demonstrare, aliisque persuadere valeas, licitam esse hanc Translationem, beatum me puto atque quod licet, neutiquam cunctabor perficere.* Respondit Theodorus, id plane, si Ecclesiæ utilitas poscceret, fieri posse. Atque exinde Episcopi aliquoties convenerunt ad quæstionem de Translatione agitandam, quam rem licitam esse illico censuerunt. Episcoporum sententiam Imperator vulgato Decreto comprobavit; at Dositheus Hierosolyma Constantinopolim translatus est, illuso Theodoro *Balsamon*, quem Titulo Patriarchæ Antiocheni contentum vivere jussit.

Ceterum translatus est Dositheus anno millesimo centesimo nonagesimo tertio, & quia Constantinopoli versabatur, solemni ritu ac triumphantis specie Patriarchali solio impositus. Præsules vero decepti, & pudorem non ferentes, quod Canonum sancita violassent, ut virum Episcopatu indignum eveherent, dissimulare non potuerunt, quantum eum

eum contemnerent. Ergo cum secre- sæcul. XII.
tos conventus cum Clericorum præci- A.C. 1195.
puis Constantinopoli egissent, Dositheum
tanquam usurpatorem iniquum e Sede
sua dejecerunt. Imperator contume-
liam tam sibi quam clienti suo illatam
indignatus, eum restitui, & stipantibus
Prætorianis, qui populi vim prohiberent,
(omnibus enim ob ambitionem intole-
rabilis erat) in possessionem postliminio
induci jussit. Sed tandem tot querelarum *V. Pagi*
impatiens cessit, sicque bonus Dositheus *an.* 1191.
utraque Sede privatus est, nam Ecclesiæ *n.* 16.
Hierosolymitanæ interim alius præfectus *Catalog.*
fuerat, Constantinopoli autem pulso *Jus. Græc.*
subrogatus est anno millesimo centesimo *Ro. p.* 303.
nonagesimo quarto Georgius Xiphilinus
Thesauro præfectus seu *Sævophilax* ejus-
dem Ecclesiæ, qui annos tres & menses
decem sedit.

§. L.

Theodorus Balsamon & ejus Scripta.

Hic ille est Patriarcha Constantino- *vers. ini.*
politanus, cui Theodorus Balsamon *libri Præf. in*
Commentarium suum in Canones in- *Nomo.*
scripsit, qui jam diu hoc opus, & Ex-
plicationem suam in *Nomocanon* Photii,
Manuele Comneno Imperatore & Mi-
chaele *Anchiale* Patriarcha jubentibus,
scribere cœperat. Ceterum Theodorus
primo lucem aspexerat Constantinopoli,

Sæcul. XII. A. C. 1195.

& jam tunc cum libros concinnare appetiit, Nomophilax & Chartophilax, id est, Legum ac Tabularum S. Sophiæ Custos, & Presbyterorum primus in Blachernis erat, sed necdum Sacerdotii Patriarchalis apicem consecutus. In illa ergo Expositione Leges adnotat, quæ ipsius ævo vigebant, & quæ abrogatæ erant, quod in Basilicas, post mortem Photii, quem semper Sanctissimum Patriarcham appellat, collectas, relatæ non fuissent. Ostendit Theodorus, quo in loco Basilicarum Leges illæ inveniri possint, quas Photius juxta Titulos Codicis & Diggestorum citat. Antinomias solvit, & Conciliorum aut Imperatorum Decreta, post Basilicas edita, subjungit.

Sup. Lib. LIV. §. 16.

In illum locum Photii, ubi dicit, urbem Constantinopolim antiquæ Romæ privilegiis gaudere, Theodorus, ut explicet, quænam ista privilegia sint, Donationem Constantini tanquam Acta genuina prolixe refert. Photius tamen ipse de hac Donatione nullam mentionem fecit, licet ipsius ætate non esset ignota, quod ex Libro Æneæ Episcopi Parisiensis contra Græcos dispicimus (*).

Sup. Lib. LI. §. 14.

Præ-

(*) Antonius Pagi quoque fundamentum hujus argumenti a Balsamone allati in sua Critica ad fabellas amandat.

Præterea Theodorus Balſamon in o- Sæcul. XII.
mnes alias Partes Juris Canonici Græco- A.C. 1195.
rum, videlicet in Canones Apoſtolorum, in Canones ſeptem Conciliorum Generalium, in Concilium Carthaginenſe, id eſt, in Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ, in quinque Concilia provincialia, in Epiſtolas Canonicas Patrum, commentatus eſt. Plura quoque alia *v. Cave. p. 477.* Theodori Opera de Jure Canonico, ac quædam Conſideratio, ſeu Reſponſum, conſulenti ſe de Dignitate Patriarcharum datum, ad nos usque pervenerunt.

Primum jure antiquitatis locum tribuit Patriarchæ Antiocheno; quod S. Evodius a S. Petro ordinatus fuiſſet. Idque præſumit, ſed non probat. *Haud diu poſt idem Apoſtolus*, inquit, *S. Marcum Alexandriæ, S. Jacobum Hieroſolymæ, & S. Andream in Thracia Epiſcopos poſuit. Elapſis exinde trecentis circiter annis, Conſtantinus, nuper ad Fidem converſus, S. Silveſtrum antiquæ Romæ Papam nominavit, uti nos Eccleſiaſtica docet Hiſtoria.* *Jus. Græc. Rom. lib. 7. init.*

Vel ex his ſatis exploratum fit, quam eximie Theodorus in Hiſtoria verſatus fuerit, & quam egregie in arte Critica excelluerit. Nam inferius iterum dicit, S. Silveſtrum primum Romæ Pontificem extitiſſe. Inde ita ſermonem proſequitur: *Illa ætate Urbs parva Byzantium* *p. 450.*

Sæcul. XII. A.C. 1195. *Episcopum habebat, Episcopo Perinthi, seu Heracleæ in Thracia subjectum, sed Imperii Sede ab antiqua Roma Byzantium translata, Metrophanes illa tempestate Episcopus Byzantinus Archiepiscopi Titulum usurpavit. Quare primum Concilium Æcumenicum* (nempe juxta ipsum primum Constantinopolitanum) *in eam privilegia antiquæ Romæ tanquam in novam Romam contulit. Quod Concilium Trullanum confirmavit, cum Sedem Constantinopolitanam nulli, nisi Romanæ, secundam declaravit, Sedibus Alexandrina, Antiochena, & Hierosolymitana postpositis. Ac proinde maximi istarum Ecclesiarum Episcopi hodieque hoc ordine per totum terrarum orbem honorantur. Nam licet antiquæ Romæ Papa ab Ecclesiis recisus fuerit, id tamen pulcherrimo Ordini per Canones invecto nocere non debet.* Nullibi legimus, qua auctoritate, quo Decreto, Romanus Pontifex ab Ecclesiis Orientis, & earum Communione, si Theodoro fides est, fuerit exclusus. Atque hic mihi primus occurrit testis in Historia Ecclesiastica, primumque argumentum, ex quo Græci Schisma diserte & plane fateri deprehenduntur. Ceterum an dies huic dissertationi apposita fuerit nescimus; sed, Theodoro superstite, capta a Latinis Constantinopolis duras cervices flexit. Idem Scriptor paulo-

Sup. Lib. XVIII. §. 7.

p. 446.

paulo post subdit, quod dolor ob Schisma Romani Papæ conceptus, ejus viscera misere discerpat, atque in dies hujus Episcopi conversionem expectet. Sæcul. XII. A.C. 1195.

Tum de Insignibus Patriarcharum differit, de face, quam sibi præferri jubebant, de trabea, cui multæ cruces insutæ, ceteroque eorum cultu, singulorum rationem ac significationem mysticam referens. p. 444.

Asserit, duorum Patriarcharum, nempe Antiocheni & Hierosolymitani, qui ob Gentilium irruptiones extra Ecclesias suas degere cogebantur, Dignitati vel debitis honoribus nihil decedere. p. 446.

Dicit, quod Titulus & Dignitas Patriarchalis Ecclesiæ Antiochenæ competat, secundum veterem Traditionem, ac consuetudinem, quæ Nomen Papæ Episcopis Romano & Alexandrino, Archiepiscopi autem Constantinopolitano & Hierosolymitano tribuisset. Injuriam Antiochenis inferri, si quis omnes illarum Ecclesiarum Episcopos Patriarchas appellaret, nisi ad indicandum, quod simul omnes quinque toti Ecclesiæ corpori unius Capitis loco sint, & quinque sensus in unius hominis capite collectos per similitudinem exhibeant, quippe huic argumento a pari petito, quod sæpius inculcat, magnam vim inesse existimat (*). p. 449.

(*) Theodorus Balsamon sieht hier einen Theil der

Sæcul. XII. A. C. 1195.

Theodorus deinde quæstionem movet, cur Titulus Episcopi Æcumenici Papæ Romano & Patriarchæ Constantinopolitano tribuatur, & dicit: *Quia vero Dæmon amoris proprii Papam a societate ceterorum Patriarcharum avulsit, atque intra angustos Occidentis terminos inclusit, Patriarcha autem Constantinopolitanus nullum Papæ privilegium ambit, & cum subscribit, Titulum Æcumenici non apponit, mitto hanc quæstionem inutilem. Sed illis, qui asserere præsumunt, honores Patriarchales Antiocheno & Hierosolymitano denegandos esse, respondebo, dicunt enim; per Sacros Canones cautum est, ne quidem pro Episcopis habeantur, qui non quæcunque pericula sub-*

p. 451.

p. 452.

der Wahrheit ein; daß die Einigkeit in der wahren christlichen Kirche herrschen müsse, und will solche auf das Ansehen der fünf alten Patriarchen gründen. Allein weil er, wider den Sinn der Heil. Schrift, keinem aus ihnen den Vorzug und höhere Gewalt zueignet, so hält seine Meynung keinen Stich. Die vier Patriarchalkirchen Alexandria, Antiochia, Jerusalem und Constantinopel sind zerfallen, und Rom allein steht noch; so daß die fünf Sinne in einem eines sind. Es können nämlich die Griechen oder Morgenländer so wenig als die Protestanten in Europa die Einigkeit ihrer so vielfältiger von der römischen abgesöndeter Kirchen mit einem nur erträglichen Erweis darthun.

subeunt, ut ad Ecclesias suas, a Barbaris occupatas, perveniant, & coronam Martyrii consequantur. His igitur opponit Canonem Concilii Trullani trigesimum septimum, in quo statuitur, Barbarorum incursiones non nocere Episcopis, si possessionem Ecclesiæ, cujus Titulo ordinati sunt, adire nequeant, eosque nihilominus valide ordinare, ceteraque officia Episcopalia peragere. Refert etiam Constitutionem Alexii Comneni anno millesimo nonagesimo tertio editam, quæ Episcopis *in Partibus* non solum Jura Episcopalia, sed etiam Abbatias & pensiones annuas conservat. Porro illud notatu dignum, quod Græci Patriarcham Alexandrinum illis non adnumeraverint, qui ab Infidelibus Ecclesiis suis privati essent, quamvis tota Ægyptus sub potestate Musulmannorum gemeret, sed solum Patriarchas Antiochenum & Hierosolymitanum, quorum tamen Sedes jam integro ferme Sæculo Latini tenuerant, nempe multo magis quam Arabes vel Turcæ Græcis invisi. Inde etiam erui posse videtur, quod toto temporis spatio, quo Latini Hierosolymis imperarunt, Patriarcha hujus civitatis, Græci Ritus, atque etiam Antiochenus, Constantinopoli resederint.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

Sup. Lib. XL. §. 51.

Sup. Lib. LXVI. §. 54.

Sæcul. XII. A.C. 1895.

§. LI.

Alexius Angelus Imperator.

Nicet p. 289 Isaacius Angelus Imperator, postquam sæpius conjuratorum insidias evasisset, nam sua avaritia & imprudentia hostes sibi conciliaverat, amicorum monita, a fratris sui Alexii machinationibus cavendum esse, in suam perniciem contemsit. At Alexius primum se Imperatorem proclamari, & deinde Isaacio Stagiræ, in quam urbem confugerat, oculos erui jussit. Tum, ut frater præceperat, in carcerem detruso, tanquam infimæ sortis homini, quotidie pauxillum panis & vini, quo mortem arceret, præbebatur. Hæc fata fuere Isaacii, die decima Aprilis anno millesimo centesimo nonagesimo quinto depositi, postquam regnasset annos novem & menses sex, & necdum ad annum ætatis quadragesimum pervenisset. Ecclesias ædificavit & Hospitia, sed sumtibus ex populo suo expressis, ac ex aliis Ecclesiis, quas, ut suas exornaret, spoliabat. Alexius cognomento Comnenus dici voluit, quod nomen istud illustrius quam Angelorum esset, ac annis octo imperavit (*).

§. LII.

(*) An diesem Kaiser Isaacius haben wir einen neuen Erweis von der Barbarey der Griechen; denn ohne des rebellischen Volkes Beystande würde Alexius

Sæcul. XII.
A. C. 1195.

§. LII.

Concilium Eboracense.

Eodem anno Cœlestinus Papa, a Rege Richardo & Angliæ Præsulibus rogatus, potestatem Legati Sacræ Sedis in *Cœlest. ep. 7.*

Alexius eine solche Grausamkeit an seinem Bruder nicht haben ausüben können.

Ein aufmerksamer Leser dieser Kirchengeschichte, wird sich leicht erinnern, wie oft Constantinopolitanische Kaiser in einem Tage auf den Thron gesessen, und noch ehe der Abend angekommen, verstossen, beschimpfet oder gar zerstimmelt und ermordet worden. Im Occident aber kömmt solche Unmenschlichkeit in keinen Geschichten öfter vor als in den Jahrbüchern von Engeland. Denn die vielfältigen Tragödien, die zu der Zeit der weissen und rothen Rosen gespielet worden, zugeschweigen, so hat dieses Volk, nachdem es von der römischen Religion abgefallen, noch weit jämmerlicher wider seine Könige gewütet. Da es den Vater * aus dem uralten königlichen Geschlechte, seinen rechtmäßigen König gleich als einen verächtlichen Uebelthäter auf das Schafot geschaffet, und ihm den Kopf öffentlich abschlagen lassen, den Sohn * aber gezwungen, seine Sicherheit mit seinen Nachkommen in einem ewigen Elende zu suchen.

* Carolus I.

* Jacobus II.

Nun daß man in Engeland solche Gesinnung noch nicht abgeleget habe, ersehen wir aus gewissen Briefen mit dem Titel Cato, von der Freyheit und dem Glücke eines Volkes wieder aufgelegt

Sæcul. XII. A.C. 1195.

in Anglia Huberto, nuper electo Archiepiscopo Cantuariensi, contulit; quod ex ejus Epistolis, in Palatio Lateranensi, die

---

gelegt 1756. In der Vorrede schreibet der Verfasser also: Ich weis sehr wohl, daß unsere Nation nicht erhalten werden kann, wo die einmal bey uns festgesetzte Regimentsform abgeschaffet würde. Auf der 10. Seite. Und wiederum auf der 13. Seite: Wir haben einen König der durch die Gesetze dazu gemacht, und durch eben dieselben eingeschränkt ist. Es würde diesem Verfasser schwer fallen zu erweisen, daß eine Regimentsform einer Nation gar so eigen sey, daß es nicht einmal möglich wäre, solche unter einer andern zu erhalten. Das folgende aber klinget noch gefährlicher für einen König. Denn wenn es einmal in eines unbändigen Volkes Macht ist, Richter über den König zu seyn, und es sich etwann einen wahren oder falschen Begrif machte, daß die Regierung die Gesetze überschreite, so stünde es mißlich mit der Sicherheit eines solchen Fürstens. Wenn etwann ein Englischer Admiral * unglücklich ist, und kann die Franzosen, welche eben so viele Schiffe gehabt als er, nicht schlagen, so muß er es mit der Haut entgelten. Wenn auch ein Theil seiner Richter zweifelt, ob er den Tod verdienet, und der andere Theil meinet, er seye unschuldig. Wenn ihn auch sein König, ein huldreicher Herr, sehr wünschte von der Todesstrafe zu erretten, so muß er sich dennoch erschiessen lassen wie ein Hund, weil ein unbändi-

* der Bing.

die decima octava Martii, anno Pontificatus sui quarto, Salutis humanæ millesimo centesimo nonagesimo quinto, datis discimus. His igitur literis munitus Hubertus Archiepiscopus, cum Eboracum in Festo S. Bartholomæi, die Dominica, undecima Junii, venisset, a Clericis solemniter obviam procedentibus exceptus ac in Ecclesiam Cathedralem deductus fuisset, altera die negotia ad Regem spectantia per Vicarios suos, erat enim supremus in Anglia Justitiæ Præfectus, in prima Sessione pertractari jussit, dum ipse Causas Christianæ Religionis, id est ad Jurisdictionem Spiritualem pertinentes, discussit. Feria tertia ad Abbatiam S. Mariæ Eboraci perrexit,

Sæcul. XII. A.C. 1195.

Rog. p. 753.

to. 10. Conc. p. 1791.

Rog. p. 755.

G. Neubri. V. c. 12.

bändiges Volk ihm das Leben abgesprochen. In einem römisch-Katholischen Staate wird die königliche Macht von dem natürlichen und göttlichen Rechte, von der Vernunft von den alten Landes-Gewohnheiten und Satzungen genug eingeschränkt. Ob nun auch ein Monarch in Engeland, den nicht die Geburt sondern die Gesetze (wie der Verfasser des Cato auf der 13. Seite saget) zum König gemacht und eingeschränkt, über ein Volk, welches von nichts, als von einer unbestimmten Freyheit sowohl in der Religion als in der Beurtheilung der Landesregierung denken, reden, und schreiben will, ohne Gefahr herrschen könne, diese Frage zu entscheiden, will ich der Kritik des Lesers überlassen.

Sæcul. XII. A C. 1195.

rexit, ac pari ritu a Monachis receptus Capitulum intravit; ubi conquerentibus monachis, quod Robertus Abbas eorum ob infirmam valetudinem domui non amplius prodesse posset, frustra reclamantem & ad Dominum Papam appellantem deposuit. Duobus sequentibus diebus scilicet Feria IV. & Feria V. Legatus Concilium in Ecclesia S. Petri Eboraci celebravit, cui nullus alius præter ipsum Episcopus, sed Decanus, Cantor, Archidiaconi, & Cancellarius ejusdem Ecclesiæ, cum quibusdam Canonicis, omnes ferme Abbates, Priores, & Parochi illius Diœcesis interfuisse leguntur. Legatus Synodo præsidens in Cathedra elevata duodecim Canones, qui in alia Editione in paragraphos octodecim dividuntur, servandos constituit.

Primo ea, quæ Sancti Altaris Sacramentum spectant, præscribuntur. Sacerdos sine ministro literato Missam non

c. 1. celebret. Ipse, non alius, Hostiam ad Ægrotos, veste Clericali indutus, lumine præcedente, deferat. Canon Missæ

c. 2. literis majusculis & accurate scriptus sit. Sacerdos Laico ad Pœnitentiam venienti non injungat, ut Missas petat celebrari. Nec pro celebrandis Missis pretio constituto pactum ineat, sed hoc dumtaxat, quod in Missa offertur, recipiat

piat (*). In Baptismate non plures quam tres ſuſcipiant puerum de ſacro fonte, maſculum duo mares & una mulier, feminam duæ feminæ & mas unus. Ubi autem puer reperitur expoſitus ſive cum ſale, vel ſine ſale, baptizetur, cum non intelligatur iteratum, quod neſcitur fuiſſe collatum. Non niſi ſumma & gravi urgente

Sæcul. XII. A.C.1195.

(*) Studioſus Lector hic advertet, ſub finem hujus Sæculi, ſaltem in Anglia, ortum traxiſſe conſuetudinem de ſtipendio Miſſæ paciſcendi, quam Archiepiſcopus Cantuarienſis, Concilii Præſes, Sedis Apoſtolicæ Legatus, damnendam eſſe exiſtimavit. Ceterum non levis conjecturæ locus eſt, Reverendiſſimum Perilluſtrem ac Ampliſſimum Dominum Gregorium Abbatem Antiquiſſimi & celeberrimi Monaſterii Tegernſeenſis, Abbatum in Bavaria Primatem, ac olim Congregationis Bavaricæ SS. Angelorum Cuſtodum O. S. P. Benedicti Præſidem meritiſſimum, ſi Concilio Eboracenſi interfuiſſet, ſuo Suffragio Decretum de non accipiendo Miſſæ ſtipendio, ſi pactum intercedat, fuiſſe confirmaturum; quippe in Elogio & Epiſtola funebri Præſulis hujus, in S. Ordine noſtro clariſſimi, hiſce diebus anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo ex pio fœdere ad nos miſſa, hæc verba leguntur: *Quare nihil dicemus de Præſulis hujus piiſſimi paupertate, quæ tanta fuit, ut intra annos quinquaginta, quibus ad aram ſtetit, nullum unquam Miſſæ ſtipendium acceptarit, aut ut acceptaret, perſuaderi potuerit.*

Sæcul. XII. A.C. 1195.

gente neceſſitate Diaconus baptizet, vel Corpus Chriſti cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat. Ergo illa adhuc ætate ea Diaconus peragere poſſe credebatur. Si Titulares Eccleſiæ fabricam negligant, aut cultui ſacro non provideant, juſſu Legati ex reditibus
c. 5. Eccleſiæ omnia perficiantur. In cauſis Eccleſiaſticis Juſtitia gratis exhibeatur.
c. 7. Decimæ, quæ in hoc Canone Juris di-
c. 8. vini eſſe dicuntur, antequam Meſſoribus laboris merces tribuatur, accipiantur.

Monachi & Canonici Regulares reditus nullos locationis more habeant, non peregrinentur, nec extra Monaſteria ſine certa cauſa & ſine ſociis proficiſcantur. Moniales ſine ſocietate Abbatiſſæ vel
c. 9. Prioriſſæ non egrediantur. Falſi teſtes ter in anno excommunicentur, & ſingu-
c. 11. lis Dominicis excommunicati denuncientur. Si pœnitentia ſubeat, ad Epiſcopum, vel ipſo abſente ad Confeſſorem Diœceſis generalem, a quo pœnitentiam accipiant, transmittantur. Hunc Confeſſorem, de quo ſermo, Presbyterum fuiſſe arbitror, quem hodie Pœni-
c. 12. tentiarium dicere ſolemus. Clerici concubinarii publici, primo infamia notentur, tum ab Officiis ſuis ſuſpendantur, & Beneficiorum ſuorum fructibus priventur. Si ſolum incontinentiæ ſuſpecti ſint, ſecreto & publice prius admonitis in-

injungatur purgatio canonica; ſed non plures quam duodecim viri ad jurandum cum ipſo compellantur. Hæc ſunt Concilii Eboracenſis Decreta. Sæcul. XII. A.C. 1195.

§. LIII.

Godefridus Archiepiſcopus Eboracenſis.

Inter hæc Godefridi Archiepiſcopi Eboracenſis Adverſarii Romæ in conſpectu Pontificis, die ab Epiſcopo Lincolnienſi præſtituta, nempe prima Junii hujus anni milleſimi centeſimi nonageſimi quinti præſto fuerunt, Actionem contra hunc Præſulem proſecuturi. Sed aberat Godefridus, cujus Clerici ab ipſo Romam miſſi, abſentiæ cauſam expoſuerunt; mandatum accepiſſe a fratre Rege, ne Romam iret, & inſalubrem Urbis aerem adulta æſtate pertimuiſſe. Ita obtinuerunt, ut omnia illa, quæ, poſtquam ad Papam appellaſſet, contra Archiepiſcopum acta fuerant, nulla declararentur; diemque, qua Romam veniret, Papa infra Octavam S. Martini præſtituit. Cumque nec tunc quidem obtemperaſſet, Canonici Eboracenſes, cauſæ ſuæ intenti, S. Hugonem Lincolnienſem urgebant, ad ſententiam Interdicti & Suſpenſionis in refractarium ferendam, quibus S. Præſul reſpondit; malle ſe ipſum Suſpenſioni ſub- *Rog.* p. 751. p. 759.

Sæcul. XII. A. C. 1195.

subjacere, quam Censuris Ecclesiasticis in Archiepiscopum animadvertere. Canonici missis Romam ad Cœlestinum Papam nunciis, queruntur, Episcopum, ceterosque ab ipso delegatos, Sacræ Sedis mandata non exequi. Quare Papa, Canonicis instantibus, postquam ultra mensem post præscriptum tempus expectasset, Sententiam in Godefridum tulit, qua eum ab usu Pallii, ab omni Ministerio Episcopali, ab administratione tam spiritualium rerum quam temporalium, atque a potestate conferendi Beneficia Ecclesiæ & Provinciæ Eboracensis, suspendit. Episcopo Lincolnienſi, aliisque duobus Mandatariis præcepit, hanc Suspensionis Censuram in tota Diœcesi & Provincia denunciarent. Prohibuit omnibus & Laicis & Clericis, ne Archiepiscopo vel ejus vicariis in negotiis temporalibus vel spiritualibus obedirent, donec S. Sedes aliud in hac causa decerneret. Simoni Decano Eboracensi, consilium Canonicorum adhibere jusso, Judicium causarum Ecclesiasticarum interim commisit, & tandem potestatem Mandatariorum suorum confirmavit. His subjunxit Papa: *Volumus præterea, ut Excommunicationis Censuram, qua Archiepiscopus ligavit quosdam Canonicos aliosque, postquam ad nos appellavit, tollatis, addita tamen For-*

p. 760.

ep. 13. *to* 10. *Conc. ep.* 1786.

Formula, quod eos ad majorem cautelam auctoritate Sacræ Sedis absolvatis. Hic primo Formulam Absolutionis noto, quam Jurisperiti nostri Absolutionem *cum Cautela* vocant. Papa de eadem causa Clericis, populoque provinciæ Eboracensis, ac Simoni Decano scripsit, atque tres epistolæ eadem die vigesima tertia Decembris, anno a partu Virginis millesimo centesimo nonagesimo quinto, datæ leguntur. Sæcul. XII. A.C. 1195.

Haud multo post quidam Clericus Archiepiscopi Eboracensis, cui nomen *Vigetot*, Romæ morbo correptus, & ad extrema deductus, audiente Cœlestino Papa cunctisque Cardinalibus confessus est, quod de Curia Romana complures epistolas spurias, tum in causa Archiepiscopi, Domini sui, tum in propria scripsisset, easque nuper in Angliam misisset. Quare Papa, missis in Angliam mandatis, Hubertum Archiepiscopum Cantuariensem literas quascunque, in causa Archiepiscopi Eboracensis Justitiæ adversantes, ubicunque posset, intercipere jussit. Et ecce facinus! Londini quidam Clericus deprehensus est cum literis & veneno, quod ad interimendum Simonem Decanum Eboracensem & aliquot Canonicos dilutum habebat. Veneficium publice flammis traditum, & fœdissimi flagitii minister carceri inclu-

Sæcul XII. A.C. 1195.

sus. Hujus quoque criminis Godefridum Archiepiscopum Eboracensem accusarunt.

§. LIV.

Henricus Imperator, Rex Siciliæ.

G. Neubr. V. c. 26.

Ad Festum S. Andreæ, nempe Mense Novembri exeunte, anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, Henricus Imperator Wormatiæ in Ecclesia Cathedrali, Episcopis Principibusque præsentibus, integro octiduo Comitia celebravit, quibus interfuit Cardinalis Gregorius, Cœlestini Papæ Legatus, ad prædicandum bellum sacrum missus. Cumque etiam alii, quibus major eloquentiæ vis erat, singulis diebus de eodem argumento ad populum feliciter dixissent, permulti Præsules, Principes, aliique viri, fortitudinis laude insignes, sacræ militiæ nomen dederunt. Imperatorem vero, Crucem accipere volentem monebant amici, plus profuturum peregrinantibus, si in Regia sua maneret, curaretque, ne proficiscentibus commeatus, & militum supplementa deessent. Ita in Germania & Italia magnæ molis expeditio in Palæstinam parabatur.

Arnold. Lubec. V. c. 1.

Imperator, missis in Apuliam nunciis, Conradum Episcopum Herbipolensem, Cancellarium suum, cui negotia Imperii in illa provincia commissa erant, curare jussit,

jussit, ut anno sequenti omnia peregrinantibus necessaria, pecunia, annona, naves in promtu essent. Tum ut propinquior esset, ipse in Apuliam profectus est; sed bellum, quod in propria causa gerendum emersit, Henrici animum a Crucigerorum expeditione avertit. Sæcul. XII. A.C. 1195.

Tancredo Regi Siciliæ sub finem anni millesimi centesimi nonagesimi tertii Rogerium filium suum primogenitum, cui coronam imponi jusserat, mors eripuit. Quare parens Guilielmum quidem alterum filium coronari jussit; sed amissi natu majoris dolore afflictus, antequam mensis Majus iniret, anno millesimo centesimo nonagesimo quarto occubuit, relinquens Successorem Guilielmum III. necdum infantiam egressum. Henricus Imperator, qui Tancredum pro Regni sui prædone semper habuerat, eadem æstate in Apuliam movit, unde in Siciliam delatus, Regem se proclamari jubet, atque Panormi die Dominica, vigesima tertia die Octobris coronatur. Hic Regni Normannorum in Sicilia finis fuit, anno, ex quo Comes Rogerius has provincias expugnaverat, centesimo, ex quo autem Rogerius II. Regis nomen usurpaverat, trigesimo quarto. Imperator in Natali Domini, anno millesimo centesimo nonagesimo quarto, Comitiis generalibus Panormi celebratis, Sibillam Reginam, Tan-

Chr. Ric. de S. Serm. an. 1193.

V. Pagi. 1194. *n.* 5.

Rad. Dic. p. 678.

Sup. Lib. LXIV. §. 14. *LXVIII.* §. 3.

Ricord. an. 1194.

Sæcul. XII. A.C. 1195.

Tancredi viduam, Guilielmum parvulum ejus filium, complures que alios tum Episcopos tum Comites, quos proditionis accusabat, custodiæ tradidit, ac non nullis oculos eruit, alios in ignem conjectos, aut fracta gula suspensos necavit. Ceteros exilio damnatos migrare in Germaniam jussit. Quo etiam ipse reversus anno sequente millesimo centesimo nonagesimo quinto Sibillam ejusque filium abstractos, & hunc quidem utroque lumine privatum, perpetuo carceri addixit.

Jo. de Ceu. an. 1195.

§. LV.

Bellum sacrum promulgatur.

v. MS.

Nihil magis Cœlestinum Papam ad prædicandam expeditionem sacram movebat, quam allatum ex Asia nuncium, de obitu Saladini, qui decima tertia die Martii anno millesimo centesimo nonagesimo tertio Damasci fato concesserat. Ubi de hoc Principe, iisque quæ ipsius ætate in Oriente gesta sunt, mihi sermo fuit, complura facta retuli, quæ in Scriptoribus nostris Latinis non leguntur, testemque adduxi vitam ejus manuscriptam, ante aliquot annos a Domino Abbate *Renaudot*, compositam, quam ipse ex authographis plerumque Arabicis & ineditis, atque ex Saladini vita, ab *Hamat*, qui Soldano ab Epistolis

lis erat, concinnata excerpsit. Domino Abbati necdum visum, Opus suum memorabile typis vulgare; sed illud tamen mihi, veteri amico suo, amore utilitatis publicæ communicavit. Postquam ergo in Italia compertum fuit, Saladinum extinctum, filiosque defuncti & patruum de regno rixari, omnibus facile persuasum, utendum esse occasione, forte nunquam reditura, qua Hierosolyma ceteræque Palæstinæ urbes armis Christianorum recuperarentur. Sæcul. XII. A.C. 1195. *Rog. p. 727. Auct. Aquicinct. an. 1193.*

Eo consilio Papa duos Cardinales in Franciam misit, ubi ingens Crucigerorum numerus confluxit. Conjicere debemus, Pontificem ad aliorum quoque Regnorum Episcopos hujusmodi literas dedisse, quales Huberto Cantuariensi & Episcopis Angliæ scripsit, jubens eos bellum Palæstinæ prædicare, & adjuncta privilegia, Indulgentias, ac Sacræ Sedis præsidium promittere, Regemque hortari, ut subditis suis proficiscendi licentiam daret. Tum Archiepiscopo Cantuariensi, Papam monenti, quod multi Crucigeri edito voto non satisfacerent, etsi possent, alii vero non possent, paupertate, morbo, aut aliis obstaculis impediti, præcepit; illos, qui possent, adhibitis Censuris Ecclesiasticis ad solvendum votum compelleret. *Aliis vero,* subjungit Pontifex, *quos paupertas vel* *Ann. Godef. mon. 1195.* *Ep. 14. ex Rog. p. 784.*

Sæcul. XII. A.C. 1195.

valetudo iter suscipere prohibet, licentiam manendi tribues, injuncta congrua pœnitentia, ea tamen conditione, ut quamprimum possint proficiscantur. Tandem illi, qui ipsi peregrinari simpliciter nequeunt ob corporis infirmitatem, unum vel plures milites pro facultatum suarum modo in Palæstinam suis sumtibus mittant, unum vel plures annos, prout expedire tibi visum fuerit, pro JEsu Christi causa militaturos. Hæc Epistola die duodecima Januarii anno millesimo centesimo nonagesimo sexto data est.

§. LVI.

Concilium Montispessulanense.

Radevic. 7. c. 29. v. Pag. an. 1195. n. 6. Rig. p. 39.

In Hispania, cum Alphonsus IX. Rex Castiliæ, Martini Archiepiscopi Toletani, quem copiis suis præfecerat, secutus consilium, Mauris gravissimus immineret, illi ab Emiro *Almumenin*, ceu Fidelium Principe, Jacobo *Almohadum* Duce, qui Sedem Maroci fixerat, auxilia flagitant. Qui exercitu immenso in Hispaniam trajecto, Christianos inita pugna ad *Alarcos* haud procul Sierra Morena, die decima octava Julii anno salutis nostræ millesimo centesimo nonagesimo quinto, æræ Hispanæ millesimo ducentesimo trigesimo tertio, Hegiræ quingentesimo nonagesimo primo, profligavit. Negabat Alphonsus se tan-

Ann. Godef. mon. 1195.

tæ

tæ cladi superstitem esse aut posse aut velle, sed a suis invitus hostium telis ereptus in Franciam se recepit. Hæc occasio fuisse creditur, quod Cœlestinus Papa Magistrum Michaelem Ecclesiæ Romanæ Notarium cum Legati potestate in Hispaniam miserit. Sæcul. XII. A. C. 1195.

Is cum Montempessulanum divertisset, Concilium cum multis Præsulibus Provinciæ Narbonensis, mense Decembri, eodem anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, celebravit, iisque consentientibus Constitutiones sequentes edidit. Pax Dei, seu Induciæ sacræ, ut antiqua Decreta præscribunt, serventur. Additque Legatus formulam notatu dignam: Si quis pacem infregerit, quicunque ei Sacramento aut Fide obligatur, absolutus sit. *Innoc. III. l. 1 ep. 99. to. 10 Conc. p. 1796.*

Prædones Arragonenses, ac *Mainatæ* eorum, nempe cohortes, omnesque, qui eis vel præsidium vel subsidium præstant, anathemate feriuntur. Christianis in Hispaniam contra Infideles moturis confertur privilegium, quod ipsi & eorum Fidejussores ab onere dandi usuras, quas promiserunt, sint liberati, secundum aliquod Gregorii VIII. Papæ Decretum, Crucigeris Hierosolymitanis favens. Quin etiam usuras jam redditas possunt repetere. *Sup. Lib. LXXII. §. 7.*

Sæcul. XII. A.C. 1195.

Omnes sine armis iter facientes, inprimis pie peregrinantes, congrua securitate lætentur. Judæi, aliive Infideles conversi, tam ipsi quam bona eorum, sub tutela Ecclesiæ sint. Clerici modeste vestiti incedant, & parce mensas instruant, ut iratus Deus placetur; *Isto rei Christianæ tempore*, inquiunt Patres, *quo Saraceni Terræ Sanctæ dominantur, & Hispaniam solito acrius infestant.*

Excommunicationis sententia in illos lata, qui, Raimundo Episcopo Lutevensi capto, redemtionis pretium statuerant, confirmatur. Quia vero Hæretici, nempe Albigenses, in variis provinciæ locis grassabantur, arbitrio & prudentiæ Episcoporum relinquitur, quando & quo modo Interdicti Censura adhibenda sit, ne, si Interdicta sint generalia & longi temporis, Hæretici illi simplices Fidelium animos pervertendi occasionem nanciscantur. Nempe paulatim intelligebant Episcopi, Interdicta illa, sanctæ antiquitati ignota, Fidelibus nocere, cum populus, veræ Religionis usu privatus, exponeretur periculo, ne ad falsam pertraheretur.

§. LVII.

Philippus ad alias nuptias convertitur.

Rigord. p. 37 Inter hæc Cœlestinus Papa, comperto, quod

quod matrimonium Philippi Regis & Ingeburgis nullum fuiſſet declaratum, Regis Daniæ ſponſæ fratris querelis commotus, Legatos duos, Meliorem Cardinalem Presbyterum, & Cencium Subdiaconum in Franciam miſit, qui, ubi Pariſios pervenerunt, convocato omnium Epiſcoporum & Abbatum totius Regni Concilio, de valore hujus matrimonii conſultarunt quidem; ſed metu libertatem opprimente, hac legatione nihil effectum. Poſt Legatorum reditum Papa, datis ad Michaelem Archiepiſcopum Senonenſem literis, conqueſtus eſt, quod inconſulta Sacra Sede rem tanti momenti definiiſſent Epiſcopi, contra Regulam per Canones præſcriptam, & in Eccleſia Gallicana nunquam non ſervatam, quod Cauſæ majores ad eam deferendæ ſint. Tunc, Lotharii & Theutbergæ matrimonio in exemplum adducto, proſequitur Pontifex: *Philippum Regem per Cencium Subdiaconum & Epiſtolas noſtras hortati ſumus, ut Principi Regiæ, conjugi ſuæ, affectum maritalem exhiberet, & improborum conſilia rejiceret, ſed meus ille Legatus haud ſane tanto, quanto par fuiſſet, obſequio exceptus eſt. Quare, ſecundum Acta publica de genere & affinitate Ingeburgis, Regibus ortæ, ab Archiepiſcopo Lundenſi ejusque Suffraganeis ad nos transmiſſa,*

Sæcul. XII. A.C. 1196.

a. *Rad. Dic. p.* 681.

Sup. Lib. L §. 6.

Sæcul. XII. A.C. 1196.

missa, & communem omnium opinionem, abrogamus, & ex Fratrum nostrorum consilio irritam pronunciamus illam divortii sententiam, contra formam Juris latam, vobisque injungimus & districte præcipimus, ut si Rex, viva conjuge hac sua, aliam tori consortem mulierem admittere vellet, nefarium opus nostro nomine & auctoritate prohibeatis. Huic Epistolæ dies decima tertia Martii anno millesimo centesimo nonagesimo sexto apposita est. Verum his omnibus nequicquam obstantibus Philippus Rex eodem anno, mense Junio, Mariam Ducis Moraviæ & Bohemiæ filiam duxit. Ingeburgis quidem querelas ad Papam detulit, in qua dicit; triennium jam effluxisse, ex quo Philippus se uxorem legitimam accepisset, jamque a marito in munita arce captivam teneri. Sed Cœlestinus nihil ultra de hac causa movit, sive a priore proposito & sententia dimotus fuerit, sive gravis senectus, & temporis, quo supervixit, brevitas, majore vigore agere Pontificem non permiserint.

Rigord. p. 40 Gest. Inn. III n. 50. Ap. Balaz. I. Miscell. p. 422.

§. LVIII.

Mauritii obitus. Odo Sulliacensis Episcopus Parisiensis.

Rigord. p. 40 Eodem anno, octava die Septembris, Mauritius Episcopus Parisiensis obdormi-

dormivit in Domino, postquam hanc Sedem annos triginta sex tenuisset. Fuit is Pater pauperum, ac præter alia, quæ peregit caritatis & pietatis opera, Abbatiarum quatuor nempe pro Canonicis Regularibus Herivallensis* & Hermarensis**, pro Virginibus Olbiensis*** & Gifanenis **** Conditor. Cuncta, quæ habebat, latifundia pauperibus legavit. Et quoniam non nesciebat, quosdam sua ætate viros doctos de Resurrectione corporum dubitare, in volumine celebratissimum illum Jobi locum scribi jussit: *Scio quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum*, & reliqua. Moriens deinde præcepit, hoc volumen apertum super pectus suum poni, ut omnes viri literati, ad celebrandas ejus exequias venturi, in Fide Resurrectionis confirmarentur. Sepulchrum vero in Ecclesia S. Victoris & medio Choro nactus est.

Sæcul. XII. A.C. 1196.

Sup. lib. LXX. §. 33.

* Herivaux.
** Hermieres.
*** Iliere.
**** Gif.

Job. 19. 25.

Mauritii Successor in Sede Parisiensi fuit Odo, Archambaldi filius, Sulliaci Dominus, Henrici Archiepiscopi Bituricensis frater. Petrus Blesensis, qui tunc in Anglia versabatur, rogatus ab Abbate Gloecestriensi, adjuncta hujus Electionis scire cupiente, literas ad eum exaravit in hunc modum: *Mauritio fatis functo, Canonicis Catbedralibus Parisiensibus de Successore eligendo deliberantibus,*

ep. 126.

Sæcul. XII. A.C. 1196.

bus, non nulli ſenes aderant, qui pecunias multis annis congeſſerant, eo conſilio, ut ſi aliquando Sedes vacaret, ad explendam ambitionem eas impenderent. Hi per ſubornatos homines cupiditatem Epiſcopatum conſequendi pudendam prodebant; at Pars ſanior, eluſis paucorum artibus, Odonem Cantoribus Bituricenſibus præfectum una voce elegit. Vidi Odonem Pariſiis, cum juvenis ſcientiis operam daret, & tenero amore proſecutus ſum, quem magis gratia & unctio Cæleſtis, quam Magiſtrorum ſuorum induſtria informabat. Ejus Præceptor, diſcipulus meus, ſæpe referebat, quam ſolicite quam religiose, quam ſecreto, necdum pueritiam egreſſus, operibus pietatis, præcipue eleemoſynas largiendo, animum exerceret. Poſtquam ad annos pubertatis pervenit, Romam profectus eſt illo tempore, quo Urbano defuncto Gregorius VIII. Papa ſucceſſit. Tunc ego quoque Romæ commorans magno lætitiæ ſenſu conſpexi, Summum Pontificem & Cardinales Odoni honorem haud multo minorem, quam Epiſcopis ſolebant, exhibere. Cum a prima ætate caſtitatem cautiſſime ſervaſſet, ſuccedente juventutis vigore, carnis inſolentiam vigiliis, jejuniis, & flagellis, quibus in ſe ipſum ſæviebat, domabat. Pingues reditus, quibus in Anglia potiebatur, in pauperes diſtribuit, tres ſtudioſos

Sup. lib. LXXIII. §. 58.

sos adolescentes pauperes, sed sedulos & virtutis amantes, suis opibus alebat. Ex quo ad Episcopatus fastigium evectus est, boni Pastoris officiis assidue incumbere dicitur ab omnibus. Ceterum Odo Archiepiscopum Bituricensem fratrem habet, ex illustrissimo Principum stemmate ortus, atque hinc Regi Angliæ & inde, quin etiam propius, Regi Franciæ affinis.

Sæcul. XII. A.C. 1197.

v. not. p. 745.

§. LIX.

Quæstio de Evchariſtia.

Anno sequente millesimo centesimo nonagesimo septimo obiit Petrus Cantor, Doctor scientia & virtutibus clarissimus. Is Cantorum Ecclesiæ Parisiensis Magister fuit, unde cognomentum hæsit, sed ultimo vitæ suæ anno in Abbatiam Longi pontis, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Suessionensis, se recepit, ubi antequam Tyrocinii annum impleſſet, vitam finiit. Complura posteris reliquit scripta, quorum synopsis solum typis vulgata fuit. Quamvis vero inter ævi sui Doctores palmam nulli concederet, opinio tamen Theologica ipsius de Evchariſtia rejecta est. Quippe credebat, consecrationem utriusque speciei esse indivisibilem, & panem non ante converti in JEsu Christi Corpus, quam

Nang. Chr. an. Alberic. Chr. 1197. *Jaco. Vitr. hist. occid. c.* 8.

Sæcul. XII. A.C.1197.

quam post consecrationem vini. Unde sequebatur, si Presbyter, consecrato pane, subito mortuus fuisset, nihil fuisse confectum, & si, consecrato calice, notasset, non vinum sed aquam inesse, omnia repetenda, & utramque speciem consecrandam esse.

Dist. 9. c. 27.

Hanc opinionem Cæsarius Heisterbacensis, monachus Cisterciensis, Scriptor coævus, Petro Cantori, ejusque sectatoribus tribuit, sed addit; secundum Doctrinam Ordinis sui, quemlibet teneri credere, quod unaquæque species separatim consecretur. *Si enim contingat*, ait, *post Benedictionem panis, vinum in calice non esse, non consecrationem panis sed solummodo vini repetimus.* Huic quæstioni locus non fuisset, si jam illa ætate mos adorandi & elevandi Hostiam, priusquam Calix consecretur, invectus fuisset. Nec etiam huc usque ullum Ritus hujus vestigium in Historia mihi occurrit; non enim, ut arbitror, a vero aberraret, qui crederet, eam consuetudinem adorandi Hostiam elevatam ideo fuisse introductam, ne quis inposterum de conversione panis in Corpus Domini Nostri, ante Benedictionem vini, dubitaret. Verumtamen Jacobus Vitriacus, qui anno salutis millesimo ducentesimo quadragesimo quarto ex hoc sæculo abiit, de hac re

Hist. Occid. c. ult. p. 444. edit. 1596.

re tanquam de more in Eccleſia ſtabili- Sæcul. XII.
to loquitur (*). A.C. 1197.

§. LX.

(*) Similem ferme Quæſtionem de Conſecratione Evchariſtiæ refert Antonius Pagi in Critica pag. 704. ex qua ſequitur, Fideles, ſaltem aliquos, non ſolum credidiſſe, panem ſolum ſine vino per Conſecrationem in Corpus Chriſti mutari, ſed etiam vinum ex ſola commiſtione panis conſecrati in Sanguinem Chriſti converti. Pagius ita ſcribit Num XVI. *Arnoldus Abbas lib. 4 cap. 14. narrat quoddam de Evchariſtia miraculum ſuo tempore, id eſt, hoc Sæculo deſinente, accidiſſe in quadam Thuringiæ puella, quæ cum ſuſcepto a Sacerdote Viatico portiunculam Evchariſtiæ in bicarium, in quo Sacerdos data Communione manus abluerat, decidiſſe animadvertiſſet, & ſibi ad bibendum juſſiſſet afferri, totam aquam in ſanguinem mutatam deprehendit, & portiunculam ipſam verſam in cruentam carnem. Baronius hoc facto narrato concludit: Hæc de Transſubſtantiatione aquæ in Sanguinem Chriſti per commiſtionem Chriſti Corporis divinitus facta: quod ſemper fieri in vino, cum commiſtio intercederet, Antiquitas exiſtimavit .... Sed quod Baronius antiquitati tribuit, ut ibidem animadvertit Mabillonius, non ita accipiendum eſt, quaſi generalis fuerit totius Antiquitatis ea perſuaſio. Nam præterquam quod in primis octo Sæculis nulla hujusce opinationis apparent veſtigia, imo in iis illa converſio non niſi*

Sæcul. XII. A.C. 1197.

§. LX.

Philippus Episcopus Belvacensis in carcere.

Philippus Drocensis, Episcopus Belvacensis, Ludovici Crassi Regis nepos, magis Natalium suorum quam Dignitatis Ecclesiasticæ memor, armis belloque gaudebat. Is mense Majo anno millesimo centesimo nonagesimo sexto, ab Anglis captus est, cum Comes Moretonius cum Brabantinorum Duce latrocinaretur, hos enim usque ad portas Belvaci urbis grassantes, depulsurus Episcopus, cum viris equestribus & populo armato, exierat. Forte credebat licere sibi armis uti contra Brabantinos, publicos hostes & in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. excommunicatos. Ita in Anglorum manus incidit, & carceri incluſus haud plane officiose habitus est. Data igitur ad Cœlestinum Papam

Rog. p. 768. Gr. Neubr. 5 c. 30.

Sup. Lib. LXXIII. §. 7.

Rog. p. 770. to. 10. Conc. p. 1775.

---

nisi Verbis Christi a Sacerdote prolatis fieri semper & ubique credita est, in subsequentibus Sæculis, quo tempore apud non nullos hæc opinio invalescere cæpit, multi Auctores, iique gravissimi, in contrariam abierunt sententiam; alii vero media via incedentes, rem sub dubio reliquerunt. Inter Auctores Partis negantis quasi Princeps censendus est S. Bernardus &c.

Papam epistola, quam, postquam plures alias ante scripsisset, Episcopus Aurelianensis ipsius frater detulit, querebatur, se a Brabantinis, quorum opera in bello uti Rex Angliæ non horreret, comprehensum fuisse, affirmans, Regem Ecclesiasticis Censuris subjacere, quod in Episcopum manus injicere suos jussisset. Petebat, ut sibi satisfieri Papa curaret, non obscure innuens, nisi faceret, alienæ culpæ reum fore. Respondit Papa; eam denique sortem ipsi obtigisse, quam meritus fuisset; cur enim militis partes occupasset Episcopus, seque belli injusti, quo Rex Franciæ Regem Angliæ, Expeditionis sacræ causa absentem, lacesseret, participem effeciisset, *Nihilominus*, inquit Pontifex, *litteras tibi faventes ad Regem Angliæ dabo; at vero eum Principem in hac causa non juberi sed rogari a me oportet.* Richardus Rex, acceptis literis, in quibus Cœlestinus rogabat, ut Episcopum Belvacensem, Fratrem suum carissimum, libertati restitueret, lorica, qua Præsul cum caperetur munitus erat, Romam missa, nuncios dicere ad Pontificem jussit: *Vide utrum tunica filii tui sit?* pro genio illius ævi ad sacræ Scripturæ historiam alludens.

Sæcul. XII. A.C. 1197.

ep. 15.

Jo. Bromt. p. 1273.

Gen. 37. 32.

Porro Philippus Episcopus non ante annum Salutis humanæ millesimum du-

Sæcul. XII. A. C. 1197.

centesimum secundum, captivitatis suæ sextum, e carcere liberatus est.

§. LXI.

Sacra Profectio Germanorum.

Otto a S. Blas. c. 42. Rog. p. 772. Arnold. Lubec. c. 2.

Germanorum ad sacram profectionem accinctorum innumerabilis multitudo in tria agmina dividi debuit. Primum, cui Conradus Archiepiscopus Moguntinus imperabat, itinere terrestri Constantinopolim, atque inde Tyrum pervenit. Secundum, itinere maritimo Franciæ & Hispaniæ litora prætervectum, in via Silvas, urbem Lusitaniæ, ex Maurorum potestate eripuit, eaque destructa, trajecto freto Gaditano, Acriam Palæstinæ portum appulit. Tertius exercitus validissimus Henricum Imperatorem in Italiam secutus, reliquas Apuliæ & Siciliæ urbes, quæ hucusque imperata facere detrectaverant, subjecit, indeque in Orientem, Conrado Episcopo Herbipolensi, Imperatoris Cancellario, duce, missus est. Hæc classis portum Acriensem, vigesima secunda Septembris anno millesimo centesimo nonagesimo sexto intravit. Sed Cancellarius in Insula Cypro moratus est, Regem coronaturus Guidonem Lusignanum, qui ut ostentaret, se Imperatoris Constantinopolitani jugum excussisse, summis precibus obtinuerat, coronam sibi ab Imperatore Ger-

Germaniæ mitti. Itaque Cancellarium honorifice exceptum, diuque detentum, tandem Acriam navigaturum dimisit. Sæcul. XII. A.C. 1197.

Inter hæc Leo seu Livo Rex Armeniæ, ut Crucigerorum auxilia sibi conciliaret, Legatis ad eorum duces & Principes missis, cum donis & epistolis, professus est, cupere se Imperatori subditum fieri, si ipsi Regiæ coronæ decus, cujus desiderio jam diu teneretur, concederet. Plerique censebant, hanc Legationem Cancellario esse committendam, quia vero tunc Baruti commorabatur, hæc provincia Archiepiscopo Moguntino obtigit, qui nomine & auctoritate Henrici Imperatoris Regi Armeniæ coronam imposuit. Sed & his majora effecit Religiosus Præsul; nam & Principem & omnes ejus subditos populos ad unitatem Ecclesiæ Romanæ reducere conatus est, ac Rupinum Leonis Regis pronepotem, Alesiæ neptis ejus & Raimundi Principis Antiocheni filium, sacro fonte abluit. Præterea sua industria Regem & Principem ad mutuam gratiam ineundam permovit, sopivitque tunc jurgia, quæ Ecclesiam Orientis vehementer turbabant. *Innoc. 3. l. 2. ep. 252.*

Crucigeris Germanis, in Palæstinam pervenientibus, nihil prius nunciatum, quam quod Valeranus, Comes Limburgensis, fidem inter Regem Richardum

Sæcul. XII. A.C. 1197.

& Saracenos de ſervandis induciis datam violaſſet, nam ipſe prius, quam tota claſſis adveniſſet, appulerat. Quare Safadinus, Saladini frater, cujus maxima apud Saracenos, mortuo Soldano, erat auctoritas, Jafam obſederat, & ad deditionem compulſam ſolo æquaverat. Chriſtiani vero Infideles ad urbem Sidonem aggreſſi, prœlio victores, amiſſa oppida receperunt. Sed diu deinde in obſidione oppidi *Toron* hærentes, optimum tempus & operam perdiderunt, tandemque re infecta receſſerunt, a quibusdam Templariis & Epiſcopo Herbipolenſi proditi. Hos enim ab Infidelibus magnam vim pecuniæ, perfidiæ pretium, accipere non puduit; & en! cum miſſum ſibi aurum avidius aſpiciunt, neutiquam verum ſed ſpurium, ſeque ipſos Saracenorum ludibrium eſſe deprehendunt.

Rog. p. 773.

Otto c. 42.

Germanis Crucigeris Acriæ commorantibus ingens vitæ licentia, qua Templarii, aliique illius provinciæ Principes Chriſtianum nomen profanabant, gravi ſcandalo fuit, aliunde non ignorantibus, ſibi ab his Chriſtianis, cum Saracenis conſilia communicantibus, illudi. Nam Franci iſti, qui in Oriente ſedem fixerant, ora maritima & fertiliſſimis agris, quibus fruebantur, contenti, nullo deſiderio

Sæcul. XII. A.C. 1197.

siderio Hierosolymam vel sacrum Sepulchrum recuperandi tenebantur. Itaque Germani ab iis divisi, & sub nationis suæ ducibus militantes, pluribus prœliis Infidelium vires atterebant, cum certa accipiunt ab amicis indicia, quod Orientis Christiani cum Saracenis colludentes in ipsorum perniciem conjurassent, atque Henricus, Comes Campaniæ, Regis Hierosolymæ titulo ornatus, conspirationis socium se præbuisset. Unde crediderunt Germani, funestam juvenis Principis mortem haud obscurum fuisse divinæ vindictæ argumentum. Cum enim Acriæ versaretur, quadam die fenestra innixus, ruente fulcro, delapsus cervices fregit. Isabella Henrici vidua Aimericum Lusignanum, Cypri Regem, quartis nuptiis virum accipiens, inanem Regis Hierosolymæ titulum in dotem attulit. Germani vero, sibi caventes, Jafam se receperunt, cujus mœnia cum restaurant, & Saracenos ingruentes viriliter depellunt, affertur ex Germania nuncium, Henricum Imperatorem obiisse, pluresque Imperium ambientes rixari. Ergo domum remeant; sicque tantæ molis expeditio successu caruit.

Sæcul. XII. A. C. 1197.

§. LXII.

Henrici VI. obitus. Philippus & Otto Reges Romanorum.

Rog. p. 773. Henricus Imperator, in Siciliam redux, gentis illius, ac etiam Constantiæ Imperatricis, uxoris suæ, ob multa crudeliter gesta, horror, Messanæ in Vigilia S. Michaelis, vigesima octava die Septembris anno millesimo centesimo nonagesimo septimo, obiit, quin etiam rumor fuit, Constantiam marito per ministros venenum propinasse. Parente elato annis septem regnaverat. Quia vero adhuc excommunicationi subjacebat, ob captum Regem Richardum, & pretium libertatis ab eo exactum, vetuit Papa, *Sup. n. 5.* corpus defuncti sepeliri. Archiepiscopo Messanensi Romam deinde profecto, ut hanc licentiam peteret, ea demum conditione Papa annuit, si Rex Angliæ consentiret, & restitueretur pecunia (*).

Præ-

(*) De morte Henrici VI. Imperatoris Palatius hæc habet: *In Syriam, mutato proposito, cogitanti Cæsari mors injecit manus Messanæ III. Kal. Octob. medio veneno, quod propter adulteria conjugem propinasse ferunt: seu ut alii volunt ex venationis labore frigida intempestive pota lethalem febrim accersisse.*

Symbolum Henrici VI. fuit: Qui nescit tacere, nescit loqui.

Initium

Præterea Archiepiscopus Messanensis a Papa consensum exposcebat ad Fridericum Henrici Imperatoris filium, Regem Siciliæ coronandum. Respondit Papa, consentire se, si etiam Cardinales suffragarentur. Tum pro ista licentia mille marcæ argenti Papæ & totidem Cardinalibus traditæ. Imperatrix autem ad jusjurandum super Sacra Evangelia edendum compulsa, quod Fridericus ex Henrico Imperatore & ipsa genitus esset. Principi parvulo, necdum expleto vitæ triennio, nam vigesima sexta die Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo quarto lucem primo aspexerat, Tutor datus est patruus, Philippus Dux Sueviæ, Henrici Imperatoris frater, qui Rex Romanorum in superiore Germania, Apulia & Sicilia electus est, at cum Germaniæ inferioris Principes co-

Sæcul. XII. A.C. 1197.

Rog. p. 774.

Al. Stat. an. Ric. & S. Ger.

Auct. Aquicinct. an. 1197. 1198.

Initium Epitaphii ex Sabino est:

Tristia submersi natus post fata parentis
Regia concordi sceptra favore tulit.

Et finis ex Reusnero:

Apulos, Calabros, Siculos & Japygas armis
edomui: domitis Jura Ducesque dedi.
Occido, Messana tumulatus in urbe: venenum
. . . . fervens; uxor amore dedit.

Sæcul. XII. A.C. 1197.

ronam Ottoni Duci Saxoniæ obtulissent, hæc Imperii divisio multas in Ecclesiam quoque turbas invexit.

§. LXIII.

Ecclesiæ Septentrionis.

Auct. Aquicinct. an. 1197. Arnold. Lubec. lib. 7. c. 9.

Eodem anno millesimo centesimo nonagesimo septimo in Livonia ad superos abiit Bertholdus, Episcopus Riganus, numero secundus. Defuncto Mainardo, hujus Ecclesiæ auctore, Bertholdus, cujus viri merita omnibus erant perspecta, communi Clericorum populique consensu electus, & Bremæ Episcopus consecratus fuerat. Ei etiam certi reditus, valorem viginti marcarum argenti exæquantes, constituti. Ipso hortante, non nulli Optimatum Crucigerorum votum ediderunt, Infidelibus arma inferendi, & Clerici aliquot futuros se viæ socios promiserunt. Quia vero tunc nulla expeditio Hierosolymam movebatur, Cœlestinus Papa his, qui se hujusmodi voto obstrinxerant in Germania, potestatem fecit, se in Livonia militaturis jungendi, concessa eadem Indulgentia.

Ergo ex tota Saxonia, Westphalia, & Frisia permulti Præsules, Clerici, Equi-

Equites, & Mercatores conveniunt, qui, a Lubecenſibus navibus, armis, annona inſtructi, in Livoniam pervenerunt. Verùm cum Bertholdus Epiſcopus exercitum contra Infideles ducere cœpiſſet, & in eorum manus cum duobus haud plus ſociis incidiſſet, occiſus eſt. Ad Martyrum cenſum pertinere creditus eſt, atque Sanctitatis opinio inde aucta, quod cum poſt biduum cæſorum corpora fuiſſent inventa, notaverint omnes, ejus corpus manſiſſe illæſum, etſi alia a muſcis & vermibus haud eſſent intacta. Sepultus eſt Rigæ, eique Albertus, Canonicus Bremenſis, juvenis, ſed cujus mores maturum animum exhibebant, Succeſſor datus eſt. Sæcul. XII. A.C. 1197.

Ante annos abhinc paucos mortem oppetierat Berno primus Epiſcopus Suerinenſis. Nam, ætate Ottonum Imperatorum, Sedes Epiſcoporum illius provinciæ erat Megalopolis urbs, in qua ipſe Berno, Hadriano Papa Romæ gubernante, ſederat. Sed Sclavorum metus, a quibus Epiſcopi atrociter vexabantur, Suerinum migrare coegit, atque Berno primus Epiſcoporum ab Henrico Leone Duce Saxoniæ in illam civitatem miſſus eſt. Nihilominus a Barbaris *Arnold. IV. c. 24.* *Helm. l. c. 88.*

Sæcul. XII. A. C. 1197.

baris peſſime habitus eſt, verberibus affectus, colaphis contuſus, & ut Sacrificia Idolis oblata ſpectaret, probroſe deductus. Quibus non obſtantibus, Sacerdotali conſtantia perſeverans, tandem Idololatriam abolevit, lucos & ſaltus falſis Diis ſacros cæcidit, & ſublato cultu Numinis, quod vulgo *Genedract* appellabant, S. Godhardi Epiſcopi Hildesheimenſis memoriam honorari præcepit. Bernone mortuo, Bernardus ejusdem Eccleſiæ Decanus, Epiſcopus electus eſt. Ceterum Henricus Leo ſub idem tempus, ſcilicet anno circiter milleſimo centeſimo nonageſimo quinto, rebus humanis valedixit.

Chron. Citiz.

Sup. Lib. LIX. §. 1.

§. LXIV.

S. Homobonus Cremonenſis.

vit. ap. Sur. 13. Nov.

Cremonæ in Longobardia degebat civis, nomine Homobonus ex familia antiqua, ſed cui fortuna mediocriter favebat, editus. A parente, qui mercaturam faciebat, educatus, poſtquam eodem jubente uxorem accepit, caſtitatem conjugalem ſancte ſervans, commercio bona & ſimplici fide vacavit. Defuncto patre in majorem libertatem aſſertus, non amplius divitiis terrenis cumulandis incumbere ſtatuit, ſed illas quærere, quæ in cœlo repoſitæ, prædonibus non paterent. Itaque ab hominum conſortio ſeparatus vigiliis,

liis, jejuniis & orationi vacabat. Lucrum mercatura comparatum pauperibus distribuit, nec expectans, donec egeni eleemosynam ab ipso peterent, ipse necessaria offerebat, omniaque tam corporalia quam spiritualia caritatis opera largiter præstabat. Uxor, non ita ut maritus mundi hujus bona aversata, primum rogare virum suum, ne rem domesticam prodigeret, tum etiam jurgari & tandem convicia ingerere; cui Vir Sanctus animo pacato & lenibus verbis respondebat, nunquam amitti, quæcunque Deo donarentur. Sæcul. XII. A. C. 1197.

Sæpe Homobonus, etiam noctu, in Ecclesiam S. Ægydii, domui suæ proxime junctam, se conferebat, & Obertus, illius Ecclesiæ Parochus, cognita ejus devotione singulis noctibus, postquam campana pulsata tempus ad recitandos nocturnos indicasset, portam intraturo aperiebat. Sed eum non nunquam in Ecclesia invenit, priusquam aperuisset portam, quam caute fuisse a se clausam, cum nox ingrueret, meminerat, quod non sine prodigio fieri existimabat. Ex hoc loco dispicimus, populum nocturnis horis officio divino non amplius interfuisse. Homobonus nulla non nocte veniebat, & ante Crucifixi imaginem prostratus in oratione usque ad Missam perseverabat. Miraculorum dono claruit, fama ejus sanctitatis ad exteros quoque pervadente, complures con-

Sæcul. XII. A.C 1197.

convertit Hæreticos, quos magis ejus virtus, quam aliorum virorum doctorum disputatio, ad veritatem pertraxit. Ista de Manichæis, tunc in Longobardia errantibus, accipienda esse credo.

Quadam die Homobonus, postquam nocturno officio interfuisset, & more solito usque ad Missam orasset, ubi *Gloria in excelsis* insonuit, in terram se demisit, extensis in modum crucis manibus. Quia vero deinde, cum legeretur Evangelium, non assurgebat, credidere circumstantes, somno fuisse victum. At eum excitare volentes jam funus esse cognoscunt. Agebatur tunc dies decima tertia Novembris & annus millesimus centesimus nonagesimus septimus. In eadem Ecclesia sepultus est, complura ad ejus tumulum patrata miracula, & biennio elapso, Sicardo Episcopo Cremonensi & Oberto Presbytero ejus vitæ rationem & Sanctitatem testantibus, Innocentius Papa III. eum in Sanctorum Catalogum retulit. S. Viri memoriam Ecclesia in die obitus honorat.

Mart. Rom 13. *Nov.*

DISSER-

DISSERTATIO IV.

IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM *SÆCULO XII.*

§. I.

Disciplinæ mutatio.

Quicunque Historiæ Ecclesiasticæ partes, hucusque a me editas, collecto animo pervolvit, magnum in Disciplina decem primorum Sæculorum & trium sequentium discrimen sine dubio notavit (*). Illa quidem

(*) Videmus hic Fleurium Dissertationem suam quartam in Sæculum XIII. extendere, licet

dem in decimo jam Sæculo multum antiqui vigoris amiſerat; ſed plerumque errata ex ignorantia naſcebantur, & verſabantur circa facta, quæ deinde, ſimul ac cognita erant, damnabantur. De jure vero conſentiebant omnes, veterem Traditionem & Canones eſſe ſervandos. Sæculo demum duodecimo novis fundamentis Diſciplina ſuperſtrui cœpit, & receptæ ſunt Regulæ antiquitati ignotæ. Imo putabant plerique, ſe antiquæ Traditioni inhærere, dum ab ea recedebant, & malum ab errore facti proficiſcebatur, quia ſtatuta, recenter inventa, credebant eſſe antiqua. Semper enim & ubique docuit Eccleſia, Traditionem primorum Sæculorum tam quoad Diſciplinam quam quoad Fidei Doctrinam eſſe tenendam. Egimus ſuo loco de falſis Decretalibus, quæ primorum

Hiſt. Lib. XLIV. §. 22.

trium

cet Liber ſuperior LXXIV. ne quidem Sæculum XII. integrum complectatur; unde patet Diſſertationes iſtas non ab ipſo Fleurio, ſed a quoquam alio in hunc ordinem fuiſſe diſpoſitas.

trium sæculorum Pontificibus adscribuntur, in Collectione Isidori Mercatoris occurrunt, & sub finem Sæculi VIII. in lucem prorepserunt. Produximus argumenta, quibus earum falsitas demonstratur. Hæc origo mali fuit. Ignorantia Historiæ & Artis criticæ has Decretales invexit, & regulas heri natas, sub specie doctrinæ sinceræ & antiquæ exhibuit. Bernaldus Presbyter Constantinensis, exeunte Sæculo undecimo scribens, falsarum Decretalium auctoritate deceptus dixit; secundum Disciplinam ab Apostolis eorumque successoribus præscriptam Episcopos vel nunquam vel difficillime in judicio accusari debere. Quia vero inficiari non poterat, hanc Disciplinam Concilio Niceno adversari, & ipse fatebatur, in hoc Concilio Translationes Episcoporum fuisse prohibitas, Concilio Generali fictas Decretales Evaristi, Callisti, & *Anteros*, Summorum Pontificum, id permittentium, objecit.

Hist. Lib. LXIII. §. 52

Can. 15. Nic.

Post-

Postquam Ecclesia Romana annos centum quinquaginta sub regimine non nullorum Pontificum, Sacram Sedem, qua indigni erant, profanantium, ingemuit, Deus optimus maximus hujus Ecclesiæ, in orbe terrarum primæ, misertus, Leonem IX. dedit, ob spectatissimam virtutem Sanctorum numero insertum. Hunc deinde reliquo Sæculi XI. tempore, & posterioribus Sæculis omnibus, complures alii Pontifices, pietate & zelo restituendæ Ecclesiasticæ Disciplinæ ardentes, secuti sunt, quos inter Gregorius VII. Urbanus II. Paschalis II. Eugenius III. Alexander III. eminuerunt. Verum optima licet voluntas, si scientia destituatur, in graves errores impellit, & quo velocius per tenebras properamus, eo sæpius & majore periculo cadimus. Hi Pontifices, viri maximi, cum auctoritatem falsarum Decretalium usque adeo stabilitam viderent, ut nemini in mentem veniret eas impugnare, crediderunt, teneri se conscientiæ suæ imperanti obtem-

obtemperare, & Conſtitutiones, quas in iis legebant, opere complere, perſuaſum ſibi habentes, hanc eſſe illam Diſciplinam puriſſimam, quæ tempore Apoſtolorum & in aurea Chriſtianæ Religionis ætate floruiſſet. Non autem perſpiciebant, in illis Epiſtolis complura principia affirmari, quæ veræ antiquitati haud ſane conſentanea ſunt (*).

§. II.

(*) R. P. Balduinus, quo Adverſariorum Fleurii nullus ferocior, in Reflexione ad hanc Diſſertationem dicit: *Fleurius Eccleſiam Romanam horrendæ ſycophantiæ accuſat, quod fraude enormi fabricarit ſibi titulos, qualis ille eſt: Famoſa Donatio Conſtantini Magni.* Et inferius, de falſis Decretalibus ait: *Pontificum, qui has Decretales adoptarunt, tanta fuit auctoritas in Eccleſia, quanta fuit in primis quatuor Sæculis illorum Pontificum, quibus tribuuntur. Si ergo Nicolaus I. Gregorius VII. & multi alii, quibus Fleurius furiose indignatur, aliqua in Diſciplina Eccleſiaſtica mutare viſi ſunt, graviſſima ad id faciendum argumenta habuerint neceſſe eſt, vel potius fateamur, eos jure ſuo uſos fuiſſe, illo Eccleſiæ tempore, quo maxime expediebat.*

§. II.

Concilia. In falsis Decretalibus Epistolis legimus, non licere sine præcepto aut saltem sine licentia Papæ Concilia celebrare. Ad te vero, Lector *Dist. 17.* benevole! qui Historiam istam memoria tenes, appello, an hujusmodi Constitutionem existere vel servari, non dicam in primis tribus Sæculis, sed usque ad Sæculum salutis nostræ *Ep. Marc. ad Max.* nonum, deprehendisti? Non ignoro, *Epist. Julii ad Orient. c. 2. to. 2. Conc. p. 475.* Auctoritatem Papæ ad celebranda Concilia generalia semper fuisse necessariam; nam in hunc sensum accipien-

Nimio fervore abreptus P. Balduinus dicit, Ecclesiam Romanam sycophantiæ a Fleurio accusari. Fleurius, Donationem istam nullatenus esse opus genuinum, ut plurimi alii, prætereaque nihil, dicit. Ceterum non vacat Reflexioni P. Balduini diutius immorari, cum Lector doctus & eruditus ex his satis & Fleurii & Adversarii ejus principia capiat. P. Balduinus, quod litigantes semper solent, Adversarii sui sensum sæpe innoxium aut dubium, ut potest, in malam partem trahit. Pauca quædam, quæ objicit, sunt vera; sed veritatem tituli, quem libello suo proposuit; *Mala Fides Domini Fleurii,* nullibi probat.

cipiendum est quod Socrates Historiæ Scriptor dicit, dari Canonem prohibentem, ne Ecclesiæ ullam Constitutionem sine consensu Episcopi Romani conderent. Dicitque Sozomenus, curam omnium Ecclesiarum ob Dignitatem Sedis suæ ad Papam spectare. De Conciliis vero Provincialibus & ordinariis Romani Correctores Decreti Gratiani agnoverunt, Auctoritatem Papæ non requiri. Porro si ipsa facta consideremus, an vel minimum vestigium petitæ a Papa licentiæ vel consensus apparet, in omnibus illis Conciliis, quorum Tertullianus, S. Cyprianus & Eusebius meminerunt, ubi quæstiones de Paschate, de Reconciliatione Pœnitentium, de Baptismo Hæreticorum discussæ? An hujusmodi licentiæ mentio occurrit in illis magnis Conciliis Alexandrinis, quæ in causa Arii ante Concilium Nicenum celebrata sunt? An ulla Pontificis mentio fit in Concilio Constantinopolitano, a Theodosio Imperatore anno trecentesimo octogesimo primo

Socrat l. 2. c. 8. 15. & ibi Vales.

Hist. Lib. XII. §. 10. §. 21.

Hist Lib. IV §. 43. V. § 45. VII. §. 7. 27.

mo convocato, de cujus Decretis nihilominus S. Damaſus Papa & totus Occidens ita conſenſit, ut ſecundum inter Concilia æcumenica locum obtinuerit. Silentio prætereo tot Concilia nationalia in Francia, maxime cum Reges ſecundæ ſtirpis imperarent, & in Hiſpania ſub Gothorum Regibus coacta. Cumque Concilium Nicenum præcepit, ſingulis annis in qualibet provincia bis Concilium convocari, an præſumebat, Epiſcopos Romam ad petendam licentiam miſſuros eſſe? imo quomodo ex Aſiæ Africæve extremis partibus tam frequenter Legatos Romam mittere potuiſſent? Convocatio Conciliorum illa ætate ad Ritus conſuetos Religionis noſtræ pertinere credebatur, eo ferme modo, quo ad S. Sacrificium omnibus diebus Dominicis celebrandum conveniebatur. Hunc morem nihil niſi Infidelium Chriſtianos perſequentium atrocitas interrumpebat; ut primum autem redibat libertas, ad Concilia agenda confluebant Epiſcopi, efficaciſſi-

L. XVIII. §. 1.

Conc. Nic. Can. n. 5.

cissimum conservandæ Disciplinæ remedium. Nihilominus secundum normam, in hac nova fictaque Decretali præscriptam, a Sæculo XII. vix ullum Concilium, cui non Papæ Legati præessent, convocatum, ac sensim Concilia celebrandi consuetudo exolevit.

§. III.

In fictis Decretalibus affirmatur; soli Papæ competere, sententiam Decretoriam in Episcopos ferre, atque hæc Regula sæpius in iis inculcatur. De Foro Episcoporum. *Ep. Eleuth. c. 2. 3. V. 6. quamvis Victor ep. 1. c. 3. Jul. ep. 2 c. 1.*

Verumtamen exempla centum, novæ Regulæ contraria, memineris, Lector, atque ut illustrissimum afferam, causa Pauli Samosateni, Episcopi Antiocheni, quæ urbs prima S. Petri Sedes fuit, in toto Romanorum Imperio nulli, nisi Romæ & Alexandriæ, secunda, in Judicio Episcoporum Orientis & propinquarum provinciarum mota est, & ipse depositus, Papa non participe, quem Episcopi, re peracta, sententiæ latæ *Hist. Lib. VII. §. 4. Eus. VII. c. 30. to. 1. Conc. p. 896.*

tæ certiorem fecerunt, quod ex ipſorum Epiſtola Synodica diſpicimus. Nec Pontifex de hoc judicio conqueſtus fuiſſe legitur. Nihil frequentius in novem primis Sæculis occurrit, quam accuſatio & depoſitio Epiſcoporum; ſed Judicium in Concilio provinciali, omnium cauſarum Eccleſiaſticarum foro ordinario, agebatur. Hiſtoriam Eccleſiaſticam penitus ignorat, qui putat, nunquam & nullibi cauſam Epiſcopi finiri poſſe, niſi vel ipſe Romam mittatur, vel inde Legati Papales accerſantur.

Quin imo, etſi aliquis Hiſtoriam neſciat, ſi modo ſano judicio præditus ſit, facile capiet, rem fuiſſe facto impoſſibilem. Jam enim Sæculo IV. incredibilis multitudo Eccleſiarum in Græcia, in Aſia, in Syria, in Ægypto, & in Africa, ut nihil memorem de Occidente, exiſtebant. Plerique Epiſcoporum erant inopes, & ſuſcipiendis longis itineribus impares; unde ad Concilia Generalia vocati, ſumtibus Imperatorum pro-

proficiſcebantur. Quo pacto igitur ad iter Romam capeſſendum compelli potuiſſent, non ſolum ipſi, ſed etiam actores & teſtes plerumque Epiſcopis multo pauperiores? Id tamen fieri debere Auctor falſarum Decretalium præſumebat; quod quantum a ſana ratione abhorreat, tunc maxime patuit cum iſtud effectui dare Pontifices cœperunt.

Producam hujus rei exemplum celebratiſſimum. Gregorius Papa VII. qui bona fide perſuaſum ſibi habebat, ſe ſolum omnium Epiſcoporum Judicem competentem eſſe, eos frequentiſſime ex ultimis Germaniæ, Franciæ & Angliæ regionibus ad ſe venire compellebat. His relinquendæ erant Eccleſiæ ſuæ, ut ingenti pecuniæ impendio Romam irent, defendenda erat cauſa contra actores, qui ſæpe fraudulenter aberant. Induciæ & moræ naſcebantur ex moris, mandata dabat Pontifex, ut in provincia, in qua delicta commiſſa erant, documenta perquirerentur, tandemque poſt longa iti-

nera & tricas pæne innumeras, ſententiam decretoriam pronunciabat, contra quam, hoc Pontifice mortuo, & ſedente alio, appellabatur, atque quaſi nihil actum fuiſſet, Judicium ab ovo repetebatur. Sæpe Epiſcopus Romam vocatus non obſequebatur, ſive quod per morbum vel paupertatem aut quodcunque aliud impedimentum proficiſci omnino non poſſet, ſive quod reum ſe ſciret. Cenſuras contra ſe latas contemnebat, & ſi Pontifex depoſito ſucceſſorem ſubrogaret, armatorum vi ſe tuebatur. Vidiſti hujus rei exempla, Lector, atque hæc ſunt incommoda neceſſario ſequentia, cum ea quæ nunquam facta ſunt, nec fieri poſſunt, exequi aggredimur.

Illud quidem conſtat, ſed raro accidit, quod Epiſcopi manifeſte oppreſſi, & in Conciliis provinciæ ſuæ nefaria inimicorum factione damnati, ad Papam, utpote omnium Epiſcoporum Præpoſitum, & ſacrorum Canonum Protectorem, confugerint; idque in Concilio Sardicenſi ſtatui-

tur.

tur. Sed volunt illius Concilii Patres, ut Papa, sive Legatum mittat sive non mittat, causam in illa provincia, in qua reus deliquit, discuti curet, quia nihil facilius, quam Judici valde remoto imponere. Id ipsum omnibus viribus asserit S. Cyprianus, ubi de Basilide agit, Hispaniæ Episcopo, qui ab Episcopis provinciæ depositus obreptitie & subreptitie a S. Stephano Papa literas impetraverat, quibus in integrum restitui jubebatur. At literarum istarum Concilium Africæ nullam rationem habuit. Annis etiam exinde aliquot idem S. Cyprianus, data ad S. Cornelium Papam Epistola de Schismate Fortunati, his verbis notatu dignis utitur: *Constitutum est apud nos, ut reus in illo loco, ubi crimen patratum est, ad examen citetur. Absit ergo, ut Fideles nobis subditi huc illucve discurrant, & dissidiorum inter Episcopos causa existant, sed ibi in Judicio stent, ubi tam accusatores quam testes præsto sunt.* Ita S. Cyprianus ipsi Papæ scribebat,

Con. c. 3. 4. 5.

ep. 67. Hist. L. VII. §. 23.

Cypr. ep. 39. Hist. Lib. VII. §. 8.

bat, ad quem Fortunatus querelas detulerat. Tandem ad Papam refugere, quod a Concilio Sardicensi quibusdam concessum, præcipue locum habere debebat, in causis omnino singularibus maximorum primas Sedes tenentium Episcoporum, quales erant S. Athanasius, S. Joannes Chrysostomus, S. Flavianus Constantinopolitanus, quibus superior, quem adirent, præter Summum Pontificem non fuit.

§. IV.

Translatio Episcoporum.

Fictæ Decretales præterea soli Romano Pontifici jus Episcopos ab una Sede ad aliam transferendi tribuerunt. Verum Concilium Sardicense, aliaque, in quibus hujusmodi Translatio districte prohibita, nec Papam exceperunt, & quando, licet id raro factum, aliquis Episcopus, ita exigente manifesto Ecclesiæ emolumento translatus est, id auctoritate Metropolitæ & Concilii provincialis factum. Exemplum hujus rei habemus clarissimum in Euphronio Colo-

Ep. 2. Evar. 79. 1. sicut vir.

Calliſti. ep. 1. tom. 1. Conc. p. 931.

Colonienſi, quem S. Baſilius ad Eccleſiam Nicopolitanam tranſtulit. Tantum abfuit, ut Papa translationi Epiſcoporum aliquid auctoritatis ſuo exemplo conciliaret, ut potius Eccleſiarum nulla fidelius quam Romana Canones de non transferendis Epiſcopis ſervaverit; nam per annos omnino nongentos nullum Epiſcopum alterius Sedis ad Sedem Romanam translatum legimus. Primus omnium Formoſus fuit, cujus translatio ipſius inimicis præter alia prætextum defuncti ſepultique cadaver effodiendi ac illudendi præbuit. Poſtquam vero falſarum Decretalium doctrina recepta eſt, Epiſcopi in Occidente, ubi prius hæc Diſciplina ignota erat, frequenter transferri cœperunt, nec Papæ Translationes damnarunt, niſi illas, quæ præterita ipſorum auctoritate fiebant, ut ex Epiſtolis Innocentii III. cognoſcimus.

Conc. Sard. can. 1. 2.
Bas. ep. 193.
Hiſt. Lib. XVII. §. 33.
Hiſt. Lib. LIV. §. 12. 27.
Inn. Geſt. n. 43. ep. l. 1. 50. 51. &c.

Eadem eſt rerum facies in novarum Cathedrarum Epiſcopalium creatione. Si falſis Decretalibus fidem

Creatio Epiſcopatuum.
Ep. 1. Clem. to. 1. Conc. p. 91.

dem habemus, id juris ſoli Papæ competit, ſi autem antiquam Diſciplinam conſulamus, Concilio provinciali hæc poteſtas erat, atque hac de re in Codice Conciliorum Africæ clariſſimus Canon extat. Ac profecto ſi ſola Propagatio Religionis, & Fidelium commodum quæratur, multo magis rationi conſentaneum erat, Judicium Epiſcopis relinquere; quibus urbibus proprius Epiſcopus neceſſarius eſſet, & quinam viri ad officium Paſtorale obeundum magis idonei exiſterent, quam curam iſtam ad Papam referre, remotiſſime degentem, qui non ſine magna difficultate Eccleſiarum illarum ſtatum doceri poterat, ut ut enim Mandatarii delegentur, qui commoda & incommoda penſent, nunquam eam cognitionem capiet Judex, quam præſens ſuis oculis ſibi paraſſet. Hinc etiam S. Auguſtinus, cum Fuſſalæ novam Cathedram Epiſcopalem erexit, non miſit Nuncios Romam, ſed ad Primatem Numidiæ ſe convertit. Quod deinde hæc inſtitutio ad au-

Cod. Eccles. Afr. Can. 98.

Aug. ep. 209. *al.* 261.

Hiſt. Lib. XXIV. §. 34

res

res Papæ pervenerit, vitia, quibus Antonius Episcopus laborabat, causa fuerunt. Non autem conquestus dicitur Pontifex, quod Episcopatus se insçio creatus fuisset. S. Remigius Papæ non scripsit, Episcopatum Laudunensem fundaturus, sed istud egit, inquit Hincmarus, munitus auctoritate Concilii Africæ, id est nixus illo Canone, quem paulo ante citavi. Nempe fictæ Decretales epistolæ, quæ jure isto solum Papam donant, necdum in lucem prodierant.

Hist. Lib. XXX. §. 46.

Hincm. Opusc. 33. c. 16.

Jam vero si conjunctionem & extinctionem Episcopatuum spectemus, nullum aliud argumentum invenio, cur ista auctoritas soli Papæ tribuatur, quam non nulla S. Gregorii testimonia, a Gratiano relata. Sed non attendebat Gratianus, S. Gregorium solummodo in parte Italiæ Meridionali, cujus Metropolis Roma est, aut in Sicilia, aliisque Insulis, sacræ Sedi speciatim subjectis, ista potestate usum fuisse.

16. *Quæ.* 1. *c.* 48. 49.

Hist. Lib. XXXV. §. 17. 19.

In

In primis Sæculis parvus erat Eccleſiarum Metropoliticarum numerus, ſi Epiſcopatuum multitudo ſpectetur, ut eo plures convenirent Epiſcopi ad celebrandum Concilium provinciale, cui præeſſe inter præcipua Metropolitarum munera numerabatur. At poſtquam Romani Pontifices de creandis Epiſcopalibus Cathedris jus poſſeſſionis ſibi acquiſierunt, multas civitates, inprimis in Italia, nulla urgente neceſſitate, ſed ut honorem exhiberent, Dignitate Metropolitica auxerunt. Concilium Nicenum, cui ſine dubio Jus competebat Eccleſias novis prærogativis exornandi, nihil aliud dicit, quam ſingularum Eccleſiarum privilegia, pro antiqua conſuetudine, eſſe conſervanda. Unde diſcimus, diſtinctionem Eccleſiarum Metropoliticarum & Patriarchalium jam illa ætate longa poſſeſſione fuiſſe confirmatam. Pontifices a Sæculo undecimo non ſolum Metropolitas ſed etiam Patriarchas & Primates crearunt, nullo alio fundamento nixi, quam falſarum Decretalium

Can. 6.

Clem. ep. 1.
diſt. 80. c. 1.
Anacl. ep. 2.
c. 4.

talium, videlicet primæ Epistolæ, quæ S. Clementi tribuebatur, ac secundæ & tertiæ quæ Anacleti Papæ esse credebatur, ubi Apostoli eorumque successores dicuntur Patriarchas & Primates constituisse in illis urbibus, in quibus pro Regimine civili præcipui Magistratus degebant, & ubi Paganorum *Archiflamines* versabantur. Vox barbara hæc est, quam frustra alibi quam in istis Decretalibus quæsiveris. Notasti autem sine dubio, Lector, quod in primis Sæculis Archiepiscopi nomen ne quidem notum fuerit. Summi Præsules Episcopus Romanus aut Episcopus Alexandrinus, sicut alii in minorum gentium urbibus appellabantur. Episcopi in Epistolis mutuo ad se datis Fratres se se perfecta æqualitate vocabant, quod ex inscriptionibus literarum S. Cypriani videmus. Quo magis autem caritas refrigescere cœpit, Tituli & Ceremoniæ augebantur. Episcopus Alexandrinus primus fuisse creditur, qui Archiepiscopi nomen usurpavit, Episcopus

ep. 3. c. 3. Dist. 99. c. 1.

Cang Gloss. Arch.

ſcopus Antiochenus Patriarcha dici voluit, & Africanis nomen Primatis placuit. Sed hæc falſarum Decretalium Auctor neſciebat, unde nullam mentionem Exarchorum Tituli, in Aſia celeberrimi, facit (*).

Hujus

(*) Vult dicere in ſuo fervore Fleurius, ipſam Dignitatem Patriarchalem & Metropoliticam, primis ſtatim Sæculis, quibusdam Eccleſiis competiiſſe, cum in hoc Paragrapho affirmet, Concilium Nicenum præcepiſſe, ut Eccleſiarum privilegia pro antiqua conſuetudine conſervarentur, ſed rerum illarum nomina ſerius fuiſſe inventa, & omnes Epiſcopos initio ſe ſe Fratres perfecta æqualitate appellaſſe. Verumtamen etſi in exordio Epiſcopi etiam Epiſcopum Romanum Fratrem vocaverint, ex eorum tamen Epiſtolis, ad Papam datis, omni tempore argumenta apparent, quod in Romana Eccleſia & Romanis Epiſcopis majorem quam in ceteris Prærogativam agnoſcant; idque ex Epiſtolis ipſius S. Cypriani, quem Fleurius adducit, Epiſcopi Romani Primatum profitentis, Tom. Hiſt. II. pag. 308. & 424. notavimus. Poſteriore tempore etiam Photius, illud ambitionis & ſuperbiæ monſtrum, ut Tom. XII. pag. 14. & 52. memoravimus, in ſuis Epiſtolis Pontificem Romanum Patrem appellavit, & Fidei ſuæ Confeſſionem Romam miſit.

Hujus tamen Auctoris fide nixus, Gregorius VII. Primatum Ecclesiæ Lugdunensis instituit, vel potius confirmavit, cum in Bulla sua Epistolæ Decretalis Anacleti verba referat. Eidem fundamento insistentes alii Pontifices tot Primatus in Francia, in Hispania & in aliis provinciis condere moliti sunt, cum errore facti crederent, his Ecclesiis ad Primatum jus antiquum esse, quod de singulis suo loco ostendi. Quia vero nova hæc jura antiquæ aliorum possessioni nocebant, magnæ inde lites exortæ sunt. Vidisti, Lector, quo vigore Episcopi Franciæ Primatum a Joanne VIII. Ansegiso Archiepiscopo Senonensi collatum rejecerint. Vidisti quantum ejusdem Regni Episcopi posteriore tempore Ecclesiæ Lugdunensis Primatui repugnaverint, quem tandem diuturna possessio stabilivit. Vidisti, quantum reclamaverint Episcopi Hispaniæ, contra Ecclesiarum Toletanæ & Bracarensis Primatum, cujus jura nunquam liquide probata. Unde satis efficaciæ inesse Bullæ,

Hist. lib. LXII. §. 61.

Hist. lib. LII. §. 33.

Lib. LXIV. §. 30.

causa non cognita, editæ, qualis Calisti II. in causa Primatus Ecclesiæ Viennensis fuit, ad antiquum Ecclesiarum ordinem subito evertendum, Episcopis, quorum interest, invitis, nemo existimet.

§. V.

Appellatio. Nullum majus Disciplinæ Ecclesiasticæ vulnus falsæ Decretales intulerunt, quam quod licentiam ad Papam appellandi immensum extenderint.

Hæc res Falsario potissimum cordi fuisse videtur, cum maxima cura in totum Opus suum regulam illam sparserit, quod non solum Episcopis, sed etiam Presbyteris & generaliter Christianis omnibus, qui se vexari censent, in omni casu, recta ad Papam appellare liceat. Nam de Appellatione novem Pontifices, Anacletum, Sixtum utrumque primum & secundum, Fabianum, Cornelium, Victorem, Zephyrinum, Marcellum & Julium loquentes inducit. At S. Cyprianus, SS. Fabiano & Cornelio

Anaclet. ep. 1. 2. *q.* 9. *c.* 3. 8
Sixt. I. ep. 2.
Sixt. II. ep. 1. 2. *F. ep.* 3. *C. ep.* 3. *V. ep.* 1. *Zeph. ep.* 2. *Marcel. ep.* 2. *Dist.* 17. *c.* 1. *Jul. ep.* 2
Cont. or. c. 2. 3. 4.

nelio coævus, non ſolum hiſce Appellationibus adverſabatur, ſed etiam ſolida attulit argumenta, quibus eas non eſſe recipiendas probavit, & ætate S. Auguſtini Eccleſia Africæ Appellationibus necdum acquieſcebat, quod ex Epiſtola Concilii, anno quadringenteſimo vigeſimo ſexto celebrati, ad Cœleſtinum Papam data exploratum fit. Tandem Appellationis a Concilio Sardicenſi conceſſæ, usque ad ſæculum nonum, pauca occurrunt exempla, niſi, ut dixi, quod ſummarum Cathedrarum Epiſcopi, alium præter Papam ſuperiorem non habentes, appellaverint.

S. Cypr. ep. 59. p. 136. to. 2. Conc. p. 674.

Ubi vero falſæ Decretales in lucem emerſerunt, ad ſacram Sedem appellandi audacia, in tota Eccleſia Latina, ſupra omnem modum crevit. Hincmarus, in veteri Diſciplina ceteris eruditior, novæ rei generoſum pectus objecit, aſſerens, hoc beneficium ſolis Epiſcopis non autem Presbyteris eſſe concedendum. Legiſti deinde Ivonis Carnotenſis & S. Bernardi

Hiſt. Lib. LIII. §. 36.

Hincm. Op. 47. t. 2. p. 768

Ivo. ep. 180. 210.

Bernard. Conſi. III. c. 2

nardi querelas contra hunc abuſum, qui jam ipſorum ætate Viris ſanctis enormis videbatur. Demonſtrarunt, libertate in omni quæſtione, in omni cauſa ad Papam appellandi Diſciplinam Eccleſiæ penitus enervari. Ita enim malis Presbyteris, & peccatoribus laicis refractariis ſemper certiſſimum & in promptu eſſe remedium, quo præpoſitorum, vitia ſua caſtigantium, induſtriam & auctoritatem vel omnino eludant, vel ſaltem debitam pœnam in longum tempus a ſe amoliantur.

Sæpe Pontificibus cauſam ſiniſtre exponi, ſæpe eosdem ad ſententiam obreptitie a ſe impetratam retractandam fuiſſe coactos. Tandem Epiſcopos Judiciorum diuturnitate, ſumtuum gravitate, itinerum labore, plurimisque aliis obſtaculis fatigatos, de ſucceſſu deſperare, & mala, quibus mederi non poſſent, tolerare.

Hiſt. lib. LXVI § 33. *LXIX.* §. 58.

Ipſis Pontificibus moleſta accidit in omni cauſa appellandi licentia, qua impediti, illi ad quos mandata ſua dederant, ea exequi non poterant, atque

atque inde illa clauſula: *Non obſtante Appellatione*, quæ in ſtylum Curiæ, cum poſtmodum Pontifices Bullas ederent, tranſiit, ortum traxit.

Porro ſi Sanctus Bernardus tanto vigore in hunc abuſum invectus eſt, præſumens, Appellationem ad S. Sedem eſſe de jure neceſſariam, quid non dixiſſet, ſi hunc morem Decretalibus ſpuriis originem ſuam debere ſciviſſet? quanto vehementius multitudinem negotiorum, quibus Papa obruebatur, damnaſſet? Legerat Vir ſanctus in Evangelio, Epiſcopum, SS. Apoſtolorum ſucceſſorem, expeditum eſſe oportere a negotiis ſæcularibus, ut orationi & prædicationi vacaret, ſed conſuetudinis pravæ auctoritate prohibebatur, & quia antiquitatis erat ignarus, neſciebatque, quo pacto Pontifices in tot negotiorum labyrinthum incidiſſent, nunquam intrepide, quod alias ſine dubio facturus fuiſſet, Eugenio Papæ ſuaſit, rejecto novello more primorum ſæculorum ſimplicitatem reducere.

Cum igitur hæc ita fuerint, S. Doctor illis sermonibus, quos de Curia Romana posteritati tradidit, clarissime exhibuit, quantum falsarum Decretalium jus recens inventum sacræ Sedi, sub specie proferendæ ejus auctoritatis, nocuerit. Nam S. Bernardus Cardinalium Consistorium nobis depingit, in modum Curiæ civilis aut supremi tribunalis, in quo a primo diluculo usque ad noctem litigantium causæ discutiuntur, & Pontificem, in hoc Judicio Præsidem, usque adeo rerum mole obrutum, ut vix horula ad relaxandum animum supereresset. In S. Bernardi Scriptis, inquam, dispicimus, Aulam Romanam Advocatis, Curatoribus, Causidicis, suis affectibus turbatis, versutis, avaris, intentis fraudi qua alter alterum decipiant, & clientum suorum opibus ditescant, impletam. Eamdem nobis ideam Curiæ Romanæ creant, quæ de rebus gestis sub Pontificibus duodecimi & decimi tertii Sæculi legimus, namque in eorum literis, præsertim in Epistolis Inno-

Innocentii III. totius orbis Christiani negotia & rationes collectas conspicimus. Vel sola tot Epistolarum expeditio ingenti labore constabat, & quamvis eas Pontifex propria manu non exararet, nec construeret, earum tamen summam scire, & saltem gravissimarum causarum momenta perspicere necesse erat. Quo pacto autem Papæ, tot rerum gerendarum cumulis presso, tempus ad orandum, ad legendum S. Scripturam, ad prædicandum, aliaque officia peragenda, quæ si sustuleris inane est Episcopi nomen, suppetere poterat? ut hic silentio præteream curas, quas terreni Principatus Regimen creat, de quibus postea disseram.

§. VI.

Auctoritatis Papalis extensio.

Satis perspicio, ut arbitror, eos, qui Papæ potentiam ultra omnes limites extendebant, sacræ Sedis auctoritati voluisse consulere, & Primatum asserere. Ergo vel Historiam Ecclesiasticam simpliciter ne-

sciebant, aut præsumebant, Pontifices, doctrina & sanctitate maximos, quales erant S. Leo & S. Gregorius, Jura sua ignorasse, & sua socordia permisisse, ut Dignitas Sedis Apostolicæ vilescceret. Siquidem, si facta consideremus, exploratissimum est, quod potestate in Decretalibus Isidori ipsis concessa nunquam usi fuerint.

Sed, Lector benevole, hujus quæstionis viscera penitus scrutemur. An forte sanctis his Pontificibus argumenta defuerunt, cur ita & non alia ratione Ecclesiam regerent? An non altiora & perfectiora de Religione sapiebant, quam Gregorius VII. & Innocentius III.? Vulgaris ingenii homines sunt, qui nil nisi commodum suum privatum quærunt; at veri Philosophi est, cogitatione sublimiora assequi, & vel solo humani intellectus lumine capere, quod in quacunque hominum societate bonum cujuslibet privati, quin etiam illius, qui imperat, totius Reipublicæ saluti postponi debeat. Porro nefas esset credere,

JEsu

JEſu Chriſti principia, quibus Eccleſiam ſuam ſuperſtruxit, minus perfecta eſſe, quam Paganorum Philoſophorum Regulæ. Quare gregis ſui fidis Paſtoribus in hac vita nullum præmium, ſed tantum pro menſura caritatis mercedem æternam promiſit.

Fateamur igitur ſincere, Pontifices in primis quinque vel ſex Sæculis ſapienter egiſſe, cum Eccleſiæ univerſalis bonum proprio vel perſonæ commodo, vel Sedis ſuæ gloriæ antepoſuerunt. Fateamur, Bonum Eccleſiæ expetiiſſe, ut cauſa Eccleſiaſtica in ſua quæque provincia, & ab iis Judicibus definiretur, qui id facilius & majore cauſæ cognitione poſſent. Fateamur, neceſſario cavendum fuiſſe, ne Epiſcopi, & inprimis Epiſcoporum Princeps, quantum fieri poſſet, ab officiis ſuis ſpiritualibus, naturæ ſacerdotii intime connexis, unquam abſtraherentur, ſed quilibet eorum ab illa Eccleſia, in qua cum Deus poſuiſſet, non diſce-

deret, populum ſuum indefeſſo labore docens & ſanctificans.

Quis bona tam certa tam ſolida conferre audeat, cum inviſa poteſtate, qua Pontifex toti terrarum orbi terribilis reddebatur, cum undique Epiſcopos Clericosque vel Cenſurarum metu vel gratiæ ſpe ad ſuſcipiendum longum iter, Judiciumque Romæ ſubeundum, compelleret?

Non me fugit, ingentem illam Epiſcoporum aliorumque exterorum hominum turbam magnas divitias in Civitatem Romanam invexiſſe, factumque, ut Romanorum opes ceterarum Gentium damno cumularentur. Sed pudet me talis lucri mentionem facere, ubi de cauſa Religionis agitur. Quaſivero non tam ideo Pontifices Romæ ſediſſent, ut ſanctam quam ut opulentam efficerent. Multo magis Patris communis nomen meritus eſt S. Gregorius, cum immenſos Eccleſiæ Romanæ cenſus in eleemoſinas, quas in omnes provincias ſpargebat largiſſime, convertit. At illi Pontifices, qui urbem locupletabant,

Hiſt. lib. XXXV. §. 19.

IV. Conſid. c. 2. &c.

bant, sanctitatem civibus non afferebant; quin pietatem a se reduci posse desperare videbantur, si horrendam orationem, qua S. Bernardus Romanorum mores sua ætate nobis depinxit, spectemus. Primum omnium tamen Papæ, tanquam Romanorum Episcopi, officium erat, ad eos convertendos vires omnes intendere, ad quod magis, quam ad dirimendas tot exterorum causas, obligabatur.

Decretum Gratiani auctoritatem falsarum Decretalium, quæ omnem paginam implent, confirmavit propagavitque. Quandoquidem per spatium plus quam trium Sæculorum non alii Canones, quam in illa Collectione contenti, noti erant, nec alios vel scholæ vel Judices sequebantur. Quin etiam Gratianus, ut Papæ privilegia extenderet, plus quam falsæ Decretales ei tribuit, affirmans, ipsum Constitutionibus Canonicis non esse subjectum. Quod de suo cerebro expromit, nullo argumento ex auctoritate antiquorum adjecto.

Hist. lib. LXX. §. 28.

15. Qu. 1. c. 16.

Ita

Ita in Ecclesia Latina de Potestate infinita Pontificis Romani idea confusa nata est; quo principio semel posito plura alia eruta & illata fuerunt, quæ ne quidem falsæ Decretales diserte statuunt, & Theologi recentiores has opiniones, de Primatu Papæ & antiquæ Disciplinæ Regulis, a Fidei Catholicæ substantia haud sane, ut par erat, distinxerunt.

§. VII.

Clericorum Immunitas.

Præter ea, quæ ad Papam pertinent, Gratianus in Decreto suo novas Regulas protulit, de Immunitate Clericorum, quos nullo casu Laicorum Judicio subesse contendit. Atque ut id probet, complura testimonia ex falsis Decretalibus affert, & legem Theodosio adscriptam ac a Carolo Magno receptam, qua Episcoporum Jurisdictio plus æquo extenditur. Addit locum ex Justiniani Novella truncata, quæ si integra legitur, contrarium probat. Nihilominus Constitutio ista, ita fœde adulterata, S. Thomæ Cantuariensi visa est fundamen-

II. 41. *c.* 35. 37.

Hist. lib. XLVI. §. 8.

Capitul. VI. n 366. *al.* 281

II. 9. 1. *l.* 45. §. 2.

damentum præbere, quo nixus Regi Angliæ tanta conſtantia caput objecit, ut inde Principis iracundia, & Præſulis martyrium ſecutum ſit. Regula in ſuo principio erronea erat, ſed illa ætate a Juris Canonici peritiſſimis vera habebatur. *Nov. 83. c. 1. Hiſt. lib. LXXI. §. 6.*

Ex his, quæ affero, exemplis, luculentiſſime demonſtratur, nihil nobis magis neceſſarium eſſe Arte Critica, quam Scholaſtici ſpeculativi, homines pigri, tanquam nugas pueriles & inanem ſciendi cupiditatem ſpernunt. Varias linguas diſcere & accurate capere, quamlibet vocem penſare, ut propria ſignificatio atque etiam Etymologia cognoſcatur, diſcrimen dictionis in qualibet lingua, habita temporum, ſæculorum, & locorum ratione notare, cujuslibet Gentis Hiſtoriam ſcrutari, non niſi Scripta antiquiſſima & genuina ſeligere, ea judicio reflexo, præſertim quæ ad mores ſpectant, legere, his Geographiæ & Chronologiæ ſcientiam jungere, iſta omnia, inquam, Criticæ Artis fundamenta ſunt. Fateor hæc omnia com-

comparari non posse sine labore gravissimo, & maxima molestia, sed necessaria, ad inveniendam factorum veritatem, quam ratiocinando nemo unquam consequetur. Nihilominus ab his factis sæpe bona malave vitæ Christianæ institutio pendet. Vidisti enim, lector, quot errata inde originem traxerint, quod plerique Scriptis commentitiis fidem habuerint. Præterea cuivis narrationi sine delectu, quod Critica Magistra abesset, credere plurimi adsueverunt, atque inde evenit, ut tot annales fabulis referti, tot falsa miracula, tot visiones, tot næniæ, quales in Dialogis Cæsarii Monachi leguntur, reciperentur.

Hist. lib. LXXV. §. 14. Gest. In. n. 63.

Regulis, a Gratiano conscriptis, de Clericorum immunitate nititur Rescriptum Innocentii III. Papæ sub auspicia Pontificatus sui ad Imperatorem Constantinopolitanum datum, ex quo celeberrima quædam Decretalis Epistola excerpta. In ea Pontifex in sensum extortum explicat S. Petri verba, ab Imperatore adducta, ut ostenderet, omnes Christianos, nullo

C. Solita. 6. de Majorit. &c.

nullo excepto, potestati sæculari debere esse subjectos (*). *Apostolus*, inquit Innocentius, *ita loquitur, ut Fideles in virtute humilitatis contineantur. Rex est supremus Dominus, sed tantum illorum, qui ipsius beneficio bona temporalia accipiunt.* Id est Laici. Quasi vero Ecclesia quoque omnia bona temporalia a Potestate sæcularium Principum, eorumque beneficio non accepisset. Prosequitur Papa; Principi potestatem gladii non in omnes improbos datam esse, sed solum in illos, qui gladio ferientes ipsius Jurisdictioni subderentur. Quibus verbis iterum solos Laicos designat, ut Clericos pœnis a potestate sæculari infligendis eripiat, nempe delinquentibus impunitatem præstet. His addit, non licere cuiquam alterius servum judicare, præsumens, viros Ecclesiasticos Principi subditos non

1. *Petr.* 2. 13.

(*) *Subjecti igitur estote omni humanæ Creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum &c.* 1. *Petri* 2. 13.

non esse. Tandem affert allegoriam de duobus luminaribus, quæ Deus in cœlo posuit, ut significarent duas magnas Dignitates Pontificiam & Regiam. Quasivero in controversia seria quidquam prodesset, loco Regulæ adhibere Allegoriam, pro arbitrio nostro in varios sensus versatilem, quam satis refutasti, si simpliciter negaveris. Ita auctoritas Scripturæ clarissima eludebatur, ut præjudicia ex falsis Decretalibus nata propugnarentur.

§. VIII.

In Oriente minor mutatio.

Ceterum Innocentius III. Papa nemini his Regulis, antiquitati ignotis, magis adversanti, quam Græcorum Imperatori, eas commendare & laudare poterat. Nam Principes Latini, qui usque adeo rudes erant, ut plerique ne quidem literas didicerint, quæcunque eis Clerici, quorum consilio utebantur, de potestate Ecclesiastica suggerebant, credebant, & Clerici isti omnes ex iisdem scholis & ex eodem fonte, scilicet ex Decreto Gratia-

Gratiani, doctrinam suam hauserant; contra vero in Græcia omnes ex genere honesto nati literarum studiis operam dabant, tam Laici quam Clerici, atque doctrinam suam ex ipsis fontibus, scilicet ex S. Scriptura, ex Patribus, ex antiquis Canonicis Constitutionibus accipiebant; falsas autem Decretales in Occidente procusas, & latino sermone scriptas, non noverant. Unde antiquam Disciplinam in omnibus quæstionibus, de quibus egi, conservaverant. Vidisti, Lector, quod causæ omnium Episcoporum ac etiam Patriarcharum in Conciliis definitæ fuerint, ac rei sæpe depositi. Quod licentia celebrandi Concilia a Papa non fuerit petita, nec damnati appellaverint. Quod Græci Papam non adiverint in negotio de transferendis Episcopis, aut novis Cathedris erigendis. Sequebantur Canones, quos antiquus Ecclesiæ Græcæ Codex complectebatur. Neutiquam affirmo, hanc Ecclesiam ab omni abusu fuisse immunem, varios enim errores, ubi ferebat occasio, no-

tavi. Scio Patriarchas, Imperatorum favore elatos, auctoritatem æquo majorem usurpasse, scio, inquam, Imperatores multa potestati Ecclesiasticæ detracta, contra fas sibi ipsis tribuisse; sed denique in forma externa antiquos Ritus tenebant Græci, Canones cognoscebant, eosque reverebantur.

Nemo hic objiciat: Nihil mirum, si Græci nec appellandi nec alterius cujuscunque rei causa Papam adierunt, cum eum jam a Photii ætate pro Capite Ecclesiæ non habuerint. Nam quæro, an forte Græci ante Photii tempora Papam adibant? an in illis etiam Sæculis, in quibus Ecclesiæ Romanæ erant maxime uniti, aliquid eorum, quæ ego nova Disciplina affero esse invecta, servabant? plane ea servare non poterant, cum illo tempore ne quidem Latinis essent cognita, talemque Disciplinam tota Ecclesia ignoraret. Ceterum, cave errorem, Lector, non tam antiquum, ac communis opinio fert, Græcorum Schisma est; quod in alio ser-

mone

mone oſtendam, ſed interim moneo, hanc diviſionem non multo ante captam a Latinis Conſtantinopolim ad maturitatem perveniſſe.

Præterea nullibi lego, quod in diſceptationibus, inter Latinos & Græcos ab ævo Leonis IX. & Michaelis Cerularii exortis, Latini ipſis aliquando objecerint & exprobraverint, quod ſine licentia Papæ Concilia celebrent, aut cetera novæ diſciplinæ capita, de quibus nunc egimus, non ſervent. Nec etiam exemplum inveni, Græcos Epiſcopos a Gregorio VII. vel ipſius Succeſſoribus Romam in judicium vocatos, aut in ceteris etiam eodem modo, quo Latini, fuiſſe habitos. Nempe ſciebant, Græcos non eſſe obſecuturos.

§. IX.

Leo IX. illique Pontifices, qui, ut ſarcirent ruinas Sæculi X. & Eccleſiæ Romanæ ſplendorem reducerent, ad reſtaurandam etiam Potentiam ſæcularem animum adjecerunt, Juris iſtius fundamenta tum in Dona- Poteſtas ſæcularis in Eccleſia.

tione Conſtantini, tum Pipini, Caroli Magni, Ludovici Pii, & Ottonis ponebant. Hodie nemo neſcit, cujus pretii ſit Decretum Donationis Conſtantini, ejusque falſitatem omnes magis agnoſcunt, quam Decretalium Iſidori. Sed illorum Pontificum ætate res iſta ne quidem in dubium vocabatur. S. Bernardus eam utique Donationem veram præſumebat, cum ſcripſit Eugenio Papæ, ipſum non Petri modo ſed etiam Conſtantini eſſe ſucceſſorem. Jam in Sæculo nono nota erat & recepta, vixque eruditi in medio Sæculi XV. errorem ſibi eximi paſſi ſunt. Græci quoque veram putabant, quod ex Scriptis Theodori *Balſamon* teſtatum fit, qui his fabulis prærogativas Sedis Conſtantinopolitanæ ſuperſtruxit.

IV. Conſid. Hiſt. lib. LI. §. 14.

L. LXXIV. §. 50. par. 16. p. 385.

Hiſt. lib. LXXIV. §. 2.

Godefridus Viterbienſis in ſuo Compendio Hiſtoriæ, Urbano III. Papæ inſcripto, ubi de Donatione Conſtantini loquitur; ait, complures exiſtimare, Eccleſiam in primis tribus Sæculis ſanctiorem, in poſterioribus autem feliciorem fuiſſe. Quicunque

que pulcherrimam scilicet sententiam protulit, abjectos plane sensus gerebat, ac non solum Evangelii nobilitate, sed etiam humana Philosophia indignos. Quicunque vel parum supra vulgus sapit, facile intelligit, hujus vitæ felicitatem in virtute non in divitiis sitam esse, Christiano autem Evangelio credenti hac de veritate dubitare nefas est; quam nos JEsus Christus & sermone & exemplo clarissime docuit, cum ipse divitiarum omnium ac dignitatum Dominus & arbiter, his omnibus summo contemtu rejectis, ex hoc mundo discedens nihil nisi paupertatem & ærumnas suis Discipulis reliquit. Unde illam meam quæstionem repeto: an forte in Sæculo XI. sapientia superioribus Sæculis ignota eluxit? an Leo IX. & Gregorius VII. S. Leonem & S. Gregorium, utrumque magnum, sanctitate & prudentia superarunt?

Romani hi Pontifices, Viri maximi, necdum forte satis Ecclesiæ suæ tabulas scrutati fuerant, ut Constan-

tini Donationem invenire potuissent? nullo Principatu, nullis Ditionibus potiebantur; nec tamen unquam conqueri auditi sunt, quidquam potestati suæ deesse, vel fuisse subtractum, ita officiis suis spiritualibus intenti, ut Reipublicæ administrandæ tempus nullum suppeteret. Persuasum sibi habebant, duas in orbe terrarum Potestates illa distinctione separari, quam Gelasius Papa disertissime docuit, cum dixit, Imperatores Episcopis in Ordine rerum ad Religionem spectantium esse subjectos, Episcopos autem, illo qui primam Sedem occupat non excepto, in Ordine ad Regimen Reipublicæ politicum, Imperatorum legibus obedire.

Gelas. ep. 8. ad Anast.

Exinde vero nemo inferat, non licere viris Ecclesiasticis æque ac laicis bona temporalia omnis generis possidere. Vidisti enim, Lector, a primis Sæculis etiam sub Regno Imperatorum Gentilium Ecclesias bona immobilia habuisse, & Episcopis jure proprietatis varia bona atque etiam mancipia fuisse. Ex quibus sequitur,

Hist. lib. XXX. §. 31.

tur, quod etiam Dominationes possidere potuerint, postquam Regum impotentia, & subversa Politia, Jurisdictio in quasdam ditiones non nullis jure hæreditario concessa est, & pars Potestatis publicæ privatis tradita. Nam sub Romanorum Imperio ignota fuit ista Dominationis partitio. Nemo tunc Dominus, nemo Princeps, nisi solus Imperator erat. Ubi vero publica Jurisdictio quibusdam fundis & urbibus annexa est, his terris Ecclesiæ datis, utique etiam Jurisdictio dabatur; sicque Episcopi Dignitatem Comitum, Ducum, Principum consecuti sunt, quales hodieque in Germania existunt. Ita etiam, quod a primævo eorum Instituto remotissimum est, Monachi, quos sua humilitas infra omnes homines posuerat, subito subditis & Vasallis imperare visi sunt, eorumque Abbates locum inter Optimates & Principes occuparunt. Omnia hæc jura æquitate nituntur, tam parum enim istis Ecclesia, quam Laici, exui potest. Utque ad Ecclesiam Romanam mea reducatur o-

ratio; Juſtitiæ leges enormiter læderet, quicunque huic Eccleſiæ jus Principatus in urbem Romam, & magnam Italiæ partem abjudicare præſumeret, cujus poſſeſſione per tot Sæcula fruitur, cum Regum plerique meliorem longa poſſeſſione Titulum producere nequeant.

Jure igitur damnatus eſt Arnaldus Brixienſis, quod Romanos ad ſeditionem contra Papam excitaverit, affirmans, nulli Clericorum licere Ditiones, agros, aut quascunque res immobiles poſſidere, ſed ipſis de eleemoſynis, & a Fidelibus ſponte oblatis, vivendum eſſe. Fateor tamen, quod vehementer optaſſem, in Scriptoribus Arnaldo coævis invenire argumenta, quibus errores ejus refutabantur. Duæ enim S. Bernardi Epiſtolæ in hac cauſa ad Romanos datæ, Declamationes oratoriæ ſunt, omiſſis argumentis, & Jus Pontificis minime dubium præſumunt. Quia nempe Donationem Conſtantini ad examen non vocabat, ut ſuperius memoravimus; quæ Conſtitutio, cum

Ep. 243. *&* 244.

genuina

genuina crederetur, tam factum quam Jus singulare Pontificis demonstrabat. Jus autem commune ceterorum Clericorum, aliunde, ut paulo ante ostendi, stabilitum erat & certum (*).

§. X.

Incommoda Potestatem sæcularem comitantia. 1. *Cor.* 6.

At Clericos memores esse oportuisset Doctrinæ, quam ab Apostolo accepimus; non omnia quæ licent semper expedire. Pensare cum antiquis præstitisset, angustos esse limites humani ingenii, regendis populis, cum potestate spirituali simul & sæculari, non sufficientis. Saltem prudentiam

(*) Argumenta, quæ hic Fleurius a S. Bernardo & ab aliis requirit, petuntur ex Jure Naturæ, quod Christus Dominus, condens Ecclesiam suam, Clericis non abstulit. Cum enim virtutes Humilitatis & Paupertatis commendavit, non omnem Principatum & rerum temporalium possessionem, sed illicitum ad ea affectum damnavit. Secus ex Verbis Christi: *Reges Gentium dominantur eorum*, *Matth.* 20. erui posse videretur, ne quidem Laicis Regibus Christianis licere, subditis dominari, quod affirmare nefas est.

dentiam & facta Veterum revereri, & perpendere debuissent, si Donationis Constantinianæ Constitutio vera fuisset, fieri neutiquam potuisse, ut eam S. Leo & S. Gregorius Magnus Pontifices nescirent, atque si eam extare credidissent, argumenta ipsis sine dubio superfuisse invicta, cur Principatum in illa Donatione sibi assertum rejicerent, quoniam exploratissimum est, sanctos Viros ab hac potestate abstinuisse. Secuta plus quam annorum sexcentorum exempla satis superque demonstrarunt, quam sapienter illi egissent. Si Episcopi non sint simul Principes, vix quidquam occurret, de quo ipsis & Regibus dissidium nascatur, at cum Episcopis amplas ditiones possidentibus, & principatum obtinentibus, litigandi non fuit finis. Episcopi, qui sanctitate excellebant, fatebantur, onus esse gravius, quam humeri sui ferre possent, si curam rerum temporalium gerere cogerentur. Qua de re S. Chrysostomus conquestus est, &

Synes. ep. 57. p. 198. ep. 121

Hist. Lib. XXII. §. 45

S. Am-

S. Ambrosius regimen sui patrimonii in Fratrem Satyrum transtulit. *Hom. 85. in Matth.*

Cum Ecclesia constituit, neminem ad sacros Ordines admittendum esse, nisi qui Continentiæ propositum fuisset amplexus, non solum in Sacerdotibus illam corporis animique puritatem, sine qua sacra Mysteria continuo tractare non decet, requirebat, sed etiam ut Ministrorum præcipui liberi essent a curis, quæ a conjugio separari nequeunt, & de quibus S. Paulus ait, hominem, uxori alligatum, divisum esse inter Deum & Mundum. *1. Cor. 7. 33.* Quantula autem est cura rei familiaris privatæ, si cum onere totam regendi Rempublicam comparetur? quam leve pondus est mulierem cum quinque sexve liberis alere & regere, si consideremus, quantum sit, centum millibus hominum præesse?

Ita natura comparati sumus, ut objectis rebus sensibilibus multo magis quam spiritualibus moveamur. Principi incumbit punire crimina, seditiosis, & contra se, aut Rempublicam conjuratis, arma opponere. Custodien-

ſtodiendi ſunt fines, defenſio patriæ contra hoſtes, foris imminentes, ſuſcipienda, nulla occaſio ditionem ſuam proferendi negligenda. In eam rem conducendus & alendus eſt exercitus, urbes & oppida munienda, congerendæ opes, quibus tantæ molis negotia perficiantur. Neceſſarium eſt cum Principibus vicinis Epiſtolarum commercium, exploranda eorum conſilia, de mercatura, de armorum ſocietate tranſigendum. Hæc omnia viro politico ſeria videntur & magna, quibus comparata Miniſteria Eccleſiaſtica parva & pæne puerilia ipſi ſunt. In Eccleſia cantare, cum comprecante populo procedere, varios Ritus peragere, Doctrinam Catecheticam rudibus exponere, munera vulgaria æſtimat, quibusvis minoribus Clericis committenda, nihilque nobilius, aut magis neceſſarium, ipſius animo occurrit, quam ſuam potentiam conſervare & premere inimicos. Orare, legere, ſacras Scripturas ſcrutari, ultimo loco ponit, magisque Monacho quam Principi congrua putat,

nec

nec unquam tempus hujusmodi exercitiis dandum supereſt. Notaſti ſine dubio, Lector, S. Bernardum hac ex cauſa timuiſſe, ne Eugenius Papa, negotiorum multitudine obrutus, nec ſui ipſius curam ſatis gereret, nec officio Paſtoris ſatisfaceret, ſed tandem conſcientiæ ſtimulos obſtinato animo contemneret. 1. Con. c. 2.

Dices forte, Lector, Epiſcopum Principem ſibi munera ſpiritualia reſervaturum, & cuidam viro laico regimen Reipublicæ commiſſurum. Nihil minus faciet, ne laicus ille Miniſter re ipſa Princeps evadat. Sed alteri curam rerum ſpiritualium committere ſatius videbitur, cum nihil ſit cur timeat Presbyterum, Vicarium Generalem aut Epiſcopum Suffraganeum. His igitur facile & lubenter relinquet Theologiæ & Canonum ſtudium, Prædicationis laborem, curam animarum, de quibus ſibi rationem ſummatim & perfunctorie reddi expetet. Contra vero ſedulo & accuratiſſime cognoſcere volet militum ſuorum numerum, urbium & munimento-

mentorum robur, vectigalium & ærarii sui rationes. Regiminis politici partem in viros Ecclesiasticos, quibus magis quam Laicis fidit, transferet, qui vero, Clericorum speciem præbentes, ipso opere Præfecti Sæculares erunt. Si de verborum meorum veritate dubitas, Lector, cogita, qua dispositione potentissimi illi in Germania & Polonia Præsules Diœceses suas & Ditiones regant. Ita experientia tibi veterum sapientiam ostendet, atque Potestatis sæcularis ac spiritualis connexionem nec Religioni nec Reipublicæ profuisse docebit.

Ut de Religione loquamur, evidenter patet, melius Ecclesiæ fuisse consultum, dum Episcopi non Principes & rebus spiritualibus unice intenti, quales erant S. Ambrosius & S. Augustinus, eam regebant. Hi plerumque Fidelium Congregationi præerant, sanctum Sacrificium offerebant, cui semper sermones ad docendum populum jungebant. Ipsi Concionatores, ipsi Ecclesiarum suarum

rum Theologi, erant. Longe majoris efficaciæ fuit verbum Dei in ore Episcoporum, quos propriæ Dignitatis auctoritas & eximiæ virtutes commendabant, quam in ore simplicis Presbyteri sæpe hominis exteri, vel mercede conducti. Theologiam magis serio, & methodo nobiliore Pastores hi, non obstantibus tot aliis & maximis laboribus, tractabant, quam Doctores otiosi, qui subtilissime disputantes non tam veritatis studio, quam Collegas suos superandi cupiditate, novellas quæstiones proferebant. SS. Patres eo solum consilio Quæstiones Theologicas edebant in lucem, ut Hæreses, sua ætate nascentes, opprimerent. Minutatim, quantum materia sinebat, Catechesim exponebant, eamque Doctrinam, quæ ad conversionem peccatorum & directionem Pœnitentium faciebat, explicabant. Ipsi dissidentes reconciliabant, pacem firmabant, pusillos consilio juvabant, viam virtutis capessentes ducebant. Quæ omnia ex ipsorum Epistolis cognoscimus.

At

At a ſanctis hiſce Epiſcopis præter bona ſpiritualia nihil expectandum, nemini pinguioris fortunæ occaſio erant. Verum id quidem, ſed hoc ipſum ſancti Antiſtites magno Religionis bono omittebant. Non enim ſine gravi cauſa JEſus Chriſtus, divina Sapientia, pauper naſci voluit, & omnibus rebus, quibus hominum cupiditas irritatur, deſtitutus. Oportebat Diſcipulos non humanis opibus, ſed ſolius veritatis vi & amore virtutis tractos ipſum ſequi. Voluit ſuos ſectatores ſibi ſimiles exiſtere, atque eos nullis ad ſibi adhærendum illecebris, niſi perfectionis deſiderio & bonorum æternorum ſpe capi. Quicunque credit, dona fortunæ, qualiacunque demum, divitiæ, honores, potentia, Principum favor ad introducendum Evangelium idonea eſſe, fallitur (intrepide affirmo) & ſpiritu Evangelii non agitur. Hujus rei argumentum omnibus liquet; ſi enim tibi Chriſti Religionem prædicanti divitiæ ſint aut dignitates, quas auditoribus diſtribuas, diſcernere haud

poteris,

poteris, quid potissimum ipsos ad auscultandum moveat. Nescies, an opulentiores vel meliores Christiani fieri cupiant. Haud aberit periculum, ne neutiquam bonos Christianos sed hypocritas efficias. Vel potius, ut quod verius est fateamur, nullos alios discipulos quam hypocritas habebis, cum plerique hominum solius boni terreni amore tangantur.

Nec dicas, optimum fore, si utrumque, id est, utile dulci misceas, & hominum animos, quorum explorata est fragilitas, tam caducorum quam æternorum bonorum spe trahere volueris; nam JEsus Christus, quo nemo melius mortalium ingenia comprehendebat, nihil unquam suis præter æternam felicitatem promisit. His ergo, qui talia affirmant, amor proprius illudit, & cum Evangelium prædicant, interim hujus mundi opibus & honoribus fruuntur, quibus subsidiis animas se lucraturos putant.

Sed ad naturam Episcopatus, unde digressi sumus, redeamus, atque ex dictis inferamus, ignorantiæ & sim-

plicitati Episcoporum adscribendum esse, quod Principatum, Potestati Pastorali additum, ad stabiliendam Religionem quidquam conferre crediderint. Pro sola Ecclesia Romana singulare video argumentum, quo utramque consociari potestatem debere probetur. Quippe quamdiu Romanum stetit Imperium, immensa ejus amplitudo totum ferme Christianum orbem complectebatur, sed postquam Europa in plures Reges, quorum nullus alteri subest, divisa est, si Papa uni eorum fuisset subjectus, timendum erat, ne ceteri Episcopum, alteri obnoxium, Patrem communem venerari detrectassent, ideoque schismata frequentissime Ecclesiam laceravissent. Credibile ergo est, Divinæ Providentiæ pro Ecclesia sua vigilantis beneficio factum, ut Romanus Pontifex a Regum Jurisdictione exemtus existeret, ac validæ ditionis Dominus, ne ab aliis Principibus facili negotio opprimi posset, potestate autem sua spirituali libere uteretur, & ceteros Episcopos omnes in officio contineret.

Hæc

Hæc magni noſtra ætate Epiſcopi ſententia fuit.

Si vero generaliter de conjunctione utriusque poteſtatis in Epiſcopis agamus, ideo illa haud dubie emolumentum Religioni afferret, quod ita boni mores, qui Doctrinæ Chriſtianæ fructus ſunt, facilius inveherentur & conſervarentur. Nam JEſus Chriſtus non ideo ſolum venit, ut nos veritatem theoreticam doceret, ſed venit, ſicut loquitur S. Paulus, *ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Tit. 2. 14. Si itaque cura morum finis veræ Politicæ, primumque Principum Chriſtianorum officium eſt, multo magis perfectio morum ad viros Eccleſiaſticos pertinet, quorum eſt alios ad vitæ ſanctitatem perducere. Ceterum illi, quibus obtigit per Principum Eccleſiaſticorum ditiones iter facere, nobis dicant, an in iis minus vitiorum & ſcandalorum deprehendatur, an rarius committantur crimina, an major in via publica peregrinantibus ſecuritas ſit, an in commerciis

fides ſanctius ſervetur, denique an ex eorum Diœceſanis major morum puritas quam ex Principum ſæcularium ſubditis eluceſcat.

Quin imo nunquam ad aures meas pervenit, populos ſub Principibus Eccleſiaſticis, ſi bona terreſtria ſpectentur, majore felicitate, quam ſub Principibus ſæcularibus, frui. Sed contra, quia ſacerdotium a militia abhorret, Principum Eccleſiaſticorum populi ab hoſtibus exteris ſæpius laceſſuntur. Et quia Principatus Clericorum ad hæredes non tranſit, propinqui Principis & Præfecti rebus præſentibus, non ſine injuria populi, in commodum ſuum uti ſolent, de ſalute Reipublicæ, an nempe civium numerus augeatur, agri excolantur, incolarum induſtria propoſitis præmiis excitetur, mercaturæ ſtudioſi adjuventur, artes floreant, omnis generis commoda & abundantia in patriam advehantur, parum ſoliciti. His enim curis Magiſtratus in Statu Democratico, vel Reges, poſteris de

ſuo

ſuo ſanguine editis conſulturi, magis utique, quam Clerici tanguntur (*).

(*) Magna fiducia, & libere admodum, ne dicam temere, Fleurius de Principali poteſtate in Germania cum Epiſcopali conjuncta diſputat, quærit, dubitat, affirmat. Certiſſimum Poſſeſſionis Jus tam bonorum temporalium, quam Principatus ſæcularis ipſe Fleurius Epiſcopis non denegat; Dignitas vero poteſtasque Principalis Epiſcoporum in Germania Religionis Catholicæ Majeſtatem mirum quantum exornant, fidemque populorum ſuſtentant. Averruncent Superi! ne Principatus Cathedrarum Monaſterienſis, Hildesheimenſis, & Paderbornenſis, ſi funeſtus fuerit hujus belli, anno milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo adhuc Germaniam miſere perturbantis exitus, ad manus Proteſtantium Principum transferantur; nam ingens immineret periculum, ne Fides Catholica ſenſim ex illis regionibus migrare cogeretur. Ceterum, ſi aliquando Fleurio obtigiſſet per Principum & Electorum Eccleſiaſticorum Ditiones in Germania iter facere, in iis neutiquam plura vitia & ſcandala deprehendiſſet, neutiquam frequentius commitii crimina, æqualem in viis publicis ſecuritatem peregrinantibus præſtari, æque ſancte in commerciis fidem ſervari, denique ex eorum Diœceſanis æqualem (ne majorem, ut comparationis odium devitem, dicam) morum puritatem in Germania noſtra

In Eccleſia Græcorum nulli occurrunt Epiſcopi Principes; quia labefactato etiam Imperio ſuo ſemper Traditionem Legum Romanarum & ſanæ antiquitatis Regulas ſecuti ſunt. Itaque in Græcia tota poteſtas publica in Principe ſita erat, & nulli pars jurisdictionis niſi Magiſtratum & munera Reipublicæ gerentibus communicabatur, nunquam autem privatis ita commiſſa eſt, ut jure proprietatis eam

noſtra, ac ex Principum ſæcularium ubique terrarum, atque etiam Regis in Gallia ſua ſubditis eluceſcere, nec etiam eosdem minore ſub Epiſcopis Principibus in temporalibus felicitate frui ſpectaſſet, omnemque dubitationem procul abjeciſſet.

Solide autem differit Fleurius, cum in eodem paragrapho dicit, quod pro ſola Eccleſia Romana diſpiciat argumentum, quo, utramque conſociari poteſtatem debere, probetur, idque Divinæ Providentiæ opus ſingulare videatur. Sic enim, poſt collapſas ceteras omnes Orientis Patriarchales Cathedras, ſtupentibus omnibus in orbe terrarum contra hanc Eccleſiam Proteſtantibus, hodieque Romana Petri Sedes ſtat, & niſi peccata Chriſtianorum noceant, usque ad finem ſæculorum, non alibi quam Romæ ſtabit.

eam haberent. Unde Græcis scandalum creabatur, quod viderent Episcopos nostros Principatus tenere, quos ut contra hostes tuerentur, militem conscriberent, in castra educerent, ipsique armis & lorica fulgentibus in aciem procederent. Eorum aliquis dicere auditus est, Papam Romanum non Episcopum sed Imperatorem esse. Quæ de Episcopis Græcorum affero, etiam de Præsulibus Syrorum aliorumque in Oriente accipienda sunt, priusquam in Dominationem Musulmannorum incidissent; postmodum enim mancipiis similiores, quam Principibus, fuere. *Chr. Cass. IV c. 116.*

§. XI.

Quare spirituali Romani Pontificis potestate, argumentis ex falsis Decretalibus deductis, latius extensa, necesse fuit, Jurisdictionis partem aliis committere, cum nec Papa in remotas provincias proficisci, nec omnes Episcopos ad se vocare posset. Hinc a Sæculo XI. frequentissimæ Legationes adornari cœptæ. Legati ve- **Legati.**

ro duplicis erant generis, Epiſcopi vel Abbates illius provinciæ, in qua cauſa diſcutienda, vel Cardinales Roma illuc miſſi. Legati ex provincia etiam erant diverſi, nempe aliqui ſpeciali Papæ mandato conſtituebantur, alii ſuæ Sedis prærogativa hac auctoritate gaudebant, ſeque Legatos Natos dicebant, quales Archiepiſcopi Moguntinus & Cantuarienſis erant. Porro Legati Roma miſſi Legatos a latere ſe dicebant, ut indicarent, quod ipſos Papa, latus ſuum comitari ſolitos, miſiſſet. Ceterum vocem iſtam ex Concilio Sardicenſi acceperant.

Legati nati ægre ferebant, quod Papa, privilegiis ſuis præteritis, alios conſtitueret; ſed Papa majorem fiduciam ponebat in illis, quos libere delegerat, quam in Præſulibus, vel *Ivo ep. 109.* ſibi ignotis, vel ſuſpectis. Inter illos autem, quos deligebat, populis gratiſſimi erant viri, in ipſa provincia degentes, utpote ad cognoſcendam cauſam & ſententiam proferendam magis idonei, quam exteri, de provincia remota advecti. Inde, vidiſti

Lector,

Lector, quam instanter Ivo Carnotensis Pontifices rogaverit, ne Legatos exteros mitterent. Tales nec in Anglia nec in Francia recipiebantur, nisi eos mitti Reges petiissent. Episcopi haud æquo animo conspiciebant, Conciliis suis Episcopos exteros præesse, & multo minus Presbyterum vel Cardinalem Diaconum; hucusque enim omnes Episcopi Cardinalibus non Episcopis antepositi fuerant. *Hist. Lib. LXVII. §. 11.* *Rog. Hoved. p. 476.* *Hist. lib. LXII. §. 11.*

Nihil vero magis Legatis a latere invidiam creabat, quam eorum fastus, luxus & avaritia. Iter faciebant non suis nec Papæ sumtibus, sed provinciæ, ad quam mittebantur. Ingenti autem comitatu cincti proficiscebantur, nempe viginti quinque saltem equis, hunc enim numerum ne excederent, Concilium Lateranense tertium præscripserat. Quacunque transibant, ab Episcopis & Abbatibus magnifice sustentabantur, & non nunquam Monasteria, ut pecuniæ suppeterent, Vasa sacra vendere cogebantur. Hac de re querelas legi- *c. 4.*

sti. Sed necdum satis! muneribus quoque cumulandi erant Legati, quæ a Principibus illius provinciæ, sæpe etiam a Partibus, quibus administrabant Justitiam, accipiebant. Saltem necessariæ literæ gratis non expediebantur. Tandem Legationes susceptæ Cardinalibus pro aurifodina erant, unde plerumque divitiis onusti revertebantur. Meministi, Lector, quid de his scripserit S. Bernardus, & quanta admiratione dignum censuerit quemdam Legatum, ab avaritia alienum.

IV. Consid. c. 4. 5.

Fructus Legationis sæpissime erat Concilium, quod Legatus, quo tempore & loco ipsi videbatur, convocabat. Ipse Conventui præerat, causas ad se delatas definiebat, & non nullos Canones, ad Disciplinam spectantes, promulgabat, Episcopis approbantibus, vel potius applaudentibus, quoniam non legimus, diu fuisse deliberatum. Ita paulatim Concilia provincilia, quæ quilibet Metropolita singulis annis secundum Canones celebrare tenebatur, exoleverunt.

Digni-

Dignitas Archiepiſcopalis, a Legatorum ſplendore obfuſcata, in titulos & Ritus abiit, quales erant, Pallium gerere, & poſt Crucem ſibi prælatam incedere; ſed auctoritas in ſuos Suffraganeos evanuit, nec alia exinde Concilia, quam præſidentibus S. Sedis Legatis, celebrata. Ego vero (iſtud oblata occaſione adjicio) nullatenus dubito, quin a tempore, quo Legationes erant frequentiſſimæ, origo repetenda ſit illius prærogativæ, qua poſtmodum Cardinales Romanæ Eccleſiæ (nam quælibet Eccleſia ſuos habebat, ſcilicet Presbyteros & Diaconos certis Titulis inſtitutos) omnes Epiſcopos præceſſerunt. Quia nempe in illius ætatis Conciliis conſpiciebant Fideles, Cardinales Legatos non Epiſcopis modo, ſed etiam Archiepiſcopis, Primatibus, Patriarchis præponi, inde nata eſt opinio Cardinalitiæ Dignitatis, nulli niſi auctoritati ſolius Papæ ſecundæ. Quam etiam veſtes Cardinalis, ſolemni pompa procedentis, confirmabant; Cappa, & Pileo Legati proficiſcentes utebantur.

Georg. Acrop. n.17.

tebantur. Cumque color ruber Papæ conveniret, Legati iter facientes eodem colore ornati, Dominum suum clarius referebant, quod quidam Historiæ Scriptor Græcus notavit.

Hæc fuere exordia maximæ in Disciplina mutationis, quam Ecclesia passa est, videlicet abolitio Conciliorum Provincialium, & Auctoritatis Archiepiscopis debitæ imminutio. Sed, amabo, cariſſime Lector! an pulcherrimum Hierarchiæ Ecclesiasticæ Ordinem a tempore nascentis Ecclesiæ sapientiſſime invectum, & per octo decemve Sæcula maximo Religionis bono servatum, sine deliberatione, sine examine, sine causæ cognitione everti oportebat? verumenimvero quam novæ rei causam afferre potuissent? An forte Legati, homines exteri, modico tempore ibi diversaturi, qui mores & linguam Gentis, ad quam veniebant, ignorabant, magis idonei litibus componendis & Disciplinæ restituendæ videri poterant, quam Pastores proprii & perpetui? tum postquam optima licet

Con-

Concilii Decreta promulgaverant, an sperare poterant, Diœcesanos ea servaturos, nisi Episcopi sua auctoritate refractarios compellerent? Inde in hoc capite sicut in aliis inferamus, Disciplinam antiquam mutatam fuisse, sed non in meliorem. Nec etiam Religionem, illo ævo, quo frequentissimæ erant Legationes, magis quam alio, floruisse, dispicimus.

Episcopi & Metropolitæ usque adeo jura sua ignorabant, ut ardenter potestatem Legati sibi expeterent, immemores, quantum auctoritas minor quidem, sed propria, & nemini obnoxia, quam amplior, sed ab altero commodata & precario accepta præstaret. Dixisses, Episcopos nihil in Ecclesia potuisse, nisi auctoritate Pontificum Romanorum fulcirentur; Pontifices vero lubenter gratiam concedebant, qua petentes non indigebant, & Pontificiæ Jurisdictionis fines mirum in modum proferebantur.

Ad hunc rerum ordinem pertinet consuetudo, qua tunc temporis frequentissime Transactiones cum Ecclesiis

cleſiis peractas, & Donationes eis faventes, Papa confirmare rogabatur. Quaſivero hæc pacta ſine hujusmodi confirmatione ſuo valore fuiſſent deſtituta. Gratia ſine neceſſitate petita jus parit concedenti, & quod primum liberæ voluntatis fuit, poſtea neceſſitatis efficitur.

§. XII.

Subſidia pecuniæ.

Pontifices a Sæculo XI. ſæpe Roma exceſſerunt, ſive Romanis, qui Epiſcoporum dominationi aſſueſcere non poterant, ſive Antipaparum furore, cogentibus.

* Orvieto.

Tunc autem in propinquis urbibus, ſcilicet in urbe * veteri, Viterbii, Anagniæ, quo eos tota Curia ſequebatur, verſabantur. Quod notare neceſſario debemus, ne Lectores urbem Romam & Curiam Romanam idem eſſe exiſtiment. Nullibi autem lego, quemquam Scriptorum hac voce *Curia Romana* uſum fuiſſe, ad ſignificandum comitatum Papæ, alteriusve Epiſcopi, quia plerisque admodum profana viſa fuiſſet. Non nunquam

nunquam Papæ ne quidem in tota Italia ſecure degere poterant, & tunc in Franciam ſe ſe recipiebant, ut Innocentius II. & Alexander III. nullibi enim æque tutum ac in Francia aſylum Pontifices, perſecutionem patientes, invenerunt. Et quoniam in commoratione iſta, quæ erat quoddam exilii genus, reditus ſuos ex Italia non percipiebant, vel Regum munificentia, vel ſubſidiis a Clericis ſponte oblatis, ſuſtentari debebant. Quod, ut de aliis taceam, ex Arnulphi Lexovienſis ſermone, cum Concilio Turonenſi anno milleſimo centeſimo ſexageſimo tertio initium daretur, habito diſpicimus. Hæc fuere principia ſubſidii pecuniarii, quod deinde Pontifices, ſive belli gerendi, ſive alterius negotii cauſa, a Principibus vel Eccleſiis ſæpe poſtularunt, ac primum, movente caritate, conceſſum, poſtea tanquam debitum extorqueri cœpit. Quanta in hac vitæ ratione diverſitas a moribus S. Gregorii, qui ingentem eleemoſynæ vim in provincias ſpargebat, S. Dionyſii Papæ, qui afflictis

Hiſt. Lib. LXX. §. 63.

Baſil. ep. 220

Euſ. IV. hiſt. c.23. afflictis Cappadociæ, provinciæ remotiſſimæ, Eccleſiis ſuccurrebat, atque, ut antiquiora repetamus, S. Papæ Soteris, de quo S. Dionyſius Corinthius illuſtri teſtimonio affirmat, in Eccleſias Græciæ fuiſſe munificentiſſimum! Nempe ex memoria exciderat nobiliſſima Chriſtianæ paupertatis libertas, & regula a Servatore noſtro tradita; *Beatius eſſe dare, quam accipere.*

Hiſt. Lib. III. §.58.

Act.20.35.

§. XIII.

Quod tota Veritas ſit manifeſtanda.

Triſtis labor eſt, ſentio, haud boni exempli facta iterum iterumque commemorare, timeoque, ne Lectoribus, quorum major eſt pietas, quam perſpicacia, ſcandali occaſionem præbeam. Dicent forſan, hæc facta in narratione hiſtorica fuiſſe diſſimulanda, aut ſaltem, ſemel relata, non iterum in Diſſertatione repetenda. Sed Hiſtoriæ fundamentum eſt veritas, quam haud integra fide exponit, qui aliquam ejus partem ſilentio premit. Principis facies exhibita a pictore, cujus penicillum adulatio duxit;

xit, ſincera non eſt. Hujusmodi plerumque ſunt orationes panegyricæ, in quibus quæcunque in homine laudabilia ſunt proferuntur, diſſimulatis omnibus vitiis. Inepta eſt hæc aſtutia, quam viri prudentes oderunt; Lectorem ad perquirendos nævos magis accendes, quos tam ſolicite celaveris. Eſtque aliquod mendacii genus, unam tantum veritatis partem proferre. Nemo ad Hiſtoriam ſcribendam obligatur, quicunque vero hunc laborem ſuſcipit, totam veritatem referre tenetur. Dominus Spondanus Epiſcopus Apamienſis*, poſtquam eximias laudes Guiciardino Hiſtorico tribuit, ſubjungit: *Si non nunquam Principes, aliosve, de quibus ſcribit, acriter perſtringit, non Scriptoris ſed eorum culpa id fit, qui acerbam cenſuram meruerunt. Quin ipſe magis reprehenſione dignus eſſet, ſi male facta præteriret, quæ manifeſtata alios ſapientiores efficere, & abſtrahere poteſt, ne ſimilia peccent, ſaltem incuſſo timore futuræ ignominiæ, juxta illud Evan-*

Ann. Eccles. an. 1534. n. 18

* Pamiers

Matt. 10. 26. gelii: *Nihil est opertum, quod non revelabitur.*

Hoc exemplum Scriptores Historiæ sacræ nobis reliquerunt. Moyses nec populi sui crimina, nec proprios nævos dissimulat. David peccatum suum, cum omnibus adjunctis, posteritati notum fieri voluit, & in Novo Testamento omnes Evangelistæ S. Petri lapsum accurate narraverunt. Sinceritate nititur vera Religio, nullius politiæ humanæ, nec artis, nec fuci, indiga.

Sicut Deus mala esse permittit, quæ ne acciderent, efficere potuisset, quia exinde bona pro electis suis eruit, ita credere debemus, divinam sapientiam in nostrum emolumentum conversuram esse cognitionem tot vitiorum, quæ in Ecclesia sua toleravit. Si errores illi ita fuissent sublati, ut nulla eorum amplius supereſſent vestigia, tunc forte æterna oblivione sepultos non amplius in lucem protrahere oporteret; sed eheu! effectus funesti quotidie oculis nostris obversantur, infausta pristinorum malorum soboles,

soboles, nempe Hæreses, quæ Ecclesiæ viscera ab annis ducentis dividunt, ignorantia & superstitio, quæ in quibusdam Catholicis Regionibus dominantur, & Doctrinæ Moralis corruptio, ex novis principiis nata. An inutile putabis, Lector, gravissimorum malorum originem cognoscere (*)?

Quod si vero memoriam antiquorum errorum delere vellemus, actum ageremus, nisi forte libros omnes & documenta sex septemve posteriorum sæculorum ex omnium hominum manibus oculisque excutiamus. Quis vero ad exequendum hoc propositum sufficeret? Demus, Catholicos con-

(*) De quibus Catholicorum Regionibus loquatur hic Fleurius, non liquet. Nullum tamen exinde argumentum, ex quo Protestantes Religionem Catholicam damnent, nascitur; si enim alicubi vel superstitio vel superstitionis species grassatur, privatorum erratum & peccatum est, non Ecclesiæ, omnem superstitionem districte prohibentis, & suadentis, ut pusillis, hypocritis, calumniatoribus, ac Protestantibus etiam superstitionis umbra subtrahatur.

ſentire, an non reluctabuntur Hæretici? an non eo majore cura hæcce monumenta cuſtodirent, quo majore deſiderio ea abolendi teneri nos ſcirent? Cum itaque fieri non poſſit, ut iſtorum erratorum memoria obliteretur, an non expedit, ea a Catholicis Scriptoribus fideliter, ſincere, ſimpliciter, ſine exaggeratione referri, quam relinqui furori Proteſtantium, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam, ubi occurrunt abuſus, corrumpunt, adulterant, & doctrinæ ſuæ peſte inficiunt. An non præſtet, Chriſtianis optimæ mentis oſtendere, medium rationi conſentaneum eſſe tenendum, atque nec nimium laudandi nec vituperandi ſtudio indulgendum? namque non nulli moderni Scriptores in alterutro peccant. Papa non eſt Anti-Chriſtus, abſit! ſed neque ab omni peccato eſt immunis, neque in Eccleſia, ſive ſpiritualia ſive temporalia ſpectemus, Monarcha liberrimus. Vota Monaſtica neutiquam ex officina Diaboli prodierunt, ſed Monachi lapſu temporis rigorem Regulæ relaxarunt, ſuis-

ſuisque divitiis & privilegiis ſæpe abuſi ſunt.

Eſt in Eccleſia poteſtas concedendi Indulgentiam, ſed pœnitentia canonica magis ſalutaris fuit. Theologi Scholaſtici non ſunt temnendi Sophiſtæ, nam ſanæ Doctrinæ Traditionem conſervarunt, ſed quæ dicunt cœca admiratione digna haud ſunt, nec ipſi SS. Patribus anteponendi.

Forſitan, nam quis novit vias Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? forſitan ideo permiſit Deus, Eccleſiam ſuam his vitiis turbari, ut propria experientia diſcerent Fideles, ſua præcepta ad literam eſſe ſervanda, & Religionem Regulis prudentiæ mundanæ non fulciendam.

Putas, beatiorem te futurum, ſi divitias & virtutes conjungas. Sed experieris, quantæ difficultatis res ſit, ſimul virtutes colere, & opibus abundare. Credis, a poteſtate ſæculari majorem auctoritatem ſacerdotio accedere; ſed ſic genuina Sacerdotis auctoritate, quæ in exiſtimatio-

ne, amore & fiducia populi ſita eſt, amiſſa, umbram captabis. Speras, fore, ut terribilis evadas, & obedientiam promtam extorqueas, ſi Cenſuris Eccleſiaſticis haud parcas; falleris, pœnæ ſpirituales ſi crebro nimis inferantur, contemnuntur & fructu carent. Saltem ex factorum præteritorum evidentia ſape, & Patrum tuorum error tua Doctrina ſit.

Duo hominum genera carpunt licentiam, qua facta, haud ſane laudanda, a Scriptore Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ referuntur. Aliqui ſunt Politici & profani, qui, cum veram Religionem non cognoſcant, eam eodem in pretio ac falſam habent, putant eſſe inventum humanum, quo vulgus in officio contineatur, eaque omnia ſilentio involvenda eſſe credunt, quæcunque Religionis reverentiam in populorum mentibus imminuere, id eſt, ipſorum opinione, errorem eximere poſſet. Cum his Politicis res mihi non eſt. Omnia enim ab ovo repetenda eſſent, atque ipſi ante omnia docendi ac convertendi. At ſatisfa-

cien-

ciendum mihi esse credo, idque maxime, si possum, cupio, viris probis & anxiis, qui piissimi quidem, sed non satis eruditi, cum improbis paulo ante memoratis trepidant, ubi non est timendi locus, ad hos dicerem, quid formidatis? an cognitionem veritatis horretis? ergo in errore aut saltem in ignorantia perseverare vultis? an vero, salva conscientia, hæc ignorare vobis licet? vobis, inquam, quorum officium est, ignorantes docere? Viris Ecclesiasticis enim loquor, quibus præcipue Historiam Ecclesiæ & Religionis scire incumbit.

Quis Scriptor, in Sæculi nostri luce, contendere possit Constantini Donationem, & Isidori Decretales non esse commentitias? si autem falsæ sunt, quo pacto doctrina, ex fontibus inquinatis hausta, pura esse possit?

Restat, ut bona fide fateamur, Gregorium VII. & Innocentium III. falsis decretalibus, & Theologorum ætatis suæ noxiis ineptisque argumentationibus deceptos, plus quam

par erat auctoritatem suam protulisse, atque hac ipsa extensione invidiosam effeciſſe. Absit, ut errorem defendamus, cujus causam cognoscimus, & effectus deflendos sentimus!

Nam, quidquid dicant Adversarii, exploratissimum est, quod prima Sæcula majorem quam posteriora Sanctorum Pontificum numerum Ecclesiæ dederint, quod mores Ecclesiæ Romanæ castigatiores, & Disciplina perfectior fuerint.

Quis vero credat, quod tunc demum Pontifices jura sua cognoscere, & totam potestatis suæ amplitudinem adhibere inceperint, cum vita eorum minus quam Antecessorum suorum sancta, & gregis Romani, ipsis singularius commissi, minor pietas fuit?

Hæc consideratio contra novæ disciplinæ regulas ingens affert præjudicium.

§. XIV.

Rigor in Hæreticos.

Porro nulla alia in Disciplina mutatio magis Ecclesiæ famæ nocuit, quam rigor contra Hæreticos aliosve Excom-

excommunicatos adhibitus. Obſervaſti, Lector, quam acriter Severus Sulpitius ambos Epiſcopos Idacium & Ithacium vituperet, quod opem Judicum ſæcularium expetierint, ad Priſcillianiſtas ex urbibus ejiciendos, & probrum Epiſcoporum ordini illatum dicat, quod eos in Curia Gratiani Imperatoris perſecuti fuerint. Hos Epiſcopos deinde multo magis omnes boni indignati ſunt, cum eos in urbem Trevirenſem cum reis proficiſcentes conſpexerunt, ut ibi Actorum officium obirent. *Hiſt. lib. XVII. §. 58. Sulp. hiſt. lib. 2.*

Urgebat Ithacium S. Martinus, ut a propoſito deſiſteret, & Maximum Imperatorem rogabat, ut parceret Hæreticorum ſanguini. Poſtquam autem ultimo ſupplicio ſublati fuerunt, S. Ambroſius & S. Martinus nec cum Ithacio nec cum Epiſcopis, in ejus communione perſeverantibus, amplius communicarunt, quamvis illi Imperatoris tutela fruerentur. Quin Theognoſtus Epiſcopus ſententiam in eos publice denunciavit. Tandem S. Martinum toto reliquæ vitæ tem- *L. XVIII. §. 29. 30.*

pore pœnituit, quod ad tempus cum Ithacianis communicaſſet, etſi id nullo alio feciſſet conſilio, quam ut vitam innocentibus ſervaret (*). Usque adeo res horrenda videbatur, Epiſcopos mortis his Hæreticis illatæ participes extitiſſe, non obſtante, quod
n. 39. Priſcilllianiſtæ aliqua abominandæ Sectæ Manichæorum pars eſſent.

Donatiſtæ, maxime vero eorum Circumcelliones in Catholicos inaudita crudelitate ſæviebant. Nihilominus Epiſtolam S. Auguſtini ad Donatum, Africæ Proconſulem, amicum ſuum, cui Decreta in Legibus Cæſareis exequi incumbebat, ſcriptam habemus in hunc modum: *Quando in Judicio coram te Eccleſiæ cauſa agitur, quantumvis atroces ſint injuriæ, quas paſſa eſt, rogamus; noli commiſſi tibi in reorum vitam necemve arbitrii memor eſſe. Noli has preces noſtras pro iis ad te delatas, quorum eme-*

Ep. 100. *al.* 127. *Hiſt. Lib. XXII. §.* 18

(*) Nempe, S. Martinus non ſolum pro Hæreticis, ſed etiam pro aliis miſeris damnatis deprecaturus advenerat.

emendationem a Deo petimus, spernere. Ut enim sileam, nos nunquam a proposito, improbos bonitate nostra vincendi, dimoveri oportere, cogita solis Viris Ecclesiasticis curæ esse, pro causis Ecclesiæ ad tuum Tribunal converti; si ergo reis vitam adimis, nobis simul eripis accusandi libertatem, & licentius profecto in nos furent, si sciverint, in iis nos deprehensos angustiis, ut hostibus jugulum præbere cogamur, ne contra Leges Christi in hostes crudeles simus, si a nobis accusatos gladio percusseris. In Epilogo verba addit notatu dignissima: *Utcunque grande sit malum, a quo homines abstrahere cupias, & magnum sit bonum, quod ut amplectantur persuadere velis, in isto labore plus oneris quam utilitatis invenies, si vi illata cogas, quam potius docendo allicias & permoveas.*

Eadem mansuetudine S. Augustinus elapsis exinde aliquot annis Marcellino Comiti pro Donatistis scripsit, qui quemdam Presbyterum Hipponensem necaverant, & alium mutilave-

Ep. 133. *al.* 159. laverant. Obsecrat, ne tanta atrocitate, quanta ipsi Catholicos habuissent, in reos animadvertat, & subjungit: *Possemus quidem eorum mortem dissimulare, quia eos nec accusavimus, nec tibi tradidimus. Optamus tamen, ne servorum Dei cædes pœna talionis vindicetur.* Scribens quoque Apringio Proconsuli, ait; Acta Judicii, contra Hæreticos illos instituti, in Ecclesia prælegenda esse, ut ii, quos seduxissent, ad frugem reducerentur, & addit: *Vis, ut nobis non liceat hæc Acta usque ad finem recitare, si miserorum cruentum exitum referant?* In alia ad Marcellinum Epistola dicit S. Pater, probrum inferri servorum Dei Martyrio, si Judices eorum mortem, effuso persecutorum sanguine, ulciscantur. Tumque exemplum Martyrum Anagnienſium adducit.

Hist. lib. XXII. §. 47.

ep. 134. *al.* 160.

ep. 139. *al.* 158.

Erant vero hi Martyres tres Viri Ecclesiastici a Barbaris territorii Tridentini, quibus Evangelium prædicabant, occisi. Capti quidem sunt latrones, sed exorantibus Christianis vitæ

Hist. lib. XX. §. 22.

vitæ gratiam facile conceſſit Imperator. Ante annos vero decem duodecimve illo martyrio ſuperiores, cum Marcellum Epiſcopum Apameenſem in Syria Pagani vivum flammis tradidiſſent, quod ipſorum fanum diruiſſet, & filii ejus peremtum patrem ulciſci vellent, id Provinciæ Concilium prohibuit, pronuncians, æquum non eſſe, pœnas expoſcere ob cædem, pro qua magis gratiæ Deo agendæ eſſent. Ex pluribus aliis exemplis iſtud potiſſimum mihi viſum eſt referendum, quia nihil clarius oſtendit, quo ſpiritu Eccleſia ageretur, quam totius Concilii definitio. *Lib. XVIII.* §. 39. *Sozom. VII c. 16.*

Verum ſanctiſſimæ Diſciplinæ hujus oblivio jam Sæculo VIII. irrepſerat. S. Bonifacii Moguntini mortem illius Regionis Chriſtiani ulti ſunt, & multi Gentiles in illo furore interfecti. Cum Boleslaus S. Wenceslaum Ducem Bohemiæ, fratrem ſuum, odio Religionis accenſus, trucidaſſet, Otto I. Rex Germaniæ pœnas mortis Martyri illatæ, moto bello expetiit. Cum Boleslaus, crudelis dictus *Hiſt. lib. XLIII.* §. 21 *Hiſt Lib. LV.* §. 21. *Hiſt. Lib. LXII.* §. 62.

dictus, Rex Poloniæ, Sanctum Stanislaum Episcopum Cracovienſem ſua manu obtruncaſſet, a Gregorio VII. Papa Regia Dignitate exutus eſt, ſi Scriptoribus Hiſtoriæ Polonis fides. Ut cædes S. Thomæ Cantuarienſis peracta eſt, Rex Franciæ & Archiepiſcopus Senonenſis, Regis affinis, miſſis ad Papam Nunciis petierunt, ut ſe ſceleris Vindicem exhiberet, licet occiſum Archiepiſcopum Martyrem affirmarent. Ac Pontifex vix ſummis precibus flecti potuit, ne, Rege Angliæ excommunicato, Regnum quoque totum Interdicto ſubjiceret, quibus fulminibus icta Regum ſolia illa ætate periculose vacillabant. Quare perterritus Rex in Hiberniam fugit, donec per nuncios certo conſtaret, ipſum Romæ fuiſſe abſolutum. Innocentius III. Papa duriſſime conſuluit in Comitem Toloſanum, qui necis Beato Petro de Caſtronovo * paratæ auctor habebatur. Nam eum excommunicatum denunciari juſſit, omnes, qui Comiti juramento obſtricti eſſent, abſolutos decla-

Hiſt. lib. LXXII. §. 34. 37.

Hiſt. lib. LXXVI. §. 38.

* Caſtelnau

declaravit, & cuicunque Catholicorum potestatem fecit, qua manus Principi huic injicere, ac ipsius Ditiones occupare liceret. Tandem ab antiquæ Disciplinæ Ecclesiasticæ lenitate nihil magis alienum, quam Henrici Archiepiscopi Colonienſis furor, quo mortem S. Engelberti Antecessoris sui ultus est. Ut primum Archiepiscopus electus est Henricus, jurejurando se obligat, nunquam, quoad viveret, daturum se quieti caput, prius quam reus paricidium sanguine luisset. Tum corpus peremti secum ad Comitia deferri jubet, funus Regi * Principibusque ostendit, Imperii Bannum contra Fridericum Comitem, facinoris auctorem, denunciari curat, mille marcas argenti proditionis præmium per præconem ei promittit, quicunque Fridericum sibi dederet, tradenti geminatam mercedem persolvit, & captum, frustraque sinceriſſimam facti pœnitentiam profitentem, enſe carnificis ferit.

Hist. lib. LXXIX. §. 11. 12. 20.

vit. S. Engel. Sur. 7. Nov.

* Germaniæ

Si ea, quæ ad Hæreticos spectabant, repetamus, illi, qui Aureliani depre-

Hist. Lib. LVIII. §. 53.

Hist. lib. LXVI. §. 10.

deprehenſi fuerunt, ſine mora in ignem conjecti; etſi Epiſcopi ſupplicium non expetiiſſe, nec etiam obſtitiſſe leguntur. At Bogomilos Manichæos, ceu etiam illos, quos Alexius Comnenus Imperator Conſtantinopoli detexit, ipſi Clerici & Patriarcha flammis addixerunt. Nam hoc ſupplicio tolli ſolebant Hæretici, qui Cathari, Patarini, Albigenſes, pro diverſitate provinciarum, dicebantur, omnes vero Manichæi. Hi capite damnati fuerant, jam Sæculo IV. ab Imperatore Theodoſio, & poſtea etiam a Juſtino Imperatore; nec gravior merito erat pœna, cum omnibus bonis abominanda docerent, agerentque, ſed eam urgere Viros Eccleſiaſticos non decebat. Quandoquidem memoravimus, Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. agnoviſſe, vindictam cruentam ab Eccleſia rejici, quamvis legibus Principum Chriſtianorum ad reprimendos Hæreticos adjuvari patiatur. Certa ſemper & conſtans fuit hæc Regula.

l. 9. Cod. Theod de hær. l. 12.

Hist. Lib. XVIII. §. 9.

Hist. Lib XXXI. §. 59

Can. 27.

Hist. Lib. LXXIII. §. 22.

Sed

Sed ipso opere non semper implета. Quando Innocentius III. Papa, datis literis, Philippum Augustum Regem stimulabat ad inferenda Albigensibus arma, & quando Bellum sacrum in eos movendum in Francia prædicari jubebat, an vindictam cruentam rejicere dici poterat? De Bello sacro in Palæstinam summatim in alio sermone differam, hic mihi solum de pœnis Hæreticorum verba facere animus est, & candide fateor, quod facta virorum Ecclesiasticorum in Sæculo XIII. cum moribus Sanctorum in Sæculo IV. conciliare nequeam. Cum conspicio Episcopos, & Abbates Ordinis Cistercienſis Ductores exercituum, a quibus Hæreticorum agmina ingenti strage, quod in obsidione Bliterarum * factum scimus, fundebantur. Cum audio Abbatem Cistercienſem mortem Hæreticorum Minerbienſium exoptare, quamvis ipse, Monachus & Sacerdos, eos aperte condemnare non auderet. Cum lego, hos miserabiles a militibus sacris, ut sæpius refert monachus de

ap. Rain. 1204. n. 65. Hist. Lib. LXXVI. §. 47.

Hist. Albig. c. 16. c. 37.

* Beſiers.

Vauxſernai, ſeu Vallis Sernaji, in Hiſtoria a ſe compoſita, maximo gaudio concremari, veræ Eccleſiæ manſuetudinem & ſpiritum non amplius dignoſco.

Porro, quando Hæreticorum vitæ non parcebatur, obſtupeſcendi locus non eſt, quod bonis ſuis privarentur. Inde vidiſti, Lector, Gregorium VII. Suenoni Regi Daniæ Provinciam opulentam, quam Hæretici tenebant, obtuliſſe, uni filiorum ſuorum loco patrimonii concedendam. Quaſivero Ditiones Hæreticorum jure primi occupantis acquiri legitime poſſent. Exinde Canoniſtæ Regulam ſtatuerunt, Hæreticis non eſſe jus quidquam poſſidendi, nixi quibusdam locis S. Auguſtini a Gratiano relatis. Sed ad omnes Hæreticos, & ad omnia eorum bona extenderunt, quod S. Auguſtinus ſolum de Donatiſtis, de mulctis pecuniariis, ipſis injunctis, & Bonis Eccleſiæ, quæ reſtituere compulſi fuerant, affirmabat, abjicite, Lectores, Gratiani Notas, Synopſin & animadverſiones novas, legite

II. ep. 51. Hiſt. Lib. LXII. §. 19. Diſt 8 c. 1. 23. q. 7. Aug. in Jo. tract. 6 in fine ad Vincent. ep. 93. al. 48. ad Bonif. ep. 85. al. 50. Hiſt. Lib. XXIII. §. 39

legite Autographum, & deprehendetis, nihil illud nisi lenitatem & caritatem redolere, & de nulla alia re ibi agi, quam de Restitutione æquitati consentanea, & pœnis ad convertendos Hæreticos, medicinæ loco, adhibitis.

S. Gregorius Nazianzenus Constantinopolim vocatus, etsi tota Theodosii Imperatoris potentia contra Hæreticos uti potuisset, nulla tamen iis arma, nisi Christianæ patientiæ scutum objecit. Non molestus accidit Magistratibus, non rigorem Legum adhiberi petiit, quas contemnebant. Non solum bona eorum ærario Principis inferri non postulavit, sed ne quidem eos ad restituendos immensos Ecclesiæ suæ reditus, quos ab annis quadraginta diripiebant, compulit. Cuidam Sicario, qui ipsum percussurus usque in ejus cubiculum se penetraverat, generoso pectore ignovit. Se Ecclesiam intrantem lapidibus impeti patienter tulit, & cuidam amicorum petulantiam indignanti respondit: *Bonum est, improbos puniri ad*

Hist. lib. XVII. §. 50. 62.

ep. 81.

aliorum correctionem, sed melius & quasi Divinum, fortiter pati.

Lib. 1. ep. 10. At nobilissimæ mentis sensus e memoria hominum exciderant Sæculo XII. in quo Petrus Cellensis, S. Thomæ Cantuariensi scribens, ajebat; solam patientiam primævæ Ecclesiæ, ab hostibus externis lacessitæ, partem fuisse; *Nunc vero*, addebat, *postquam ad ætatem maturam pervenit, filii refractarii castigandi sunt.* Quasivero Ecclesia, Theodosio Magno imperante, maximo robore non viguisset, aut infirmitate magis quam voluntate persecutiones Gentilium ac Hæreticorum passa fuisset.

§. XV.

Disciplina Pœnitentiæ mutata.

Tristi & fastidiosæ orationi finem imponam, postquam de mutatione Pœnitentiæ Ecclesiasticæ aliqua dixero.

Pœnitentiæ publicæ ritus in supplicia & pœnas temporales mutabantur. Supplicia dico spectacula illa horrenda, quæ populo exhibebantur, cum

cum Pœnitens procederet nudus usque ad cingulum, pendente de collo funę; virgas manibus tenens, quibus deinde a Clericis cædebatur. Quam pœnam, ut alios fileam, Raimundus ſenior, Comes Toloſanus ſubire coactus eſt. Nullus dubito, quin ex his originem traxerit conſuetudo, pluribus jam Sæculis in foro ſæculari recepta, ſed toti retro antiquitati ignota, quam *Mulctam honorariam* dicimus, cum reus Deum hominesque delicti veniam publice rogare jubetur. Inde etiam ortæ ſunt ſocietates Pœnitentium, in quibusdam provinciis inſtitutæ; ſed plerique fratres, omiſſo rigore, ſolum pœnitentium nomen gerunt. Porro hujusmodi Pœnitentia magis ſpecioſa erat quam ſeria, nec ſufficiens contriti cordis argumentum, ſed ſæpe timoris, ne rei bonis ſuis temporalibus privarentur, effectus. Comes Toloſanus Crucigerorum arma, quæ ipſi inferri Papa juſſerat, pertimeſcebat. Atque, ſi altiora repetamus, cum Henricus IV. Imperator a Gregorio Papa

v. Lib. LXXIII. §. 12. LXXV. §. 56

Hiſt. Albig. n. 12.

Hiſt. Lib. LXXVI. §. 47.

Hiſt. lib. LXII. §. 37. 39. 40.

pa VII. a Cenſuris abſolvi humillime petiit, tres dies usque ad noctem jejunans & ante ejus fores nudis pedibus perſeverans, metuebat, ne coronam Imperii amitteret, ſi totum annum excommunicatus elabi ſineret.

Hinc etiam neuter amborum Principum, impetrata abſolutione, melior extitiſſe legitur. Pœnitentiæ extortæ conſtantia deerat, & ex conjuncto probro non pudor ſalutaris naſcebatur, ſed irritabatur peccator, qui deinde acceptæ contumeliæ vindictam meditabatur. Quippe ut monet S. Chryſoſtomus; qui opprobriis laceſſitur, audacior fit, modeſtiæ & reverentiæ limites tranſilit, ac corripientem ſe contemnit.

Hom. 2. in Tit. 1. 7.

Ut acerbior eſſet Pœnitentia, mulctæ pecuniariæ adjiciebantur, quæ, priusquam concederetur Abſolutio, exigebantur. Has vero ubi pœnitentes præſtiterant, de reliquis facile indulgentiam impetrabant. Obſervaveris haud dubie, Lector, hunc

Hiſt. lib. LXXIV. §. 46.

hunc abusum a S. Hugone Lincol- *L. LXXVI.*
nensi fuisse repressum. *§. 44.*

Ita pœnitentia & absolutio tam privatorum quam Principum in negotia temporalia degenerabant. Nec vacabat, diuturna probatione experiri, an corde contrito esset pœnitens, quem in finem Pœnitentia Canonica a veteribus fuit instituta; sed prima cura erat, ad præstandam cautionem de restitutione bonorum usurpatorum, de damnis resarciendis, & persolvenda mulcta eum adigere, & quia pœnitentium, maxime Principum, plurimum intererat, ut effectus intortæ contra se excommunicationis vel Interdicti tolleretur, nihil habebant antiquius, quam Absolutionem petere, adjecto jurejurando, quod intra præstitutum tempus Ecclesiæ satisfacturi essent, & nisi facerent, iterum Censura ferirentur. Absoluti sæpe, quod promiserant, non exequebantur, tuncque, quasi nihil actum fuisset, omnia erant repetenda. Nam peccator, cum sincera non esset conversio, nulla satisfaciendi solicitudine tenebatur,

postquam per absolutionem obtinuerat, quod volebat, nempe postquam jura ademta iterum receperat, vel a metu ea amittendi fuerat liberatus.

Hujus rei exempla vidisti, Lector, & inposterum multo plura occurrent. Sub idem tempus consuetudo introducta est, etiam in Pœnitentia secreta, audita Confessione, tum Satisfactione injuncta & acceptata, extemplo absolvendi; cum contra in antiqua Disciplina peccatores non nisi post totam vel certe magnam pœnitentiæ partem expletam absolverentur. Quæ mutatio argumentationibus Doctorum Scholasticorum nitebatur; absolutionem externam illi non esse denegandam, quem virtute contritionis, si ea cor ipsius penetratum videatur, internam a Deo jam accepisse, credere debeamus, tumque, si existeret in Gratia, opera satisfactionis majore merito esse peracturum (*). Sed considerandum

Morin. Pœn. Lib 10. c.24. n. 8. &c.

(*) Obscurum sensum exhibere videtur hæc argumentatio, nisi primum membrum de Con-

randum fuiſſet, hominis mentem ſpe obtinendi, quod non habet, multo acrius, quam poſtquam illud adeptus eſt, grati animi honeſtate, aut amore fidelitatis, in iis quæ promiſit ſervandis, ſtimulari. Ægrotanti major cura eſt, modum in cibo & potu a Medico ſibi præſcriptum, ad recuperandam ſanitatem tenendi, quam ad eam conſervandam, poſtquam convaluit. Quis creditor debitori ſuo, etiam juranti, ſe acceptam pecuniam intra certum temporis ſpatium perſoluturum, antequam eam receperit, protinus chirographum reddat? *Ibid. c. 25. n. 7. 8. &c.*

Ceterum modus pœnitentiam, ſeu opera ſatisfactionis injungendi, magis magisque recedebat a rigore antiquorum Canonum, qui jam Confeſ-

Confitentibus cum contritione, & ſecundum de Confitentibus cum attritione, quod Fleurius diſerte non explicat, accipiatur. Nam Confitens cum contritione ante Abſolutionem in Gratia exiſtere creditur. Aut niſi forte aliquis membrum alterum non de Gratia prima ſanctificante, ſed de ſacramentali & adjuvante intellectum velit.

fariis tanquam exempla, quibus dirigerentur, non amplius vero tanquam Regulas, quas tenerentur sequi, proponebantur, plerisque perperam præsumentibus, defeciſſe naturam, nec, ut olim, vires corporis ad jejunium ceterosque rigores ferendos pares esse. Non nulli Doctores usque adeo exorbitabant, ut dicerent, illos judaizare, qui antiquis Constitutionibus Canonicis ad literam inhærendum esse affirmarent. Jus quod antea solis Episcopis competebat, mitigandi pœnitentiam, sive de rigore operum sive de tempore aliquid relaxando, ad omnes Presbyteros extensum. Tandem introducta Regula generalis, pœnitentiam injungendam a libero Confessarii arbitrio pendere; cumque jam illa ætate Confessariorum tam Sæcularium quam Regularium numerus esset maximus, quid mirum, si in hoc judicio non nunquam prudentia defuerit, & mos pœnitentiam levem pro peccatis gravibus imponendi sensim invaluerit.

Guil. Paris. de pœnic. c. 17. to. 1. p. 592.

§. XVI.

§. XVI.

Illud quidem negari non poteſt, Indulgentiæ.
Indulgentiarum multitudinem, easque lucrandi facilitatem, Confeſſariorum perſpicaciſſimorum zelo multum obſtitiſſe. Peccator ad jejunandum aut corpus ſuum flagellis cædendum difficillime permoveri poterat, cui hunc rigorem levi eleemoſyna, aut precibus in præſtituta Eccleſia peractis, redimere licebat. Nam Epiſcopi in Sæculo duodecimo & decimo tertio Indulgentiam concedebant varia bona opera præſtantibus, videlicet quidquam de ſuis facultatibus ad fabricam Eccleſiæ, ad ſarta tecta Hoſpitii conſervanda, ad ædificia Reipublicæ, ad pontem conſtruendum, firmandum aggerem, ad reparandum viæ publicæ pavimentum, conferentibus. Licet vero his §. 62.
Indulgentiis tantum aliqua pœnitentiæ pars relaxaretur, ubi tamen plures jungebantur, tota extingui poterat. Hæ ſunt illæ Indulgentiæ, quas *Hiſt. Lib. LXXVII.* Concilium Lateranenſe IV. Diſcretioni §. 54.

tioni adverſas & ſuperfluas dicit, quod Eccleſiæ claves contemtui exponant, & vim pœnitentiæ eludant. Ut igitur hos abuſus coerceat, præcipit Concilium, ne in Dedicatione alicujus Eccleſiæ major quam unius anni Indulgentia concederetur, etiamſi complures adeſſent Epiſcopi. Quilibet enim ſuam, ab aliorum Epiſcoporum indulgentia diſtinctam, concedere ambiebat.

Guilielmus Epiſcopus Pariſienſis, illius Sæculi Scriptor, Indulgentiæ rationem nobis exponit in hunc modum: *Cui poteſtas competit, ſatisfactionem pœnalem imponendi, ei etiam jus eſt eamdem vel augendi vel diminuendi, prout honori Divino, ſaluti animarum, publicæ vel privatorum utilitati, expedire cognoverit. At manifeſtum eſt, majorem honorem Deo haberi, & majus præſtari Fidelium animabus bonum, ſi conſtruatur Eccleſia, in qua jugiter preces & ſacrificia offerantur, quam ſi maxima pœnitentiæ tormenta peccator ſuſtineat. Ergo Epiſcopus pœnitentiam Peccatorum*

De Sacram. Ord. c. 13. to. 1. p. 551.

torum in majus bonum convertere tenetur. Et inferius: *Verisimile est, Sanctos in Cœlo, quorum precibus tanta hominibus impertiri Dominus Deus solet, maxima beneficia illis impetrare, qui ipsis honorem eximium exhibent, cum Ecclesias, eorumdem memoriæ sacras, exornant. Si Indulgentias, pro reparando ponte vel via publica concessas spectemus, hæc opera pie peregrinantibus, ad limina Apostolorum vel Hierosolymam pergentibus, prosunt, ut bonum omnibus Fidelibus commune silentio prætereamus.*

Verumenimvero hæc argumenta, si magni ponderis fuissent, sine dubio mentem Sanctorum Episcoporum, qui in primis Sæculis varios pœnitentiæ Canonicæ modos instituerant, moviſſent. Sed viri sapientissimi, recentioribus multo perspicaciores, intelligebant, Deum ratione propemodum infinita ex eo plus honorari, cum Christianorum animi puris moribus & virtutibus excoluntur, quam cum Ecclesia ex lapidibus construitur & ornatur, vel cum in ea cantatur,

tur, Ritus ſacri peraguntur, ceteraque omnia externa; nam iſta ſolam ſpeciem Religionis exhibent, cujus anima & ſubſtantia virtus exiſtit. Porro quia paucorum Chriſtianorum felicitas eſt, Innocentiam poſt Baptiſmum ſervare, prudentiſſimi illi Paſtores, ab Apoſtolis inſtructi, maxima induſtria quæſierant omnia remedia poſſibilia, quibus peccatores lapſi erigerentur, tumque poſtea ſecundi caſus pericula removerentur, & meliora non invenerant, quam, peccati fœditate propoſita, eos ita permovere, ut ſponte ſe ipſos jejuniis, vigiliis, ſolitudine, ſilentio, omni voluptatis genere abjecto, caſtigarent, voluntatem amplius non peccandi oratione & rerum æternarum contemplatione firmarent, ac tandem his operibus longo tempore animum exercerent, unde converſionis ſinceritas cognoſci poſſet. Quidquid contra objicias & arguteris, opera memorata melius & recta via ad ſalutem animarum ducebant, ideoque etiam perfectius ad Dei gloriam tendebant;

debant, quam eleemosynæ ad ædificandam vel decorandam Ecclesiam oblatæ.

Peccatori vere pœnitenti, atque horrore peccati, & metu supplicii æterni, quo dignus est, perterrito, pœnæ omnes hujus mundi merito suo leviores videntur; qui vero beatum se putat, si facili negotio pœnas peccatorum redimere possit, non est sincere conversus, sed conscientiæ stimulos extinguere cupit, & inanem pœnitentiæ speciem præbet. Denique credamus experientiæ; nunquam Christianos sanctiores quam illa ætate, qua pœnitentiæ Canonicæ consuetudo vigebat, nunquam magis corruptos, quam postquam illa exolevit, habuimus.

Ponamus hujus rei exemplum captu facillimum. Quid de Rege diceres, qui perniciosa clementia viam effugiendi supplicium omnibus reis offerret, nempe mulctas modicas, pensiones leves ad Arcem ædificandam,

vel

vel ad milites alendos, obsequiose Regiam adire, paucis verbis precari veniam, & tandem, ad eluenda quæcunque scelera, aliquot annis in exercitu suo militare? an putas dicendum, hujus Principis Regnum bene administrari? an arbitraris, morum innocentiam, fidem in mercatu, securitatem in via publica, totius Reipublicæ tranquillitatem salvam esse posse? an non magis existimas, fore, ut sub tali Rege vitia omnia & infrunita licentia grassentur, unde funestissimi effectus, quos solet producere impunitas, sequerentur? Similitudinem & paritatem, Lector, facile perspicis.

Itaque in memoriam reducenda est Regula, a S. Paulo tradita; non omnia, quæ licent, semper etiam expedire. Ille enim Princeps, qui scelestis omnibus parceret, sine dubio uteretur jure suo, cum talem præsumam, qui suprema potestate imperat; sed imprudentiæ notam non effugeret. Idem affirmandum de Indulgen-

gentia; nemo Catholicorum dubitat, quin Ecclesia indulgentiam concedere possit, in quibusdam adjunctis etiam debeat, & denique hac potestate omni tempore usa fuerit. Sed Ministrorum Ecclesiæ est, gratiam Matris nostræ communis sapienter dispensare, & cavere, ne eam sine fructu aut omnino noxie prodigant.

De Indulgentia, ad Bellum sacrum proficiscentibus promitti solita, fusius dicere in aliud tempus differo.

Hujus vero sermonis filum abrumpo, idque unum, amice Lector, a te notari cupio. Satis a me demonstratum existimo, ea omnia, quæ in Disciplina Ecclesiastica, ab annis quingentis sexcentisve, mutata invenimus, non auctoritate Episcoporum & Conciliorum, ad Disciplinam veterem emendandam, sed negligentia, ignorantia, errore, ex E-

piſtolis falſis, quales ſunt Iſidori Decretales, atque ex perverſa Doctorum Scholaſticorum argumentandi ratione, nato, introducta fuiſſe. Faxit Deus, ut conceſſa nobis gratia, qua in Sæculo magis erudito naſci obtigit, utamur, & ſi Diſciplinam antiquam revocare non poſſimus, ſaltem eam magni facere, revereri, & dolere amiſſam ſciamus (*).

(*) Hæc a Fleurio in Theologos Scholaſticos licentius jacta ſolummodo de eorum opinionibus circa Diſciplinam Eccleſiaſticam accipienda ſunt, cum in Paragrapho XIII. dicat; Theologi Scholaſtici .... ſanæ Doctrinæ traditionem conſervarunt. Si autem usque in hanc diem ſuperfuiſſet Fleurius, non adeo haberet, quod de Theologis Scholaſticis conquereretur, cum conſtet, præſtantiſſimos noſtræ ætatis Theologos non amplius multum ſpeculationi ſed Methodo Dogmaticæ, primorum ſæculorum Diſciplinæ, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Conciliis, denique Antiquitati operam dare. Id enim ex Libris doctiſſimorum Virorum, haud ita pridem editorum, demonſtratur. Ceterum Fleu-

Fleurii sensum in hac Dissertatione, etsi plurima vera esse arbitrer, non ubique meum facio. Nihil tamen omisi, tum ne suspicio in me cadat, quod alia forsan etiam præteream, tum quod certissimum existimem, Virum Theologiæ vel sacrorum Canonum studiosum, aut Doctorem, nisi cum Fleurio ad hujusmodi Adnotationes animum advertat, nunquam, quodnam Regiminis genus Christus Dominus in Ecclesia sua instituere voluerit, quanta sit Pontificis Romani in Ecclesia potestas, quanta Conciliorum tum Oecumenicorum tum Provincialium auctoritas, quid Summo Pontifici de Jure tantum Canonico, quid de qualicunque demum consuetudine, competat, quænam fuerit Apostolica & antiqua Ecclesiæ Disciplina, quænam in Sæculis mediis, quænam hodierna sit, satis esse assecuturum.

Endlich glaube ich, daß hier der Ort sey meinem deutschen Protestanten und Uebersetzer des Herrn Fleury eine heylsame Ermahnung beyzubringen. Sonderlich weil die Herren Protestanten selbst die Abhandlungen des Fleury, als Meisterstücke, anrühmen. So soll dann unser Uebersetzer, wenn er etwann in seiner Arbeit bis daher kommen wird, in dieser meisterlichen Rede

des Herrn Fleury anmerken, was er in dem zweyten Abschnitte saget: Non ignoro Auctoritatem Papæ &c. Ich weiß wohl, daß das Ansehen des Pabstes zur Haltung aller allgemeinen Kirchenversammlungen allzeit nothwendig gewesen sey .... Sozomenus aber saget, daß die Besorgung aller Kirchen wegen des Vorzugs seines Stuhles dem Pabste zugehöre. Und im dritten Abschnitte: Illud quidem constat &c. Das ist unstreitig, ob es schon nicht gar oft geschehen, daß Bischöffe, welche in den Versammlungen ihrer Provinzien unterdrucket worden, zu dem Pabst als dem Vorsteher aller Bischöffe und Vertheidiger der geistlichen Rechte ihre Zuflucht genommen. Ferner in dem X. Abschnitte: Pro sola Ecclesia Romana &c. Bey der einzigen römischen Kirche finde ich einen Erweis, warum die geistliche und weltliche Gewalt solle verbunden seyn.

Und nach wenig Worten: Timendum erat, ne ceteri Episcopum, alteri obnoxium &c. Es wäre zu befördten gewesen, daß die andern Könige und Fürsten, wenn der römische Pabst eines einzigen aus ihnen Unterthan gewesen wäre, ihn als ihren allgemeinen Vater nicht hätten erkennen wollen.

Im

Im XIII. Abschnitte: Theologi Scholastici ... sanæ Doctrinæ traditionem conservarunt &c. Die katholischen Theologen haben uns die reine Glaubenslehre erhalten. Dieses ist es eigentlich, was unser Protestant aus dieser Abhandlung des Fleury lernen soll. Fleury erkennet die römische Kirche allein, als die wahre von Christo dem HErrn gestiftete Kirche, und den Pabst als das aufgestellte Oberhaupt; ob er schon alles dasjenige mit grosser Freyheit tadelt, was er ein Mißbrauch gewesen zu seyn glaubet. Wäre ein Luther auch so bescheiden gewesen, so wäre er ein Rechtglaubiger verblieben. So aber hat er in seiner Raserey das Kind nicht gewaschen, sondern ertränket. Er hat sich auch Glaubenssätze umzustossen angemasset, und solche Lehren, die ihren richtigen Grund in der heiligen Schrift haben, als den Vorzug und die Gewalt des römischen Pabstes über andere Bischöffe, und die ganze Kirche, in den Worten: Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc. Cap. XX. v. 32. Diese Stelle allein würde die Glaubensgegner überführen, wenn sie ohne Vorurtheile wären. Nichts zugedenken, daß man vom Anfange des in Sachsen eingeführten Christenthums solche Stellen der Schrift in

Sachsen selbst allzeit also ausgeleget hat. Denn die Antwort, daß die Worte Christi nur vom Petro allein und den Aposteln, die um ihn herum standen, und von keinen Nachfolgern, zu verstehen sey, ist eben so matt und unerträglich, als wenn man fragen wollte, warum die Protestanten noch immer das Abendmahl austheilen, da doch Christus solches niemand andern als den Aposteln, die mit ihm an der Tafel sassen, befohlen hätte.

HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER LXXV.

INNOCENTIUS III. PAPA.
PHILIPPUS & OTTO IV. IMP. OCC. ALEXIUS ANGELUS IMP. ORIENTIS.

§. I.

Cœlestini Papæ obitus. Innocentius III.

Cœlestinus III. Papa annis & corporis infirmitatibus gravis, cum paulo ante Natalem Domini, anno milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo, in morbum incidiſſet, Cardinales Sæcul. XII. A. C. 1198.

Roger. de Hoved. p. 774

Sæcul. XII. A.C. 1198.

omnes ad se convocatos de successore eligendo deliberare jussit. Ipse vero omnibus viribus nitebatur, ut Joannes de S. Paulo Presbyter Cardinalis, Tituli S. Priscæ, Papa eligeretur, in cujus sapientia, sanctitate & justitia plurimum fiduciæ posuerat; adeo enim ipsum præ ceteris diligebat, ut eum Vicarium suum Generalem constituerit, excepta Episcoporum ordinatione, quæ ad officium Episcopi Ostiensis pertinebat. Quin etiam Cœlestinus Papatu se abdicaturum promisit, si Cardinales Joannem de S. Paulo vellent in S. Petri Cathedram sua electione evehere.

Verum omnes una voce responderunt, se Joannem addita quacunque conditione non esse electuros; rem autem esse inauditam, quod Papa vivus suam Dignitatem dimisisset. Prætextus hæc dicentium Cardinalium erat, Electionem Romani Pontificis oportere esse liberam & ab omni pacto absolutam; revera autem eorum plerique Pontificatum ambiebant, & Episcopus Ostiensis, Episcopus Portuensis, Jordanus de Fossa nova, & Gratianus nulli labori aut industriæ parcebant, qua summum fastigium consequerentur. Inter hæc Cœlestinus III. Papa Feria quinta, octava Januarii, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, vita functus, pro more in Basilica Late-

ra-

teranensi sepultus est. (*) Hic claudantur Annales Cardinalis Baronii, quem Sæcul. XII. A.C.1198.

(*) In Palatio pag. 701. de Cœlestino Papa hæc legimus: *Romæ propensiori studio, quo tenebatur Cœlestinus erga cultum Venerandæ Imaginis Dei Genitricis Mariæ, quæ fuerat Gallæ Placidiæ, collocatæ in antiquo foro Romano, juxta Ecclesiam dictam S. Mariæ in Porticu, ædificavit hospitalem domum Infirmorum, quam redditibus locupletavit. De hac veneranda Imagine adhuc vetus perseverat Inscriptio:*

Hæc est illa piæ Genitricis imago Mariæ,
Quæ discumbenti Gallæ patuit metuenti.

In Alexandro Natali sub finem Sæculi XII. hæc leguntur, pag. 134. *In eodem Articulo, pag. 256. Edit. primæ Religiosi Censores hanc Propositionem notant: Papa erravit circa dissolutionem Matrimonii, ejusque Decretum non fuit approbatum ab Ecclesia. Hinc inferre intendit Alexander, inquiunt, quod Decreta Pontificum sine consensu Ecclesiæ sunt opiniones, & non Decreta infallibilia.*

Respondet Natalis Alexander: *Christianam uxorem, cujus odio vir Christum negavit, sibique copulavit paganam, ipso superstite alteri nubere posse Catholico, atque hujusmodi & simili apostasia Matrimonium dirimi, sensit Cœlestinus III. Decretum istud habetur Cap. Laudabi-*

Sæcul. XII. A.C. 1198.

præcipue in hac Hiſtoria ducem ſecutus ſum.

Sacra

dabilem. Tit. de Converſione Infidelium. Lib. III. Secundæ Collectionis antiquæ Decretalium ab Antonio Auguſtino editæ. Illam Cœleſtini III. opinionem Eccleſiæ conſenſu non eſſe approbatam obſervavi, ab Innocentio III. emendatam, Cap. quanto Ext. de Divortiis; Partem illam capitis Laudabilem, inſertam non fuiſſe Collectioni novæ Decretalium juſſu Gregorii IX. editæ: Concilium denique Tridentinum Seſſione XXV. Can. V. Anathemate feriiſſe eos, qui dixerint, propter Hæreſim diſſolvi poſſe Matrimonii vinculum. Hæc verba: Papa erravit affingunt mihi RR. Cenſores, mea non ſunt. Quamvis Cœleſtinum III. in ea Decretali errasſe verum ſit. Ejus opinionem Eccleſiæ conſenſu non fuiſſe approbatam dixi, quod certiſſimum. De infallibilitate Summi Pontificis ne verbum quidem ullum habeo eo loci, nec id infero, quod me inferre voluiſſe Religioſi Cenſores in omnem eventum divinant; tametſi ea ſit Facultatis Pariſienſis & Eccleſiæ Gallicanæ ſententia. Sane aut Cœleſtinus III. erravit, aut Innocentius III. qui Decretalem ejus correxit, cum eorum opiniones contrariæ ſint, ut ipſe Innocentius in Decretali ſua notat: Nos igitur conſultationi tuæ reſpondentes diſtinguimus, licet quidam Prædeceſſor noſter ſenſiſſe aliter videatur &c.

Hic Notam ſubjecit Conſtantinus Roncaglia: *Erravit Cœleſtinus ſentiendo Matrimonii vincu-*

Sacra Sedes haud plus aliquot horis vacavit, nam cum Cœleſtinus noctu e vita

Sæcul. XII. A.C.1198.

Geſt Innoc. n.5. Lib.1. ep. 1.

vinculum inter Fideles ſolvi, ſi alter conjugum Hæreſim amplectatur, ſed non definivit, ac ſuam opinionem dumtaxat expoſuiſſe, illa Innocentii verba manifeſtant; licet quidam Prædeceſſor noſter aliter ſenſiſſe videatur, porro ſentire non eſt definire. Et poſt pauca: *Jam ergo adnotavi tunc Pontificem ſolemniter definire, ſeu ex Cathedra loqui, quando aliqua veritate mature examinata, ac ſpecialibus orationibus Spiritus Sancti adſiſtentia invocata, aliquid tanquam Magiſter Univerſalis, ac ad fidem pertinere univerſæ proponit Eccleſiæ, adeoque oſtendat, ut Hæreticos habendos, qui aliter ac ipſe definierit, ſentiant; unde in eos ſolet Anathema pronunciare.*

Huc usque Notæ hujus Auctor. Cui ſequentia argumenta opponi poſſunt: Quis Chriſtianorum ſciat, aut inquirere teneatur, vel etiam Judex ſit, an Summus Pontifex, antequam Epiſtolam Decretalem vel Bullam ediderit, rem ſatis mature examinaverit, an ſpecialibus orationibus S. Spiritus adſiſtentiam ſatis invocaverit? Imo præſumendum, id ſemper factum, adeoque Papa ſemper definire voluiſſe credendus erit. Nec illa Quæſtio, an Papa, ſine conſenſu Eccleſiæ, id eſt Epiſcoporum, aliquid proponens, tanquam Magiſter Univerſalis loquatur, deciſa eſt. Tandem Summi Pontifices nunquam ſoliti ſunt oſtendere, contrarium ſentientes

Sæcul. XII. A.C. 1198.

vita migrasset, & mane tumulo inferretur, interim aliqua pars Cardinalium in quodam loco, qui *septa solis* dicebatur, congregata negotium electionis majore libertate & securitate tractabat. Ceteri defuncto Pontifici justa persolvebant,

Papebr. conat.

---

tientes Hæreticos esse habendos, aut anathema pronunciare, nisi vel jam prius vel postea in eadem causa Concilium fuerit celebratum. Ex quibus sequitur, hanc explicationem vel definitionem, quando Papa loquatur ex Cathedra, non habere certam Regulam, sed ab arbitrio cujuslibet Doctoris pendere, an velit aliquid addere vel detrahere, ut nihil dicam, hanc Infallibilitatis explicationem in Antiquitate non fundari. Longe certior est illa Regula, si dicamus, tunc infallibili modo Doctrinam Ecclesiæ proponi, quando eam Romanus Pontifex consentiente majore & saniore Episcoporum parte docet, secundum exemplar Concilii omnium primi de Legalibus. Hist. Tom. I. pag. 82. in quo S. Petrus quidem præfuit, proposuit quæstionem & primus dixit sententiam, sed non solus judicavit; nam etiam S. Jacobus judicavit, ut diserte dixit. Et tandem in Decreto additum est: visum est Spiritui Sancto & nobis &c. Consentit Doctrina sanctissimi Patris nostri Benedicti XIV. in suo Opere de Synodo Diœcesana Lib. XIII. Cap. II. N. 11. ubi dicit: *Siquidem Episcopi in Concilio Generali Summo Pontifici assident, non tanquam meri Consiliarii, verum etiam tanquam Judices.*

bant, præsente etiam Lothario, Cardi- Sæcul. XII.
nale Diacono, Tituli SS. Sergii & Bachi. A.C. 1198.
Exequiis rite peractis, & his quoque Cardinalibus ad Collegas accedentibus, simul omnes & soli Missæ de Spiritu Sancto interfuere. Tum oſculum pacis invicem figunt, in pavimentum se se prosternunt, & tandem consident. Oratione deinde, ut mos erat, habita, nominantur scrutatores, qui collectis omnium ac singulorum suffragiis, ac diligenter conscriptis, rem Cardinalibus referunt. Pleræque voces Lothario Cardinali favebant, etiamsi præter ipsum etiam tribus aliis non nulli sua suffragia dedissent. Quare, postquam de ejus ætate, quippe annos tantum triginta septem natus erat, aliquantum disceptassent, omnes de eo eligendo consentiunt, quod præclaras in eo virtutes & insignem Doctrinam suspicerent. Itaque Papa creatur reluctans, ingemiscens, & lacrymans eadem die, octava Januarii, anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo, & Innocentius III. appellatur. Tum Electione publice denunciata, cunctis novum Patrem laudantibus & acclamantibus, ac confluente ingenti populi multitudine, ad Basilicam Constantini moxque ad Palatium Lateranense more consueto deducitur. Lotharius *Gest. n. 1. &c.*
ex patre Trasimundo de Comitibus Signiæ,

Sæcul. XII. A.C.1198. gniæ, matre vero Clarina Romana nobilissimæ stirpis, natus primum Parisiis, deinde Bononiæ in scientiis eruditus, tam Philosophiæ quam Theologiæ cognitione coævos & æquales omnes superavit. Tum Præbendam inter Canonicos S. Petri Romæ adeptus, & a Gregorio VIII. Papa Subdiaconus ordinatus, a Clemente Papa III. Diaconus ad Titulum S. Sergii, qui prius ipsius Papæ fuerat, creatur. Primis duobus, ex quo Cardinalis fuit, annis Ecclesiam Tituli sui totam prope collapsam ex ruinis erexit suis sumtibus, & ubi ad Papatum pervenit, ad eam exornandam porticum columnis nixam ex bonis sibi acquisitis construi curavit; quæ res omnibus admirationi fuit, scientibus, quam alienum ab avaritia semper gessisset animum.

Ep. 296.

§. II.

Pontificatus Exordia.

Quia, cum eligeretur Papa Innocentius, Diaconatus Ordine tantum initiatus erat, ejus consecratio usque ad Dominicam quatuor temporum in Quadrageſima dilata est, quo temporis spatio tamen complures Epistolas ad perficienda non nulla negotia, præsertim in causis pauperum, expediri jussit, & literæ istæ tantum media Bulla, seu media Sigilli

Sigilli parte, signatæ erant. Ne autem supplices, post ejus Ordinationem si alias petere tenerentur, novis expensis gravarentur, promulgari jussit, eas literas non minoris esse valoris, ac si tota Bulla apposita esset. Sæcul. XII. A.C. 1198. *ep.* 1. 83.

Altera post Electionem die, nona Januarii, data encyclica ad omnes Episcopos Epistola, quid de se decrevissent Cardinales, certiores fecit, & orationis ad Deum auxilium expetiit. Singularem vero Epistolam Philippo Regi Franciæ scripsit, utpote primogenito Ecclesiæ Romanæ filio, exhortans, ut vestigiis Ludovici Regis Parentis sui insistens Ecclesiam sanctam, Matrem suam, honoraret. Scripsit quoque Abbatibus, Prioribus, & Viris in Francia Religiosis. Præterea, datis Epistolis, Patriarcham Latinum Hierosolymitanum ejusque Suffraganeos monet; iram Dei sincera pœnitentia placare studerent, promittitque, se ad liberandam Terram sanctam nervos omnes intensurum. His duas Epistolas, ad Archiepiscopum Moguntinum & Episcopos Germanos, ad Landgravium Thuringiæ, ceterosque hujus Gentis Principes, in regionibus transmarinis commorantes, datas adjecit. 1. *ep.* 1. *ep.* 2. *ep.* 11. *ep.* 12. 13.

Ubi tempus Consecrationi destinatum adfuit, Innocentius Sabbato vigesima

Sæcul. XII. A.C. 1198.

ma prima Februarii anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo Presbyter, altera vero die, Dominica, in quam Feſtum Cathedræ S. Petri Antiochiæ incidebat, Epiſcopus in Baſilica S. Petri Romæ ordinatur & Cathedræ ſuæ imponitur, præſentibus Archiepiſcopis quatuor, Epiſcopis viginti octo, Cardinalibus quindecim, Presbyteris ſex, Diaconis novem, & Abbatibus decem. Unde ad Palatium Lateranenſe ſolemniter deductus, poſtquam conſueta fuiſſet largitus, convivium, ut mos ferebat, celebravit. Die ſequente juramentum fidei & Homagium obligans a Petro Urbis Præfecto recepit, eique oblato pallio ſignum inveſtituræ ſuæ tradidit, quam ille ad hæc usque tempora ab Imperatore, jurejurando adſtrictus tenebat.

Geſt. n. 7.

Innocentius III. Papa.

n. 8.

1. *ep.* 23. 577.

Innocentius, Pontificatum auſpicatus, nihil antiquius habuit, quam Eccleſiæ Bona in Italia, ejectis uſurpatoribus, vindicare, quales fuere Marevaldus & Conradus, Optimates Germani, magnam poteſtatem ab Henrico VI. Imperatore adepti. Eo conſilio compluribus Nunciis in provincias miſſis, ipſe Ducatum Spoletanum & Tuſciam luſtravit, in qua profectione omne tempus, quod a Feſto S. Petri usque ad ſolemnitatem Sanctorum omnium fluit, conſumtum. Quin etiam adverſus non nullas

Geſt. n. 9. 10. &c.

n. 16. 17.

nullas urbes, imperata facere detrectantes, armis usus est. Sæcul. XII. A.C.1198.

Sed curis negotiorum sæcularium haud sane delectabatur Innocentius, sæpe illam ex Scriptura sententiam repetere auditus: *Qui picem tangit, inquinabitur ab ea*, atque eo minus, quod in his Pontifex laborem maximum sentiret, emolumentum autem, quod hominum pervicacia raro flecti posset, modicum sequeretur.

Inter plures abusus, qui in Curiam Romanam irrepserant, nullum magis quam turpem lucri cupiditatem oderat, quam ut penitus extirparet, ministris suis omnibus prohibuit, ne ab ullo homine mercedis nomine quidquam exigerent, exceptis Scriptoribus & Sigilliferis, quibus præscripsit, quantum petere possent, vetuitque districte, ne ultra aliquid extorquerent; at si forte donum sponte offerretur, acciperent. A conclavi Notariorum apparitores abesse jussit, ut cunctis adeuntibus fores paterent. Quamdam Palatii Lateranensis curiam, ubi vasa vendebantur, & Nummularii varia monetæ genera pro usura permutabant, abrogavit. Ter in Hebdomada Pontifex Consistorio publico, quod Judicium ante ipsum pœne exoleverat, præsidebat, singulas Partes litigantes audiebat, tumque minores causas *Gest.* c. 41.

Sæcul. XII. A. C. 1198.

aliis committebat, graviores ipse discussurus. Quod cum, acri ingenio vir, sapientissime faceret, cunctos in sui admirationem rapiebat, & multi viri doctissimi, Jurisconsulti, aliique Romam petebant, nullius alterius negotii causa, quam ut Innocentium Papam auscultarent, magisque in ejus Consistorio quam in scholis proficiebant, tunc inprimis, cum, adjunctis causæ omnibus exploratis, sententiam proferret; tanta enim vi, tanta solertia, litigantium argumenta referebat, ut pars utraque, loquentem audiens, haud levem spem victoriæ conciperet, & nullus Causidicorum tam versatus existeret, qui, Innocentii sibi adversantis prudentiam & facundiam non expaveſceret. In ferendis judiciis nullo movebatur partium studio, nec nisi post maturam deliberationem sententiam pronunciabat. Id vero tantam causarum molem ac negotiorum ex universo orbe Romam pertraxit, ut ab hominum memoria nunquam tot lites ibidem diremtæ fuerint.

Bela III. Rex Hungariæ ad iter in Terram sanctam suscipiendum cum exercitu voto se se obstrinxerat; cum vero gravi morbo oppressus, ad extrema ventum esse, sentiret, Andreæ filio suo, secundo partu in lucem edito, profectione, qua ipse non posset, defungi præcepit

pit maledictione paterna ei denuncia- Sæcul. XII.
ta, nisi mandata morituri ultima exeque- A.C. 1198.
retur. Andreas Crucem, pie militantium insigne, accepit, promittens, se votum sine cunctatione impleturum. Verum parente elato, qui die Martis, prima mensis Maji, anno millesimo centesimo nonagesimo obiit, postquam militem sacræ expeditionis specie conduxisset, arma contra Emericum Regem, fratrem suum, convertit. Quo comperto Innocentius Papa, data Epistola, vigesima nona Januarii anno millesimo nonagesimo octavo, Andream infra Exaltationem S. Crucis nempe diem decimam quartam Septembris iter exordiri jussit, addita pœna, nisi pareret, ipsum jam illa die excommunicationis vinculo constringendum esse, & jure ad Regnum Hungariæ ita privandum, ut si Rex Emericus sine prole moreretur, frater natu tertius solium conscenderet. Contra vero, quia Emericus Cœlestino Papæ exposuerat, Archiepiscopi Strigoniensis operam, ad turbas, quibus Regnum agitaretur, componendas, sibi esse necessariam, Innocentius Papa hunc Præsulem votum editum petendi Hierosolymam implere vetuit, usque dum Hungaria tranquillitati fuisset reddita.

J. Thurocz. p. 77. c. 69.

Res Hungariæ.

I. ep. 10.

C. licet. 6. extra de voto. &c.

I. ep. 5.

c. noneſt. 5. ibid.

Andreas Dux, insuperhabita Pontificis comminatione, post annos ferme

Sæcul. XII. A.C. 1198.

viginti demum in terram ſanctam profectus eſt, cumque interea Emericus Rex, ejus Frater, die ultima Novembris, anno milleſimo ducenteſimo, & poſt ſpatium menſium ſex Ladislaus Regis defuncti filius, rebus humanis erepti fuiſſent, Andreas menſe Junio anno milleſimo ducenteſimo primo Rex ſalutatus & coronatus, annos deinde triginta quatuor Hungaris imperavit, quem ipſe Papa multis datis literis legitimum Regem agnovit.

Geſt. c. 21. *Sup. Lib. LXXIV. §. 62.*

Henrico VI. Imperatore fatis functo, Conſtantia Imperatrix vidua, Panormum reverſa, Fridericum adoleſcentem filium ſuum, Regem Siciliæ coronari curavit, regnumque cum ipſo auſpicata eſt. Mox nunciis ad Innocentium Papam miſſis, cum muneribus, ſe & filium Regno Siciliæ, Ducatu Apuliæ & Principatu Capuano cum ſuis ditionibus, eo more, quo Anteceſſores ipſorum, inveſtiri petiit. Sed cunctabatur Papa, conſiderans, quantum Transactio Beneventi, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo ſexto, inter Hadrianum IV. Papam & Guilielmum I. Regem Siciliæ inita, ac a Papa Clemente III. confirmata, Dignitati ſacræ Sedis & immunitati Eccleſiaſticæ derogaverit; erant vero quatuor Capita in quibus læſam Eccleſiam querebatur, nimirum in Electionibus, Lega-

Sup. lib. LXX. §. 14.

Legationibus, Appellationibus, & Conciliis. Itaque remissos ad Imperatricem nuncios respondere jussit; nisi illa hæc privilegia abdicaret, nunquam, quæ peteret, esse impetraturam. Sæcul. XII. A.C.1198.

Mulier Pontificem a sententia dimovere, oblatis ingentibus donis, conata, nihil effecit.

Præterea Innocentius ad liberandos captivos, quos Henricus Imperator in Germaniam miserat, animum adjecit, & inprimis Archiepiscopum Salernitanum, qui non sine sacræ Sedis dedecore detinebantur. Erat vero captivus Archiepiscopus Nicolaus, filius Matthæi, Siciliæ Cancellarii, atque in Sede Salernitana Romualdo anno millesimo centesimo octogesimo primo succesferat. Hunc ergo libertati redditurus Innocentius Papa, sub initia Pontificatus sui in Germaniam misit Episcopum Sutrinum de Gente Germanorum, cum Abbate S. Anastasii, Ordinis Cistercienſis, datisque literis, Episcopis Spirensi, Argentoratensi, & Wormatiensi præcepit; Archiepiscopum in libertatem vindicarent, adhibitis, si necesse esset, Censuris Ecclesiasticis, addita comminatione, se, nisi obedientes haberet, totam Germaniam Interdicto subjecturum. Philippus Dux Sueviæ, cum in Italia copiis Henrici VI. Imperatoris Præfectus Patrimo- 1. ep. 24.

Sæcul. XII. A.C. 1198.

trimonium Ecclesiæ invasisset, propterea a Cœlestino Papa fulmine Vaticano ictus fuerat, & quia a nemine nisi a Pontifice absolvi poterat, Romam ipsi pergendum fuisset. Sed Innocentius Episcopo & Abbati, Nunciis suis, in mandatis dedit; si Princeps ille Archiepiscopum Salernitanum liberum præstaret, cum Apostolicæ Sedis auctoritate a Censuris & longi itineris molestia absolverent.

ep. 25.

§. III.

Philippus & Otto Reges Romanorum.

Pontificis Nuncii in Germaniam pervenientes comperiunt, Philippum Ducem a Principum parte Regem fuisse electum. Juventus enim Friderici, qui jussu Henrici parentis sui Imperatoris coronatus fuerat, contemnebatur, & licet Philippus primum professus fuisset, quod jure tutelari defendere cogitaret nepotem ex fratre, sibi ipsi tamen vigilabat, ac postea obtinuit, ut Erfordiæ a magno Principum numero Rex proclamaretur, nempe Austria, Bavaria & tota Germaniæ, qua Orientem spectat, parte sibi faventibus. Hæc electio die Veneris, in tertia Quadragesimæ hebdomada, videlicet sexta Martii, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo

Otto a S. Blasio c. 46.

de neg. Imp. ep. 136.

ctavo peracta. Contra vero Archiepiscopus Colonienſis, Trevirenſis, & aliquot alii Principes, cum Andernacum convenissent, & electionem Friderici pueri abrogassent, Philippi inauguratione quoque, tanquam viri a ſacra Sede excommunicati, rejecta, primum quidem Ducem Zaringiæ Bertoldum Imperatorem nominarunt, qui paulo poſt, repudiato Imperio, Philippum Dominum ſuum agnovit. Ergo illi Ottonem Ducem Saxoniæ, Henrici Leonis filium, eligunt, & Aquisgrani coronant. Unde Philippus, ſua plurimum intereſſe intelligens, ab Excommunicatione abſolvi, Nuncios Wormatiæ diverſantes adit, & ſecreto, omnique ritu ſolemni omisſo, nec præſtito juramento, abſolutionem impetrat. At Archiepiſcopum Salernitanum, ejusque fratres ſimul captos, nullo petito redemtionis pretio, dimiſit. Paucis exinde diebus Philippus ab Archiepiſcopo Tarentaſiano Moguntiæ coronatur, quia Epiſcopi Germani officium recuſabant. Nec etiam illi, qui interfuerunt, cultum Pontificalem induerant, niſi ſolus Epiſcopus Sutrinus Papæ Nuncius. Quare Romam reverſum, & propria confeſſione convictum, quod Philippi Regis unctionem approbaſſet, & in ejus Abſolutione ſolemnes

Sæcul. XII. A.C. 1198.

Chron. Godef. mon. an. 1198.

Rog. Hoved. p. 776.

Geſt. Innoc. c. 22.

Sæcul. XII. A C. 1198.

lemnes Ritus omisisset, Papa ex sua Diœcesi, quoad viveret, relegavit.

§. IV.

Suer, *Tyrannus Norwegiæ.*

Saxo Gram. lib. 14. p. 311.

Annis abhinc aliquot Regnum Norwegiæ sub Tyrannide gemebat cujusdam Presbyteri Apostatæ, *Suer* dicti, qui Principatum consecutus fuerat. Is fabri ferrarii filius, contra Canones ordinatus, & aliquamdiu in alia provincia Sacerdotis munere functus, inde in Norwegiam migravit, cultu militari incedens. Ibi cum aliquando ex acie fugientium agmen conspexisset, subito consilio Ducis officium arripiens, ingruentes Victores repulit. Ut obscuros natales dissimularet, filius Sivardi ex amica genitus, atque Haraldi Hyberni nepos credi volebat, sibique ipsi nomen Magni tribuebat. Norwegiam misere depopulabatur, opprimebat Ecclesias, Clericos vexabat, conterebat pauperes, Optimates lacessebat. Ut vero auctoritatem apud populum sibi conciliaret, affirmare audebat, Regnum a Cœlestino Papa sibi fuisse confirmatum, atque ut id demonstraret, exhibebat sigillum spurium, quod compluribus literis, Papalibus scilicet, subjecerat. His dolis ad Innocentium Papam dela-

delatis, datis literis ad Archiepiscopum Nidrosiensem, omnesque Episcopos Præsulesque Norwegiæ mandavit; cunctos *Suer* istius sectatores excommunicarent, & totam regionem, ei parentem, Interdicto constringerent. Quibus subjunxit: *Scire vos oportet, hujus hominis Nuncios, cum in conspectum nostrum veniissent, nihil penitus obtinuisse. Quare si aliquid a se impetratum jactitent, literas habent confictas a Falsariis, quorum non exiguum esse numerum initio Pontificatus nostri deprehendimus.* Hæc Epistola sexta Octobris anno millesimo centesimo nonagesimo octavo data. Simul Papa Regibus Daniæ & Sueciæ scripsit, exhortans; *Suer* Tyranno arma inferrent, & Ecclesiis populisque oppressis succurrerent. Privatam quoque ad Archiepiscopum dedit Epistolam, laudans ejus constantiam, qua Tyranno forte pectus objeciisset, & præcipiens; Episcopum Bergensem Suffraganeum suum ab officio Sacerdotali suspenderet, qui scelestum grassatorem ad castra proficiscentem secutus, ipso præsente Mysteria Divina celebraverat.

Sæcul. XII. A.C. 1198. 1. *ep.* 382. *Ep.* 383.

Haud diu post Innocentius Papa Primatum Urbis Lundensis, quæ tunc Daniæ caput erat, confirmavit. Hujus Ecclesiæ fundamenta Hadrianus IV. cum in illa Regione cum Legati Cardinalis

Sup. Lib. LXIX. §. 50 *Sax. lib.* 14. *p.* 238.

Sæcul. XII. A.C. 1198.

potestate versaretur, jecerat. Eam deinde Summi Pontificatus fastigium adeptus erexerat, & constituerat, ut Archiepiscopus Lundensis Archiepiscopum Sueciæ, nempe Upsaliæ ordinaret, eique Romani Pontificis nomine Pallium traderet. Vi hujus Legis Stephanus Archiepiscopus Upsaliæ ab Esquilio Archiepiscopo Lundensi Senonibus, Alexandro III. Papa præsente, consecratus fuerat. Tum Joannes & Petrus, Stephani successores ab Absolone Esquilii successore ordinati, & Primatus a Romanis Pontificibus Alexandro, Lucio, Urbano, Clemente & Cœlestino III. confirmatus. Itaque idem privilegium Innocentius Papa, data Bulla vigesima tertia Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, atque ad Absolonem Archiepiscopum Lundensem directa, roboravit.

§. V.

Pacta Pontificis & Reginæ Siciliæ.

Anselmus Archiepiscopus Neapolitanus & Aimericus Archidiaconus Syracusanus, cum viris Magistratu conspicuis, ab Imperatrice Constantia Romam missi, longo & difficili negotio tandem obtinuerunt, ut Papa Reginæ ejusque filio Siciliæ Investituram concederet, qui Cardinalem Octavianum, Episcopum Ostien-

Gest. n. 21.

Sæcul. XII. A.C.1198.

Ostiensem, misit suo nomine fidei præstandæ jurejurandum recepturum. Octavianus plures Bullas deferendas susceperat; in prima concedebatur possessio Regni Siciliæ, & adjectarum Ditionum, ea conditione, ut Imperatrix in manibus Legati jurejurando promitteret, se Homagium Papæ dicturam, ut primum in ejus conspectum venire posset, eodemque juramento Regem ipsius filium, ubi ad ætatem maturam perveniisset, se esse obstricturum. Præterea census annuus mille nummorum, qui in illis Italiæ partibus lingua vulgari *Squifates* dicebantur, Ecclesiæ Romanæ penderetur. Bulla secunda, quæ etiam ad Imperatricem & ejus filium dirigebatur, Electionis Episcoporum formam in Sicilia in hunc modum statuebat: *Sede vacante Capitulum obitum Episcopi vobis denunciet. Tum conveniant Canonici & virum Dignitati parem eligant. Nomen Electi illico promulgent, vosque quid actum fuerit, certiores faciant, ac consensum vestrum requirant, sine quo Episcopus electus in possessionem non immittatur. Denique Diœcesim administrare non præsumat, nisi postquam auctoritate Sedis Apostolicæ fuerit confirmatus.*

1. *ep.* 410.

ep. 411.

Bulla tertia ad Episcopos Clericosque Siciliæ directa easdem Constitutiones

ep. 412.

Sæcul. XII. A.C. 1198.

nes de Electione Episcoporum repetit. Tum subjungitur : *Jubemus, vos deinceps ad sacram Sedem, ubi opus fuerit, libere appellare, & appellationi obedire. Legatos etiam ad vos mittemus, quotiescunque necessitas postulaverit, quibus vos submittetis, nec ullum privilegium vel Rescriptum a sacra Sede impetratum objicere liceat.* Hæc clausula de pactis, quæ Monarchia Siciliæ dicta sunt, & de Transactione cum Hadriano IV. inita, accipienda est. Similis Bulla juncta erat, ad Præsules & Clericos Apuliæ data, atque in ultima Legato Octaviano mandata continebantur. Sed antequam in Siciliam perveniisset, Constantia Imperatrix e vivis excesserat.

Sup. Lib. LXIV. § 56.

ep. 413.

Gest. n. 21.

Nam illa, cum sibi supremum vitæ tempus adveniisse sensit, Testamento condito, Walterum Episcopum Trecensem*, Siciliæ Cancellarium, Archiepiscopos tres Panormitanum, Montisregii, & Capuanum filio suo Consiliarios dedit, Papam vero Regni *Bailium*, id est, illius ætætis lingua Regni Administratorem constituit, addito annuo censu, quamdiu Regno præesset, triginta millium Tarinorum (erant vero Tarini moneta aurea) eique præterea sumtus, si quos in Regni defensione faceret, reddi jussit. Obiit Constantia vigesima septima Novembris anno millesimo centesimo nonage-

* Tricariensem.

n. 23.

nageſimo octavo. Nec mora, Gregorius Cardinalis a Pontifice in Siciliam mittitur, cum ceteris Rectoribus negotia Regni tractaturus. Sæcul. XII. A. C. 1198.

Illi juramentum quidem tanquam Adminiſtratori præſtiterunt; ſed tamen ejus auctoritatem vilipendebant, maxime Cancellarius, qui æquo animo ſuperiorem ferre non poterat. Itaque Cardinalis haud diu in Sicilia moratus Romam rediit. 1. *ep.* 557. 562. 564.

§. VI.

Pontifex hortatur Fideles ad ſuſcipiendum Bellum ſacrum.

Innocentius Papa Fidelibus in Terra ſancta degentibus opem ferre ardenter cupiebat, haud ignarus a multis Eccleſiæ Romanæ objici, quod onera gravia in humeros hominum imponeret, quæ ipſa digito ſuo movere nollet. Quamobrem delectis duobus Cardinalibus, Soffrido Presbytero, Tituli S. Praxedis, & Petro Capuano Diacono, Tituli S. Mariæ in via lata, Crucem, peregrinantium Inſigne, tradidit, ut alios tam exemplo quam verbis traherent. Simul, edito mandato, conſtituit; omnes Clerici partem redituum ſuorum quadrageſimam ad bellum ſacrum conferrent. Se ipſum vero & Cardinales partem *Geſt. n.* 46. *Matth.* 23. 4.

Sæcul. XII. A.C. 1198.

partem decimam daturos promisit. Triremem, mille trecentarum librarum impendio, construi jussit, eamque, comportata annona, Messinam, quodam Templario, Hospitalario & Monacho Ducibus, misit.

Præterea Innocentius Epistolam Encyclicam ad omnes Episcopos, Principes, Clericos, populosque Franciæ, Angliæ, Hungariæ & Siciliæ directam edidit, in hunc ferme modum: *Postquam urbem Hierosolymam miserrime amisimus, Sedes Apostolica clamare & excitare populos Christianos ad ulciscendum injuriam JEsu Christo, ex hæreditate sua pulso, illatam nunquam cessavit. Olim Urias domum suam intrare & accedere ad uxorem nolebat, dum Arca Domini in castris existebat. Nunc vero Principes nostri, publicæ calamitatis tempore, vetitis amoribus indulgent, deliciis se implent, abutuntur suis divitiis, odio implacabili se se mutuo insectantur, propriæ tantum causæ memores. Non tanguntur insolentia inimicorum nostrorum, Christianis exprobrantium: Ubi est Deus vester, qui sua se potentia liberare de manibus nostris non potest? Templa vestra profanavimus, & urbem, in qua superstitionem vestram natam dicitis. Arma Francorum, Anglorum, Germanorum confregimus, Hispania ferox bis jam*

2. *Reg.* 11. 11

jam a nobis domita, jamque collectis universis viribus vestris propemodum nihil effeciſtis. Quid igitur reſtat, niſi illis, quos fuga veſtra omni auxilio deſtituiſtis, & cuſtodiam modicæ ditionis demandaſtis, ejectis, in terras veſtras transeamus, ac Chriſtianorum nomen, memoriamque in perpetuum deleamus?

Sæcul. XII. A. C. 1198.

Tum Papa ſermonem proſequitur: *Animum ergo capeſſite, filioli mei, fiduciam in Divina omnipotentia ponite, ite pro illo militaturi, qui vobis eſſe, vivere, & quidquid habetis dedit, quilibet pro facultatum ſuarum modo conferat. Si quis in tanta Eccleſiæ neceſſitate nullum JEſu Chriſto obſequium præſtet, quam excuſationem, ſtans aliquando coram ejus tribunali, afferet? Si Deus pro ſalute hominis mortuus eſt, an homo pro Deo mori perhorreſcat? an bona temporalia illius honori impendere recuſabit, a quo æternas accipit divitias? agite ergo, omnia ad expeditionem menſe Martio venturo parata ſint. Urbes & Principes congruum numerum armatorum in Terram ſanctam mittant, qui ibi ſaltem annos duos militent. Et ſi viros nequeant, ſaltem pro rata parte pecuniam ſuppeditent.*

Qui ipſimet & ſuis ſumtibus militabunt, gaudeant Indulgentia plenaria omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde

Sæcul. XII. A.C. 1198.

corde doluerint, & pœnitentiam ore professi fuerint. Qui pecuniam obtulerint, & qui sumtibus alienis, duos annos, operam præstiterint, eadem Indulgentia fruantur. Bona pie peregrinantium sub nostra & omnium in Ecclesia Prælatorum tutela sint. Si quis Crucigerorum jurejurando se obstrinxit, quod usuras daturus sit, ab Episcopis ab hoc onere absolvatur. Creditores autem nihil exigant, & si acceperint, restituant.

Bellum sacrum.

Ceterum de Judæis præcipimus Potestatibus sæcularibus, ut eos ad relaxandas Crucigeris usuras compellant, & quoadusque Judæi obsecuti fuerint, Christiani, sub excommunicationis pœna, ab omni mercatu & ab omni omnino commercii genere cum eis abstineant.

Quod hic de usuris statuitur, ideo fit, ut ab iis Christiani Crucigeri certo certius liberentur; non autem sequitur, usuras in quocunque alio casu ab Ecclesia approbari. In fine Epistolæ Pontifex Fideles hortatur, ut mores emendent, & iratum Deum placent, inprimis illi, qui in regionibus transmarinis sedem fixerant, ubi multo licentius quam in patria sua peccabant. Hæc Epistola decima quinta die Augusti anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo data eſt, atque in exemplo, ad Archiepiscopum Nar-

Narbonenſem directo, Papa ipſi ac Epiſcopis Nemauſenſi & Arauſicano præcipit, ut ea, quæ continet, adſcitis ſociis uno Templario & Hoſpitalario, exequantur. Iis non obſtantibus, quæ in iſta Epiſtola contra Judæos ſtatuta leguntur, Innocentius Papa anno poſteriore, Anteceſſorum ſuorum exempla ſecutus, iisdem Tutelam ſacræ Sedis conceſſit, prohibuitque, ne ad Baptiſmum recipiendum cogerentur, ne iis res ſuæ vi adhibita eriperentur, aut eorum conſuetudines laudabiles mutarentur. Ne turbarentur, cum Feſta ſua celebrant, ne ad præſtanda obſequia, quæ antea ab ipſis nunquam exacta, compellerentur, & tandem ne eorum cœmeteriis aliquod ſpatium detraheretur, aut effoderentur eorum cadavera. Hæc Epiſtola die decima ſexta Septembris anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono data. Sæcul. XII. A.C. 1198. 2. ep. 302.

Soffridum alterum ex Cardinalibus Legatis Innocentius Papa Venetias miſit, ubi ipſius hortatu Dux & non nulli de populo, edito voto, Crucem acceperunt. Idem peregrinantium Inſigne Marchio Montisferrati, Epiſcopus Cremonenſis, multi ex Longobardia viri Nobiles, cum innumerabili populi multitudine, arripuerunt. Cardinali Petro Capuano in Franciam miſſo negotia tria graviſſima demandata; inprimis bellum n. 47.

Sæcul. XII. A. C. 1198.

sacrum prædicaret, tum jurgia inter Franciam & Angliam componeret ac pacem reduceret, & Regem Franciæ ad revocandam Ingeburgem, uxorem suam legitimam, compelleret. Nam Cœlestinus Papa, cum primo Regem ad recipiendam Ingeburgem vehementer ursisset, postea, ut memoravimus, dissimulaverat. Sed ubi Innocentius Papa Petri Cathedram conscendit, Episcopo Parisiensi scripserat, jubens, ut ipse Regem officii sui commoneret. Scripserat Regi quoque, rursusque literas deferendas dedit Petro Capuano, quem omnes terras, Regis potestati subjectas, Interdicto ligare jussit, nisi Philippus admonitus intra mensem deinde Ingeburgi affectum maritalem redderet. Petrus vero Legatus ante Natalem Domini eodem anno millesimo centesimo nonagesimo octavo in Franciam non pervenit, ubi, illius ætatis vernacula, *Maître Perron de Chapes Chardonas de l' apostoile*, seu *Magister Petrus de Capua*, *Apostolici Cardinalis* dicebatur. Ceterum hoc anno mense Julio Philippus Rex Judæos contra omnium opinionem, Edicto, quo eos sub Regni auspicia expulerat, abrogato, Parisios revocavit.

n. 50.

Sup. Lib. LXXIV. §. 57.

1. *ep.* 4. 171.

ep. 348. *ep.* 347.

Rig. p. 42.

Ville-hard.

Rig. p. 42.

Sup. lib. LXXIII. §. 41.

§. VII.

§. VII.

Sæcul. XII. A.C.1198.

Concilium Senonense. Manichæi.

Eodem anno in Territorio Nivernensi complures Hæretici Popelicani * seu Manichæi, ab iis, qui se converterunt, proditi sunt. Eorum Caput fuit quidam, Terricus nomine, qui postquam diu Corbiniaci in specu subterraneo latuisset, abstractus convictus & flammis consumtus est.

* Publicani. *Chro. Rob. Antis. an.* 1198.

In urbe *Charitate* ad Ligerim amnem cum complures viri opulentissimi, die præstituta, qua in causa Hæresis respondere debuissent, abfuissent, excommunicati, & postea potestati sæculari traditi. Quia vero urbs *Charitas* in Diœcesi Antissiodorensi posita est, a loci Episcopo rogatus Michael Archiepiscopus Senonensis advenit; tum etiam Episcopi Nivernensis & Meldensis adfuerunt. Itaque Clericis, populoque in urbe congregatis, inquirere in eos cœperunt, qui publica fama Hæresis Popelicanæ accusabantur, patuitque Decanum Nivernensem, & Rainaldum Abbatem S. Martini, magno Catholicorum scandalo, hac infamia laborare. Unde Archiepiscopus ab officio suspensis diem præstituit, qua Antisiodorum venirent, coram eo causam dicturi. Adfuit Decanus cum quibusdam Jurisconsultis, in scientia Le-

Innoc. lib. 11. *ep.* 63. 99. *to.* 11. *Conc. p.* 3.

Sæcul. XII. A. C. 1198.

gum civilium & Canonum versatis, Archiepiscopo & duobus Episcopis Antisiodorensi & Nivernensi pro tribunali sedentibus, & quia nemo contra eum Actorem se gerebat, Archiepiscopus ex Officio Judicis recipi & audiri testes jussit, tumque eorum dicta vulgari. Porro Abbatem S. Martini Niverni Ecclesiæ suæ Prior non Hæresis modo, sed præterea adulterii, usuræ, aliorumque criminum accusabat, etiam Actoris munus obiturus, cum Abbas ad Papam appellavit. Verum Archiepiscopus nulla Appellationis frustratoriæ habita ratione, Actori potestatem fecit producendi testes, qui erant ejusdem Congregationis Canonici, quippe illa Abbatia Ordinis S. Augustini fuit. Tum documentis omnibus comparatis Archiepiscopus sententiam proferre ad tempus Concilii distulit, quod Senonibus cum suis Suffraganeis celebraturus erat, diemque dixit, qua Partes se sisterent.

In eo Concilio adfuere Archiepiscopus Senonensis, Episcopi Trecensis, Antisiodorensis, & Nivernensis, cumque Decanus Nivernensis in conspectum Judicum prodiisset, objecit non nulla contra testes, & aliquot argumenta in suam causam protulit, tumque sententiam pronunciari petiit. Archiepiscopo, postquam cum Episcopis deliberasset, visum,

non

non satis liquere culpam Hæresis. Nec etiam Purgationem Canonicam, quam Decanus præstiturum se dicebat, acceptavit, quod ei scandalum exploratissimum noceret, & demonstratum fuisset, quod non modo cum hæreticis versatus fuisset, sed etiam eorum familiaritatem studiose quæsivisset. Itaque Archiepiscopus Decanum dimisit, sive dispensandi sive rigorem Canonum augendi potestate usus. Sæcul. XII. A. C. 1198.

Abbas quoque S. Martini, ex urbe Nivernensi, Judicium Concilii Senonensis subiturus videbatur, & postquam quæcunque in rem suam esse existimabat, in medium attulisset, sententiam denunciari petiit. Sed ecce! Episcopis singulis sua suffragia expromentibus, intrat Abbatis Causidicus, & Appellationem ad Papam, quam Abbas, antequam causa discuteretur, interjecerat, confirmavit. Quamvis autem nullius momenti esset hæc Appellatio, & Abbas clam discessisset, noluit tamen Archiepiscopus eum Hæresis condemnare, sed adulterii aliorumque scelerum manifeste convictum deposuit, aliumque sibi Abbatem Canonici S. Martini elegerunt. Ceterum Archiepiscopus testium interrogatorum effata ad Papam misit, unde conficiebatur, quod Rainaldus Abbas errores duos docuisset; unum Stercora-

Sæcul. XII. A. C. 1198.

riorum, dicentium, corpus Domini nostri in Evchariſtia diggeſtioni, & omnibus, quæ exinde ſequebantur, eſſe obnoxium. Alterum, in fine futurum eſſe, ſecundum Doctrinam Origenis, ut omnes ſalvarentur. Ex his formam, quæ in Judiciis Eccleſiaſticis ſervabatur, diſpicimus.

Decanus Nivernenſis Romam profectus, conſpectum Innocentii Papæ ſubiit, & in Conſiſtorio auditus, id præcipue in defenſionem ſuam afferebat, quod teſtes contra ſe recipi non debuiſſent, quia nullus adfuerat Actor, & ipſe purgationem Canonicam ſubire non detrectaverat. Papa, ſententiæ ab Archiepiſcopo Senonenſi latæ nihil detrahens, Decanum ei remiſit, jubens, ut cum quatuordecim viris ſui Ordinis ſe purgaret; quod ſi præſtitiſſet, in Beneficium ſuum reſtitueretur. Si vero tot innocentiæ ſuæ teſtes producere non poſſet, deponeretur, & in Monaſterio ad agendam pœnitentiam includeretur.

2. ep. 63.

Hæc ſententia die ſeptima Maji anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono prolata.

Nec Abbas S. Martini Niverni, nec quisquam alius ipſius nomine Romam venit, cumque Papa diu expectaſſet, & cauſam non ſatis clare expoſitam exiſtimaret, judicium Petro Capuano, Legato ſuo,

suo, atque Odoni Sulliacensi Episcopo Parisiensi commisit, addito mandato; si scelerum, quæ Accusatores attulerant, convinceretur, etiam a sacerdotio depositus in Monasterium detruderetur, ne desperatione actus ad Hæreticos converteretur. His Mandatis dies decima nona Junii anno millesimo centesimo nonagesimo nono apposita. Sæcul. XII. A.C. 1198. 2. ep. 99.

§. VIII.

Rainerius & Guido Mandatarii in causa Hæreticorum.

In illis Franciæ regionibus, quæ meridiem spectant, Hæresis Manichæorum, & Waldensium his recentiorum, adhuc grassabatur. Quod ex compluribus Innocentii Papæ Epistolis, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, Pontificatus sui primo, datis cognoscimus. Scripsit Archiepiscopo Augustæ Auscio- 1. ep. 81.
rum; ipse cum ceteris Episcopis ad extinguendam in Vasconia hanc pestem omnes vires intenderet, atque etiam, si opus esset, Principum populorumque arma adhiberet. Inde etiam credidit In- ep. 494.
nocentius, facilius se posse Episcopo Carcassonensi annis fracto petitam potestatem facere, munus Episcopale dimittendi.

Sæcul. XII. A. C. 1198.

Duos Monachos Ordinis Cisterciensis Rainerium & Guidonem in has provincias ad convertendos Hæreticos delegavit, datisque ad Episcopos literis præcepit; venientes humane exciperent, laborantes adjuvarent, & omnia, quæcunque adversus contumaces Hæreticos, eorumque Sectatores decrevissent, accurate servarent. *Principibus quoque*, subjungit Papa, *Comitibus & omnibus provinciæ vestræ Optimatibus præcipimus, ut eos contra Hæreticos muniant & illa potentia tueantur, quam ad vindictam malorum acceperunt. Itaque postquam Frater Rainerius in Refractarios Censuram excommunicationis pronunciaverit, Principes eorum bona publico ærario addicant, ipsos e terris suis in exilium ejiciant, & si manere audeant, majore rigore in eos animadvertant. Porro Fratri Rainerio potestatem communicavimus, qua Principes ad hæc servanda Excommunicatione & ditionum ipsorum Interdicto compellat. Scribimus quoque cuncto vestræ provinciæ populo, & monemus, ut, Fratribus Rainerio & Guidone id petentibus, contra Hæreticos moveant, omnibusque, qui Legatos nostros bona fide adjuverint, eam Indulgentiam, quam lucraturi essent, si Romam vel ad S. Jacobum proficiscerentur, concedimus.* Hæc Epistola Encyclica

ep. 94.

clica fuit, atque ad Archiepiscopos A- Sæcul. XII.
quensem, Narbonensem, Ausciensem, A.C. 1198.
Viennensem, Arelatensem, Embrodu-
nensem, Lugdunensem & Tarraconen-
sem, eorumque Suffraganeos, missa. A- *ep.* 165.
liam quoque similem Papa Principibus
& illarum Ecclesiarum populis scripsit.
Ceterum hujusmodi Mandatarii a Papa
contra Hæreticos delegati posterioribus
Sæculis Inquisitores dicti sunt. Haud
diu post Innocentius, Fratre Rainerio in
Hispaniam misso, soli Fratri Guidoni
negotium in Francia perficiendum com-
misit. Anno superiore millesimo cen-
tesimo nonagesimo septimo Petrus II. *Append. Marc. Hisp. n.* 487.
Rex Arragoniæ Regnum auspicatus ni-
hil prius molitus est, quam edita lege
Waldenses persequi. Tribunis, Recto-
ribus, ceterisque Præfectis in ea man-
dabat, Hæreticos intra præscriptum tem-
pus e Regno suo pellere, ipsique solum
vertere jubebantur, nisi, bonis suis Fi-
sco addictis, flammis deleri vellent.
Quod Decretum Raimundo Archiepi-
scopo Tarraconensi, Episcopis, & regni
Optimatibus præsentibus condictum.

Occasio autem Rainerium in Hispa- *Ep.* 92. *Roderic. VII. c.* 31.
niam mittendi hæc fuit. Cum Alphon-
sus Rex Legionis Berengariam, Alphon-
si Regis Castiliæ, sobrini sui, filiam con-
nubio sibi junxisset, jusserat Pontifex, ut
eam dimitteret. Ergo Rainerius in man-

Sæcul. XII. A.C. 1198.

datis habebat, Pontificis præceptum Regibus secundo denunciare; hoc matrimonium solverent; refractarios excommunicare, eorumque ditiones Interdicto Ecclesiastico subjicere.

ep. 99.

Præterea jussus erat Rainerius, a Rege Portugalliæ exigere tributum centum numorum & quatuor unciarum auri, quas ipsum sacræ Sedi pendere debere Papa affirmabat. Rainerius, postquam in Hispaniam pervenit, Regem Legionis bis monitum, Berengariam removere, locum diemque præstituit, quo coram ipso se sisteret, atque spreto suo mandato absentem Regem excommunicationis fulmine feriit, Regnumque vinculo Interdicti constrinxit. Regem vero Castiliæ nulla ligavit Censura, quia mandatis Papæ obtemperans respondérat; recepturum se filiam suam, si a marito rejiceretur.

Gest. Inn. c. 58.

§. IX.

Ordo Trinitariorum.

Anno millesimo centesimo nonagesimo octavo exeunte, Innocentius Papa Regulam Ordinis S. Trinitatis de Redemtione captivorum confirmavit. Id cognoscimus ex Bulla ad Joannem de Mata directam, illius Ordinis primum Ministrum; ita enim viri illi Religiosi Præpositos suos vocabant. Joannes anno

no milleſimo centeſimo ſexageſimo in Oppido *Falcone* in finibus Provinciæ natus, in primis literis eruditus eſt Aquis, unde in domum patris ſui reverſus poſtea in cellulam vicinam, Eremicolæ paratam, ſeceſſit, ut totum ſe piis exercitationibus dederet. Sed propinquorum ſuorum ventitantium concurſu fatigatus, conſentiente patre, Pariſios ſe contulit, Theologiæ operam daturus. In quo ſtudio ita profecit, ut per gradus omnes aſcendens Doctorum Lauream adeptus ſit. Exinde cum fama cujusdam Eremitæ, nomine Felicis Valeſii, ad Joannis aures perveniſſet, ad eum in ſolitudine, quæ *Cervus frigidus* dicebatur, prope oppidum, vulgo *Gandelu*, in Diœceſi Meldenſi inviſit, permanſitque cum eo, oratione præcipue & magna vitæ auſteritate ſe ſe exercens.

Sæcul. XII. A. C. 1198.

Baillet. 8. *Febr.*

Quadam die Joannes de Mata Felicem participem conſilii ſui fecit, quod, cum primum Miſſæ Sacrificium obtuliſſet, conceperat; totum ſe ſe redemtioni captivorum eſſe dediturum. Maximus enim eorum numerus, præſertim illa ſacrorum bellorum ætate, in vinculis Infidelium gemebat, quæ res Joannem, in Provincia natum, magis quam alios affligebat. Placuit Felici hæc amici voluntas, ac poſtquam jejunaſſent, oraſſentque, cum crederent, Dei nutum

ſe

Sæcul. XII. A.C. 1198.

se cernere, statuerunt, Romam ire, & Papæ approbationem petere. Itaque iter capessunt, exeunte anno millesimo centesimo nonagesimo septimo, cum esset hyems summa, & Romam mense Januario sequente, Innocentio III. illis diebus electo, perveniunt. Postquam Papa Joannem de Matta propositum suum exponentem, rogantemque, ut illud auctoritate Apostolica muniret, audivisset, ut negotium istud plene cognosceret, eum remisit ad Episcopum Parisiensem, & Abbatem S. Victoris, quibus hujus Doctoris mens erat exploratissima. Cum iis igitur Joannes Regulam novi Ordinis sui composuit, in qua constituitur; ut Fratres tertiam omnium bonorum suorum partem ad opus redimendi captivos servent, omnes eorum Ecclesiæ soli Sanctæ Trinitati sacræ sint, in qualibet domo præter Ministrum plures non sint quam Clerici tres & totidem Laici. Veste candida incedant, & in cappis suis signa gerant, quibus discernantur. Iter facturi nunquam conscendant equos, sed tantum asinos. Unde aliquanto tempore Fratres Asinini dicti sunt.

Præterea majore anni parte jejunabant, nec alias carnes piscesve quam dono sibi datos, aut inemtos & ex propriis vivariis acceptos comedebant, nisi forte

forte in itinere. Ministrum sacerdotio initiatum esse oportebat, & Congregationi a Confessionibus; his Ministris ordinariis Minister major præerat, qui deinde Generalis appellatus est. Cum Officium Divinum celebrarent, morem Abbatiæ S. Victoris, quantum permittebat exiguus eorum numerus, sequebantur. Capitulum privatum cujuslibet domus singulis annis habebatur, castigationes Caritate nitebantur, & tota hæc Regula magnam omnino Pietatem redolet. *Cervus Frigidus* eorum domus princeps fuit, quam eis Margaritha, Burgundiæ Comitissa contulit, & post annos exinde triginta Capitulum Parisiense veterem in urbe Ecclesiam S. Maturino dedicatam, quæ prius Eleemosynaria S. Benedicti nominabatur, iisdem dedit. Unde in Francia Maturini vocantur.

Sæcul. XII. A.C. 1198.

I. ep. 252.

Episcopus Parisiensis & Abbas S. Victoris Regulam novi Ordinis ita concinnatam, additis literis suis ad Innocentium Papam miserunt, qui non nullis, rogante Joanne de Mata, adjectis eam confirmavit, Bulla die decima septima Decembris anno millesimo centesimo nonagesimo octavo data. Mense Martio anni sequentis, Papa, data ad Regem Marocanum epistola, eidem quosdam viros Religiosos Trinitarios commendavit,

Hist. univ. to. 2. p. 524.

Dubois hist. Paris. to. 2. p. 327.

d. ep. 481.

II. ep. 9.

Sæcul. XII. A.C. 1198.

vit, ejus Regnum adituros, ut Instituti sui officiis defungi inciperent, nempe, Christianos ex manibus Infidelium redimerent, aut ex manibus Christianorum Infideles, cum captivis Christianis deinde permutandos.

vid. Jac. Vitriac. hist. Occid. c. 25. Alber. Chro. 1198.

Exinde Trinitariorum Ordo in Francia, in Longobardia, in Hispania, quin etiam in Regionibus ultra mare positis, mirum in modum propagatus est. Albericus Monachus, qui ab ortu hujus Instituti post annos quadraginta scripsit, commemorat, jam tunc domos Trinitariorum ferme sexcentas fuisse numeratas, & addit suis verbis : *Maxima laude dignum est, sine dubio, hoc Institutum, sed Fratribus in itinere versantibus innumeræ spiritum Religiosum amittendi occasiones nascuntur.*

§. X.

Festum Fatuorum.

Ep. Odon. post notas. Petr. Bles. p. 778. V. Cang. Gloss. Kalendæ.

Petrus Capuanus Legatus, postquam Lutetiam Parisiorum perveniisset, & Ecclesiam Cathedralem lustrasset, comperit, in ea singulis annis prima die Januarii, ludos profanos celebrari, qui Festa Fatuorum dicebantur, atque plebejos homines effusa licentia bacchari, non solum verba spurcissima effutire, sed etiam scelera audere, denique non nunquam

nunquam Ecclesiam cruentare. Doluit vehementer Petrus intempestivum abusum, in die Circumcisionis Domini nostri, & tali Ecclesiæ tempore, quo omnes boni Terræ sanctæ devastationem & ruinam lugerent. Itaque mandatum edidit, Odoni Sulliacensi Episcopo Parisiensi Decano, aliisque Capituli Viris dignitate fulgentibus, inscriptum, in quo auctoritate Legati Apostolici usus, vetat, ne inposterum ad diem illum de fæce homines concurrere præsumant, addita in refractarios Excommunicationis pœna, jubetque Episcopum & Canonicos Capitulares Festum Circumcisionis Domini congrue & decore celebrare. Sæcul. XII. A.C.1199.

Ut huic Mandato obsequeretur, Episcopus Parisiensis literas edidit, in quibus minutatim præscribit Ritus, in Festo Circumcisionis servandos, cum Officium Divinum peragerent, & præcipit Canonicis, ut tota illa die modeste in suis stationibus consistant. Hæ literæ Episcopi anno millesimo centesimo nonagesimo octavo exeunte, vel ineunte sequente ante Pascha, datæ sunt. Aliis literis, anno millesimo centesimo nonagesimo nono datis, Odo Episcopus Canonicas distributiones destinat illis Capitularibus ceterisque Clericis, qui Officio Nocturno & Missæ in Festis

S. Ste-

Sæcul. XII. A. C. 1199.

S. Stephani & Circumcisionis interfuerint, ea conditione, ut Distributiones cessent, si antiquam perditorum hominum impudentiam & improbitatem dissimularent. Credibile est, illam licentiam ad tempus fuisse pressam; sed constat, non fuisse penitus abolitam, cum Fatuorum insolentiam adhucdum post annos ducentos & quadraginta toleratam legamus.

§. XI.

Petrus Capuanus Legatus in Francia.

Richardus Rex Angliæ, Episcopo Lexoviensi & quodam Doctore, nomine Garnerio, Romam missis, querelas ad Innocentium Papam detulerat, contra Ducem Austriæ, quod se captivum ad Redemtionis pretium dandum compulisset, contra Regem Navarræ, quod quasdam suæ Ditionis urbes præter fas occupasset, & contra Regem Franciæ, de quo querebatur, quod sibi, in Bello sacro absenti, oppida detraxisset, & plura alia intulisset damna. Quidam scientiarum Doctor, de S. Lazaro dictus, a Rege Franciæ Romam missus, Dominum suum contra omnia, a Richardo Rege objecta, in Judicio Papæ egregie tuebatur; quia vero uterque Principum Legatus

Innoc. lib. 1. ep. 230.

gatus mandata neceſſaria ad negotium, per viam Juris perficiendum, non habebat, promiſit Papa, quod rebus Italiæ Siciliæque compoſitis, in Franciam profecturus eſſet, aut ſaltem Legatos ſuos, ad litem definiendam, miſſurus. Ubi Petrus Capuanus, promiſſa Pontificis executurus, in Franciam pervenit, ad pacem inter Reges reducendam animum adjecit, effecitque, ut Colloquium indiceretur, quod in utriusque Regni limite, medio ferme menſe Januario anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono, in quodam loco inter oppida Andelium & Vernonem ſito, habitum eſt. Adfuere plurimi Epiſcopi, Abbates, Proceres, aliique viri tum Eccleſiaſtici tum Laici (*). Pax tamen ad effectum perduci minime potuit; tantum Induciæ ad quinquennium nudis verbis promiſſæ, quas Papa poſt tres menſes approbavit confirmavitque. Sed vix tribus illis menſibus ſervatæ ſunt.

Sæcul. XII. A. C. 1199.

I. ep. 345. 346 Rog. p. 790. Aquicinct. an. 1199. to. 10. Conc. p. 7.

Inn. 2. ep. 23. 24. 25.

Tum

(*) Non nulli Proteſtantes, Summorum Pontificum famam acerbiſſime lacerantes, ſi æquitatem amarent, attendere deberent, Papam ſæpiſſime non tam Judicis officium in cauſis Principum Regumque occupaſſe, quam ſummos orbis Monarchas Sacræ Sedis arbitrio ſe ipſos ſponte ſubjeciſſe.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

Tum Legatus ad Ingeburgem Reginam Philippo Regi reconciliandam nullum non movit lapidem; sed cum toto hoc anno actum egisset, Concilium Divione in Ecclesia S. Benigni celebrari jussit, cui præfuit, Archiepiscopis, Lugdunensi, Remensi, Vesuntino, & Viennensi, præterea Episcopis octodecim, ac multis Abbatibus, quos inter Cluniacensis & San-Dionysianus in Francia eminebant, præsentibus. Hoc Concilium, cui in Festo S. Nicolai sexta die Decembris initium datum, septem diebus continuatum est. Rex vero, cum non dubitaret, Legatum contra se Censuris Ecclesiasticis usurum, nuncios suos ad Papam appellare jussit, & Legato visum est, ad tempus sententiam differre, non ut Appellationi morem gereret, sed ut mandata Pontificis in alio loco commodius exequeretur. Nam paucis post diebus, Viennæ in Delphinatu, quæ Provincia tunc Imperio subjecta erat, multis Archiepiscopis, quos inter non nulli de Regno Franciæ erant, convocatis, ipsis præsentibus, sententiam Interdicti Ecclesiastici in omnes ditiones Regi subjectas promulgavit, additis ad omnes Præsules mandatis; sub pœna suspensionis hanc Censuram servarent.

to. 11. *Conc. p.* 11. *Gest. Inn. n.* 51.

§. XII.

Sæcul. XII.
A.C.1199.

§. XII.

Fulco Neviliacensis.

At tertium susceptæ Legationis negotium, videlicet Belli sacri prædicationem Petrus Capuanus felicius peregit. Quæ res etiam Innocentio Papæ ita cordi erat, ut nihil magis. Id dispicimus ex ejus Epistolis in hac causa datis, maxime autem ex illa, quam Fulconi Neviliacensi, die quinta Novembris, anno millesimo centesimo nonagesimo octavo, scripsit. Erat Fulco Parochus Neviliaci ad Matronam amnem, vico inter Lutetiam Parisiorum & Lagniacum posito, vir zelo magno prædi-tus, simplex, sed parum literatus, quem olim ignorantia in turpem vitæ licentiam, non sine Fidelium scandalo, impulerat. Postea vero Dei Gratia conversus Parochiam suam solicite regere, verbum Dei in tota vicinia prædicare, & populo rerum caducarum contemtum inspirare cœpit. Vultu & voce ad severitatem composita peccatores increpabat, in primis mulieres libidinosas, & viros usurarios; nam his vitiis illæ regiones enormem in modum sordebant. Ceterum Fulco nudam veritatem exponebat, nemini parcens; unde initio quorumdam inimicitiam & contemtum in

1. *ep.* 336.

1. *ep.* 393. *Ville-hard. avec les obser. de Ducange. Jac. Vitriac. hist. occid. c.* 6. 8. *Robert. Antis. p.* 95.

æcul. XII. SA.C.1199.

se concitavit, nec primis duobus annis magnus animarum fructus secutus.

Non ignorans, scientiam sibi deesse, Parisios pergebat, ubi scholas theologicas frequentabat, Doctores auscultabat, Textus Scripturæ ac Doctrinæ morum axiomata in suas tabellas referebat, tumque scripta & audita in usus suos adhibens, die Dominica in Ecclesia sua populo prædicabat, quæ per hebdomadam didicerat. Petrus Cantor, quem sæpe docentem audiebat, boni Sacerdotis fervorem admiratus, quadam die eum ad dicendum ex Cathedra Parisiis in Ecclesia S. Severini, ipso & multis Theologiæ Studiosis præsentibus, permovit. Ille adspirante Divina Gratia tam apte ad persuadendum peroravit, ut ejus Magister ceterique auditores faterentur, S. Spiritum ex ore hujus Sacerdotis loqui. Exinde Doctores, eorumque Discipuli mutuo se se invitabant ad audiendos Fulconis sermones, etsi humilis esset & inculta oratio. Nempe sermones virorum doctorum illa ætate divisionibus & subdivisionibus, locis communibus, allegoriis, & allusionibus ad verba S. Scripturæ scatebant, re ipsa vero pauca ad persuadendum idonea argumenta & nulla ferme vis ad movendos audientium animos inerant. Qui cupit, hujus rei veritatem in sermoni-

monibus Petri Cellenſis, Petri Bleſenſis, & Stephani Tornacenſis, inſpiciat. Sæcul. XII. A C. 1199.

Quadam die, cum Fulco Pariſiis in foro de campellis ſeu in publica porticu, ad ingentem Clericorum populique frequentiam vehementiſſime dixiſſet, multi, corde contriti, ad ejus pedes ſe ſe proſtraverunt, virgas vel lora manibus tenentes, nudis pedibus, interula tecti, peccata ſua publice confitentes, ſeque ejus regimini penitus committentes. Fulco, gratias Deo agens, pœnitentes amplectebatur, & congrua ſingulis ſuggerebat conſilia, uſurariis, raptoribus ſuadebat, ablata & aliena, ut poſſent, reſtituerent. Vulgati corporis feminæ, abſciſſis ſibi capillis, infame commercium reliquerunt, & ipſe non nullas honeſtis viris in matrimonium dedit. Aliæ perpetuam continentiam elegerunt, in quarum gratiam, ut Abbatia S. Antonii fundaretur, a viris beneficis obtinuit. Tandem Fulconis ea fuit auctoritas, ut juvenes ſtudioſi, ipſique Doctores eum concionantem audituri confluerent, jam vice verſa tabellas manibus tenerent, ut notatu digna ſcriberent, iisque ipſi cum ad populum dicerent, uterentur. Sed Fulconis doctrina in aliorum ore non ejusdem efficaciæ eſſe videbatur. Ipſe Doctores hortabatur; Doctrinam ſuam oratione brevi, *Otto a S. Bl. c. 47.*

Sæcul. XII. A.C. 1199.

utili & eleganti proponerent, persuasitque compluribus multa subtilia & quæstiones superfluas omittere. Quin aliqui ejus Disciplinæ se submiserunt & ad prædicandum verbum Dei operam junxerunt, quos inter Petrus Cantor, Petrus Rossiacensis, Abbas Monasterii vulgo *Perseigne* Ordinis Cistercienſis, Eustachius Abbas Monasterii *de Flai* seu S. Germeri, Albericus Laudunensis Archidiaconus Parisiensis, postea Archiepiscopus Remensis, & quidam alii recensentur.

Fulco in tota Francia, in Flandria, in Burgundia, & in magna Germaniæ parte, prædicavit, ab Episcopis invitatus, & ubique tanquam missus de cœlo Angelus exceptus. Donum etiam miraculorum a Deo accepit, omnisque generis languentes sola manuum impositione & formato signo Crucis sanavit. Sed non omnes sine discrimine ægrotos, quicunque offerebantur, incolumitati reddebat; aliquibus gratiam sanitatis in corpore simpliciter denegans dicebat, ægritudinem ad eorum salutem animæ expedire, & aliis, necdum eos pro peccatis suis satisfeciſſe. Quadam die muti ad eum adducuntur, quorum ora manu aperuit, inspiravit, & loqui jussit, tum obedire cunctantibus alapas, tanquam pertinaces ad loquendum com-

Otto a S. Blas. c. 4.

compulsurus, impegit. Illi protinus di- Sæcul. XII.
sertis verbis Deo & Fulconi gratias di- A.C.1199.
cunt. Alia die cum viri Nobiles juvenem, propinquum suum, omnibus pæne membris captum, in ejus conspectum deduxissent, Fulco primum eis vestium pretiosarum luxum exprobravit. Tum juveni, equo imposito, præcipit, ut descendat, quo non obediente, quia penitus impotens erat, idem secundo in nomine JEsu Christi imperat, & ægroto necdum quod jubebatur faciente, ipse sonipedem (equitabat enim) levatum tenens baculum quasi percussurus, impellit in juvenem, qui pavidus ex equo in humum effunditur. Tum lapsum Fulco jam sospitem & valentem erigit, jubetque, se ipsum præ lætitia non capientem, in experimentum recuperatæ sanitatis latissimum campum præcipiti cursu emetiri. Ceterum optimus Sacerdos nihil in alimentis vel vitæ ratione ab aliorum hominum more abhorrens habebat, equo iter faciebat, & quod apponebatur, manducabat.

Quadam die Richardum Regem An- *Rog. p. 789.*
gliæ affatus Fulco, *Dei omnipotentis nomine*, inquit, *tibi denuncio: tres pessimas, quæ tibi sunt, filias nuptui trade, ne gravius malum tibi obtingat.* Respondit Rex: *Mentiris Hypocrita! non habeo filiam.* Cui Fulco: *imo tres habes*

Sæcul. XII. A.C.1199.

bes filias, ſuperbiam, avaritiam, & impudicitiam. Tum Rex converſus ad amicorum proximos, *faciam igitur, quod vis*, ait, *ſuperbiam meam Templariis, Avaritiam Monachis Ciſtercienſibus, & impudicitiam Prælatis Eccleſiæ colloco.*

*Rigord.p.*39 Fulco prædicandi officium anno milleſimo centeſimo nonageſimo quinto in ſe ſuſceperat, quare, cum fama virum celeberrimum effeciſſet, Petrus Capuanus ejus opera ad prædicandum Bellum ſacrum opportune uſus eſt, & conjicere licet, hoc Cardinale eum commendante Innocentium Papam literas, quas meminimus, ad Fulconem dediſſe. In iis

1.*ep.*398. hortatur Papa; ut dotes a Deo acceptas ad inſtruendum populum Fidelem impendat. Poteſtatem etiam facit, qua, accedente Legati conſilio, quosdam ex monachis Nigris, ex monachis Albis, & Canonicis Regularibus magis idoneos, ſibi in prædicatione ſocios deligeret. Illa tempeſtate Cluniacenſes, Monachi Nigri, & Ciſtercienſes Monachi Albi dicebantur.

§. XIII.

Expeditio ſacra Francorum.

Tandem Fulco accepto pie militantium Inſigni, Fideles ad profectionem ſacram magno ſucceſſu ſuis ſermonibus excitavit. Nam ubi vulgatum eſt,

est, ipsum Fulconem, Cruce signatum, Ducem propinquæ Expeditionis futurum, populi turmatim confluere, & Crucem de ejus manu expetere. Maximam eleemosynarum & auri vim cumulavit, unde sumtus in profectionem suppeterent. Quantumvis vero ejus intentio fuerit pura, non nihil tamen de ejus fama detractum, ejusque auctoritas haud parum imminuta. Sæcul. XII. A.C. 1199. *Alber. an.* 1199.

Principum præcipui, qui Fulconis prædicatione moti ad iter in Palæstinam se accinxerunt, fuerunt Theobaldus V. Comes Campaniæ, annos natus viginti duos, & Ludovicus Comes Blesensis, annum vitæ agens vigesimum septimum. Hi Sobrini erant Regis Franciæ, Regis Angliæ vero nepotes, atque consilium Hierosolymam proficiscendi & societatem itineris promiserant in Ludis Equestribus, initio Adventus anno millesimo centesimo nonagesimo nono in Campania celebratis. Sicque ex illis spectaculis, per Constitutiones Canonicas tam districte & diserte vetitis, non nunquam utile aliquid oriebatur. Cum iis præterea Crucigerorum votum ediderunt Simon Montfortius exinde bello contra Albigenses nato clarissimus, Renaldus *de Monte* * *Miraculi*, Godefridus *de Villa-barduina* in Campania castrorum Præfectus, qui lingua Gallica, illo ævo *Ville Hard. n. 2. & les observ. de du Cange.*

* Montmirail.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

vulgari, Hiſtoriam hujus ſacræ Expeditionis literis mandavit, & plures alii. Epiſcopi quoque duo Garnerius Trecenſis & Nevelonius Sueſſionenſis ſacræ Militiæ nomen dederunt.

Inter hæc Innocentius Papa, ut rem Chriſtianam in Oriente curaret, ad Regem Hieroſolymæ & Imperatorem Conſtantinopolitanum literas dedit. Titulum Regis Hieroſolymæ tunc gerebat Aimericus Luſignanus, Rex Cypri, quem Latini, cum eum ad vacillans hoc Regnum ſuſtinendum maxime idoneum crederent, elegerant, nam præterea Iſabellam Amalrici Regis filiam uxorem habebat. Papa igitur miſſis ad Aimericum Regem & Reginam ejus Conjugem Epiſtolis tutelam ſuam, quam petierant, promiſit, Regem præcipue hortatus, ut virtutes, quæ Regiam Dignitatem ornant, amaret; iterumque affirmabat ſe nulli labori aut induſtriæ parcere, qua ei auxilia ex Europa transmitteret. Hæ duæ Epiſtolæ menſe Decembri anno milleſimo centeſimo nonageſimo octavo datæ. Simul Papa Comiti Tripolitano ſcripſit; ipſe Regnum Cypri cuſtodiret, quo tempore Rex Aimericus, bellum in Palæſtina gerens, abeſſet. Nemo enim ignorabat, Imperatorem Conſtantinopolitanum occaſionem captare, jus ſuum in hanc Inſulam ſibi vindi-

Sup. Lib. LXXIV. §. 61.

l. ſp. 437.

ep. 438.

vindicandi. Scripsit etiam Papa literas ad Principem Antiochenum, ad Magistros Templi & Hospitii Hierosolymitani, Aimerico Regi faventes, & quia complures Latini, Terræ sanctæ incolæ, abibant, prætextu implendi edita vota, quibus se ad alia loca sacra visenda obstrinxissent, his licentiam ibi manendi dispensavit, ne Palæstinam suo auxilio destituerent; quin etiam pecunias, quas itineri impensuri fuissent, in stipendia militum, & reparandas munimentorum ruinas conferrent. Sæcul. XII. A.C. 1199.

§. XIV.

Epistolæ Papæ ad Imperatorem & Patriarcham Constantinopolim datæ.

Alexius Angelus Imperator, comperta Innocentii Papæ III. electione, missis cum pretiosis muneribus Legatis, rogavit, ut invicem ipsum Legatione honoraret. Misit Papa Albertum Subdiaconum & Albertinum sibi a secretis Notarium cum Epistola, cujus summa hæc erat: *Boni consule, cum tibi sincere aperio, quantum ego obstupescam, & quantus sit populorum Christianorum murmurantium strepitus, quod hucusque haud sane ut debebas ad liberandam de jugo Infidelium Terram sanctam auxilia contuleris,* *Gest. Innoc. n. 60.* 1. *ep.* 353.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæcul. XII. A.C. 1199.

leris, quamvis nemo te magis commode potuisset, cum nullus Principum te magis propinquus hostibus regnet, & tuis opibus ac potentia Crucis Domini inimicos longe superes. Sed aliud præterea est, de quo Christiani conqueruntur, non contra te modo sed etiam contra Ecclesiam Romanam, quæ erratum dissimulare videtur; illud videlicet, quod Graeci, licet Ecclesia una sit, ab Unitate sacræ Sedis discedentes, aliam sibi Ecclesiam finxerint (*). Itaque hortatur Pa-

pa,

(*) Dieser Satz, den hier Pabst Innocentius wider die leichtfertigen Griechen anziehet, ist gründlich und unwiderleglich. Denn wo die Gemeinschaft und Einigkeit nicht ist, da kann die wahre Kirche Christi unmöglich seyn. Darum ist der Gedanken einiger Protestanten, als Mosheims und Windheims, Mitleidens würdig, wenn sie ein allgemeines Recht der Protestanten schreiben wollen; da doch in den protestantischen Kirchen, als bey den Reformirten, bey den Lutheranern in Deutschland, bey den Holländern, bey den Schweizern, bey den Russen (denn die deutschen protestantischen Fürsten glauben es sey keine Sünde, sich zu der moscowitischen Religion eydlich zu bekennen) nichts allgemeines gefunden wird; als etwan die heilige Schrift, welche eine jede aus obbemeldten Kirchen in einem andern und willkürlichen Verstande ausleget, und keine aus allen verbunden ist, die Meynung einer andern anzunehmen.

pa, ut Christianis in terra sancta periclitantibus succurrat, & Græcos ad unitatem & concordiam Ecclesiasticam reducere conetur. *Secus vero*, subjungit, *quamvis non sine maximo animi dolore durius quidquam de te decerneremus, nihil tamen, ne quod officii nostri ratio postulat faciamus, avocare nos poterit.* In alia Epistola, de eadem causa ad Patriarcham Constantinopolitanum data, Innocentius unitatem Ecclesiæ & S. Petri Primatum acriter defendit. Sæcul. XII. A. C. 1199. 1. *ep.* 354.

Alexius Imperator, Epistola mense Februario Indictione secunda, nempe anno millesimo centesimo nonagesimo nono, ad Papam data, respondens, profitetur, haud modice se moveri expro- *ap. Innoc.* bratione, quod pauca hucusque ad vin- 2. *ep.* 210. dicandam Terram sanctam contulisset. Verum dicit, tantæ felicitatis tempus necdum advenisse, timereque se, ne obluctetur voluntati Numinis, peccatis Christianorum adhuc irascentis. *Major est*, ait, *nostrorum animorum Divisio, quam ut unum omnes velimus, & interim nullus belli successus sperandus. Non ignoras, Fridericum Regem Germaniæ ditionibus meis vastitatem intulisse, postquam tam solemni ritu jurasset, innoxium fore militis transitum. Quo pacto auxiliari gentibus potuissem, mihi tam infensis? me igitur dimisso, illos*

Sæcul. XII. A. C. 1199.

los increpa, qui simulantes se pro Jesu Christo laborare, contra Dei voluntatem agunt. De reconciliatione Ecclesiarum dicit Imperator; facillimum fore negotium, nisi animorum discordia obstaret, & si Prælati prudentiam carnis abjicerent. Ut vero res tanta perfici possit, hortatur Pontificem, ad convocandum Concilium, cui Ecclesiam Græcam certo interfuturam promittit.

In Cathedra Patriarchali Constantinopolitana tunc sedebat Joannes Camaterus, antea ejusdem Ecclesiæ Diaconus & Chartularius, qui anno superiore millesimo centesimo nonagesimo octavo Georgio Xiphilino successerat, postquam Sedes, ob absentiam Imperatoris Alexii, duobus mensibus vacasset. Hic Patriarcha, ad Epistolam Innocentii Papæ respondens, in exordio zelum ejus laudat, quo concordiam Ecclesiarum revehi exoptat. Tum speciem dubitantis præbens, quæ Romanis objicienda habebat, humanissime exponit, & quærit, qua ratione Ecclesia Romana universalis esse possit, cum dentur aliæ particulares? & quomodo Mater omnium Ecclesiarum dicatur, cum omnes ceteræ ab Ecclesia Hierosolymitana originem ducant? Ad illud vero, quod Papa Græcorum culpæ adscriberet, divisam fuisse Ecclesiam, affirmat Patriarcha, Græcos dicentes,

Catalog. jus. Græc. R. p. 303. Sup. n. 24.

ap. Innoc. 2. ep. 208.

Res Ecclesiæ Græcæ.

S. Spi-

S. Spiritum a Patre procedere, verbis JEsu Christi, Symbolo Niceno, & aliorum Conciliorum, quæ Pontifices Romani recipiunt, inhærere. Ita tacite Latinos accusat, quod Schismatis auctores essent. Sæcul. XII. A. C. 1199.

Respondit Papa, data prolixa Epistola, duodecima Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo nono, in qua primum fuse probat Primatum sacræ Sedis auctoritate Dei ipsius institutum, & oblata occasione dicit, quod solus S. Petrus non solum omnia, sed etiam omnium hominum peccata remittere possit. 2. *ep.* 209. *& Gest. Inn.* 61.

Videlicet, ut istud in meliore sensu accipiamus, quod solus Jurisdictione in totam Ecclesiam præditus sit. Solvens deinde quæstiones a Patriarcha motas, dicit, Ecclesiam appellari universalem duplici modo; primo, quod ex omnibus Ecclesiis constituatur, atque in hoc sensu in Græcia Catholicam nominari. *In isto itaque sensu*, ait, *Ecclesia Romana non est universalis, sed Ecclesiæ universalis pars existit; at in eo est universalis, quod omnes Ecclesias sibi subditas habeat.* Ad illud, quod Patriarcha Constantinopolitanus dicebat, Hierosolymam esse Matrem omnium Ecclesiarum, respondet Papa iterum adhibens duplicem distinctionem, & *Hierosolyma*, inquit,

Sæcul. XII. A.C. 1199.

quit, *Mater est, si temporis, Roma autem, si Dignitatis ratio consideretur, sicut S. Petrus Primatum obtinuit potius quam S. Andreas, qui prior quam Petrus JESUM Christum secutus fuerat. Hierosolyma Mater est Fidei, sed Roma Mater est Fidelium; sicut Ecclesia Mater est Fidelium universalis, quamvis etiam Synagoga Ecclesiæ Mater dicatur, quia eam tempore præcessit, & ex ea Ecclesia nata est.* Præterea dicit Papa, animo se constituisse, Concilium Generale convocare, ad quod Patriarcham invitat, vultque, ut quod Imperator promisit, vel ipse Patriarcha vel ipsius nomine præcipui aliquot Græcæ Ecclesiæ Præsules veniant. Si detrectarent, fore, ut ad Censuras Ecclesiasticas contra Imperatorem, contra ipsum & Ecclesiam Græcam adhibendas compelleretur. Simul etiam Papa in Responsoriis ad Alexium Imperatorem refutabat causam, quam obtendebat, ne Christianis in Terra sancta opitularetur, dicens, necdum advenisse statutum a cœlo tempus, quasi vero ei arcana Dei consilia fuissent revelata. De Concilio idem perscribebat addita illa, quam in Epistola ad Patriarcham adjecerat, comminatione.

2. ep. 211. Gest. n. 60.

Imperatorem & Patriarcham, acceptis his Epistolis, cum per Interpretes, quid continerent, intellexissent, pœniten-

tentia subiit eorum, quæ scripserant, & Imperatorem quidem, quod promisisset, Græcos ad Concilium, a Papa convocandum, mittere, eosque deinde ad Concilii Decreta servanda compellere, Patriarcham vero, quod de obedientia a se Romano Pontifici debita convictum se sentiret. Sæcul. XII. A.C. 1199.

Postquam diu deliberatum, scripsit Papæ Imperator, quod si Concilium in Græcia celebrari juberet, ubi quatuor prima Concilia fuissent congregata, Ecclesiam Græcam Legatos eo esse missuram. Tum ad altiora deflectens in illa Epistola probare conatur, Imperium esse supra sacerdotium. Quibus Papa contraria argumenta opposuit in hunc ferme modum:

Affers nobis S. Petri auctoritatem dicentis: *Subjecti igitur estote omni creaturæ propter Deum, & reliqua. Unde inferre vis, Imperium tam Dignitate quam Potestate supra sacerdotium esse. Ex bis verbis: subjecti estote, infers, sacerdotium esse inferioris ordinis, & ex illis: Regi tanquam præcellenti; Imperium esse eminentioris potestatis. Porro ex illis verbis: Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, infers, Imperatori Jurisdictionem, quin & potestatem gladii in Sacerdotes æque ac in Laicos esse. Verum enimvero, si perso-* *Gest.* n. 63. 1. *Pet.* 2. 13.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

De Majoritate & Obedientia.

nam loquentem, illos, quibus loquitur, & vim verborum recte penſaſſes, ea haud ſane ita explicaſſes. Apoſtolus ſcribebat hominibus ſibi ſubjectis, atque eos ad humilitatis virtutem excitabat. Si enim ſacerdotium omni Creaturæ ſubjicere voluit, ſequitur, mancipiis viliſſimis competere ſacerdotibus imperare. Quod ſpectat ad ſenſum illorum verborum: Regi tanquam præcellenti, non denegamus Imperatori ſupremam poteſtatem, quoad temporalia, ſed tantum in eos, qui res temporales ab eo accipiunt. Porro Pontifex ſuprema poteſtate gaudet in ſpiritualibus, quæ tantum temporalibus, quantum anima corpore, præſtant. Quod ſequitur: ad vindictam malefactorum &c. id non ita accipiendum eſt, quod Rex poteſtatem gladii in omnes malos acceperit, ſed ſolum in eos qui gladio abutentes ejus Jurisdictioni ſubjiciuntur, ſe-

Matt. 26. 52. *cundum verba Servatoris: Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Nemo enim alterius ſervum judicet.*

Pontifex illa deinde adducit, quæad

Jere. 1. 10. Jeremiam diriguntur: *Conſtitui te hodie ſuper Gentes & Regna, ut evellas & deſtruas, ædifices & plantes.* Eaque tanquam Sacerdoti dicta eſſe putat, quamvis ex iis, quæ in ſermone ſequuntur, pateat, de nulla re alia quam de Miſſione prophetica agi. Tum Papa in illa

illa Epistola sic prosequitur: *Illud quoque te scire oportebat, Deum in cœlo creasse duo magna Luminaria, ut unum præsit diei & alterum nocti. Nempe Deus posuit in Ecclesia duas magnas Dignitates Sacerdotalem & Regiam; quarum una præest rebus spiritualibus, altera corporeis, unde inter ambas tanta est, quanta inter solem & lunam differentia. Si ad hæc animum advertisses, neutiquam æquo animo ferres, Patriarcham Constantinopolitanum ad lævam prope scabellum pedum tuorum assidere, cum alii Reges Episcopis assurgant, eosque in sedibus apud se acquiescere jubeant.* Ex hac Epistola celebratissima illa Decretalis excerpta est, quæ de Potestate Sacerdotii supra Imperium argumenta continere creditur; sed Lector genuinum Scripturarum sensum edoctus judicet, an, vel quanta vis, hisce argumentis insit, præsertim Allegoriæ de duobus luminaribus, quæ eodem jure quo profertur rejici potest. Nam vera Ecclesiæ potestas multum solidioribus fundamentis, quam hujusmodi allusionibus, nixa est.

Sæcul. XII. A. C. 1199.

Gen. 1. 16.

C. solitæ. 6. Extra de Major. &c.

Bulgaros, per annos ferme centum Græcis subjectos, ab Imperatore Isaacio Angelo deficientes, ejus frater Alexius Angelus armis compescere non valuerat. Illa tempestate in Bulgaria rerum

Nicet. Isaac. III. n. 3. 8.

Sæcul. XII. A. C. 1199.

potiebatur Joannes seu Joannicius, qui a suis Imperator dicebatur, titulis & fastu Græcorum, quorum mores hi Barbari studiose imitabantur. Ut ergo novum Imperium firmaret, coronam a Romano Pontifice accipere, populumque suum eo modo, quo Græci, diu a Latinis divisum, Ecclesiæ Romanæ unitati reddere cupiebat. Quod ubi ad Innocentii Papæ aures pervenit, misit ad eum Dominicum Archipresbyterum Brundusinum, Græcæ linguæ gnarum, & deferentem literas, in quibus Papa, postquam ei successum armorum & salutarem in Ecclesiam Romanam devotionem gratulatus est, rogat, ut istud negotium cum Dominico pertractet, promittitque se Legatos, viros ampliore Dignitate eximios, in Bulgariam directurum esse. Quod demum post annos tres executus est.

Alex. II. n. 3. Cang. famil. p. 318.

§. XV.

Concilium in Dalmatia.

Zupanus Magnus Serviæ, missis ad Innocentium Papam Nunciis, Legatum ad se dirigi petierat, qui Regionem suam ad præstandam Ecclesiæ Romanæ obedientiam institueret, sibique coronam Regiam conferret. Zupani Dignitas apud hos populos Regiæ proxima erat.

Gest. Inn. n. 79.

erat. Statuerat Papa Joannem Episco- Sæcul. XII.
pum Albanensem illuc mittere; sed a A.C.1199.
proposito dimotus est, haud ignarus, *Cang. famil.*
quam acerbe, si faceret, Regem Hunga- *p.* 287.
riæ offensurus esset. *Cang. Glos.2*

Exinde Rex Hungariæ, Stephano armis superato, eique Vulcano, fratre suo, subrogato, per Nuncios suos Papæ referri jussit, cupere se Serviam Ecclesiæ Romanæ Communioni subjicere, sibique probari consilium, quod Vulco seu Vulcanus coronam Regiam a Papa acciperet. Vulcanus quoque missis Romam nunciis vehemens reconciliationis desiderium professus est, duosque viros Religiosos, Joannem & Simonem, cum potestate Legatorum ad eum missos, honorifice excepit. Hi Concilium ibi ce- *ap. Inn.* 2.
lebrarunt, & Præsidentes promulgarunt *epist.* 178.
duodecim Canones, qui ad reprimendos abusus & mores Ecclesiæ Romanæ in Dalmatia stabiliendos tendunt. Simo- *to.*11. *Conc.*
nia proscribitur. Presbyterorum ma- *p.*7.
trimonia tanquam adulteria damnantur. *c.* 1. 2.
Diaconus ordinatus ante annum elapsum *c.* 12.
sacerdotio non initietur. Nullus Pres- *c.* 5.
byter ordinetur antequam ad annum vitæ trigesimum pervenerit. Laici Clericos non judicent, nec eos probationi *c.* 7.
aquæ vel ferri candentis subjicere audeant. Clerici barbam sibi radant, & *c.* 6.
tonsurati incedant. In quarto gradu *c.* 9.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

sanguine sibi propinqui matrimonio non jungantur. Latini ritus Christianos, ut mancipia domi habere, Græcis non liceat.

Alex. ep. 4. Sup. Lib. LXI. §. 8.

His Constitutionibus post Legatos subscripserunt Joannes Archiepiscopus Diocleensis & Antibarensis. Nam duas hasce Ecclesias Alexander II. Papa anno millesimo sexagesimo tertio conjunxerat. Tum subscriptio Episcoporum sex, Suffraganeorum ipsius, sequitur. Ca-

ap. Innoc. 2. ep. 176.

nones ad Papam missi sunt cum Epistolis tribus. Una est Vulconis, qui se Regem Dalmatiæ dicit, indicatque Pontifici, quamdam Hæresim in provincia,

Cang. famil. p. 286.

Regi Hungariæ subdita, nempe Bosnia, pullulare, *eo majore periculo*, inquit, *quod ipsum Bannum, nomine Culinum, cum sua uxore, & sorore Mirosclavi, Chelmiæ Zopani, vidua, venenum infecerit, jamque plus quam decem Christianorum millia seduxerit.* Post alia in hac Epistola dicit: *Hanc veræ Religionis pestem impatientissime ferens Rex Hungariæ eos ad iter Romam suscipiendum compulit, ut examen sa-*

ep. 177.

cræ Sedis subirent. Sed illi redierunt cum literis commentitiis, dicentes se licentiam a te accepisse, qua secundum constitutiones suas viverent. Itaque, rogamus te, Sancte Pater, mone Regem Hun-

Hungariæ ; perditum hominum genus e Regno ſuo ejiciendum eſſe. Sæcul. XII. A.C.1199.

In altera Epiſtola ſcripta a Stephano, Vulconis fratre, & magno Serviæ Zupano, nihil præter communis obſequii & humanitatis verba legitur. Epiſtolam tertiam ſcripſit Joannes Archiepiſcopus Antibarenſis, qui gratias agit Pontifici, pro Pallio ab eo accepto, atque ſe tempus in omne ſacræ Sedi ſubditum & fidelem amicum futurum profitetur. *ep.* 178.

Ceterum, quod Papa de errore Culini, Bosniæ Banni, monebatur, veriſſimum erat. Poſtea enim comperit, quod Culinus multos Patarinos, ab Archiepiſcopo Spalatrino e Diœceſi ſua pulſos, recepiſſet, & pertinaciter tueretur, quos ſolos Chriſtianorum nomine dignos diceret. Quare Papa, literis anno ſequente ad Emericum Regem Hungariæ datis, præcepit; Culinum ad expellendos ex provincia hoſce Hæreticos, eorum bonis ærario publico adſcriptis, compelleret, aut juſſa facere detrectantem cum tota Secta e Regno Hungariæ ejiceret. Hæc Epiſtola undecima die Octobris anno milleſimo ducenteſimo data. *Innoc. III. epiſt. 2. ap. Rainald. an.* 1200. *n.* 46.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

§. XVI.

Literæ Archiepiscopo Eboracensi faventes.

Rog. p. 766. Sup. Lib. LXXIII. §. 53.

Anno millesimo centesimo nonagesimo sexto Cœlestinus III. Papa sententiam suspensionis, ob contumaciam anno superiore contra Godefridum Archiepiscopum Eboracensem pronunciatam, abstulit. Nam Præsul ille Romam venerat, & quamvis primo Papam offensum habuisset, & difficilem, postquam tamen Romæ diu hæsisset, & eum & ipsius adversarios Papa in conspectum admisit. Archiepiscopus constanter affirmavit, omnia, quæ sibi objiciebantur, falsa esse; nec ejus Adversarii onus illa probandi in se suscipere ausi sunt. Itaque Pontifex Godefridum ad Ecclesiam suam remittit, munere Archiepiscopali functurum, jubetque Eboracensis provinciæ Clericos ei obedire, postquam accusationis capita plene diluisset. At Richardus Rex, qui bona temporalia Archiepiscopatus occupaverat, hac absolutione irritatus, Archiepiscopi mandatarios prohibuit, Ecclesiæ ejus administrationem capessere, quin etiam Cathedralis Ecclesiæ Præbendas, ceteraque Beneficia vacantia, aliis, ut ipsi visum est, contulit. Ita Archiepiscopus

Roma

Roma reversus, Ditiones Richardi Regis, quem nec placare potuit, nec ad possessionem vel Juris spiritualis vel temporalis in Archiepiscopatu suo pervenire, attingere non est ausus, & aliquamdiu in Francia versatus, Romam rediit. Sæcul. XII. A.C. 1199.

Postquam Innocentius III. S. Petri Cathedram conscendit, Godefridus Archiepiscopus primo Pontificatus ejus anno ab ipso literas impetravit, in quibus Regem Richardum, Godefridi fratrem hortatur; eum in gratiam reciperet, atque ad Ecclesiam suam redire permitteret. Addens, nisi acquiesceret, fore ut ad Censuras Ecclesiasticas contra Regem & Ditiones ejus adhibendas compelleretur. Rex Philippo Episcopo Dunelmensi, aliisque Episcopis quatuor, ad Archiepiscopum missis, suo nomine rogari eum jussit, ut Acta, quibus varia Bona ad Archiepiscopalem Ecclesiam pertinentia aliis donasset, rata haberet, eique sancte promitti, hac conditione totum Archiepiscopatum esse recuperaturum. Respondit Archiepiscopus: *Collegæ & Fratres mei estis, sequar, quod suggeritis consilium, si scripto mihi promittitis, vos consensum Papæ esse impetraturos.* Noluerunt Episcopi hac in re vades se dare, & ad Regem reversi detulerunt responsum Archiepi- *Rog. an. 1198. p. 785.*

Sæcul. XII. A.C. 1199.

ſcopi, quo Romam iterum proficiſcente, Rex nuncios miſit, contra eum in Curia Romana acturos. Tunc Papa, data humaniſſima Epiſtola, Regem Richardum per Reverentiam ſacræ Sedis, & propriam ipſius gloriam obteſtatur, ut placari ſe ſineret, Archiepiſcopum Eboracenſem, fratrem ſuum, in gratiam ſecum redire, ac jurgia litesque, quæ interceſſiſſent, ex conſilio & arbitrio Archiepiſcopi Rotomagenſis atque Abbatis Perſigniacenſis, componi pateretur. Addit, ſe Cardinali Petro Capuano Legato ſuo in mandatis dediſſe, ut apud Regem Archiepiſcopo reditus reſtitui peteret. Hæc Epiſtola vigeſima octava Aprilis anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono data. In alia Epiſtola adjecit Papa, ſe Cardinali præcepiſſe, ſi refractarios haberet, primo provinciam Eboracenſem, & poſt aliquod temporis ſpatium totam Angliam Interdicto conſtringeret. Tandem juſſit Cardinalem, eos, qui Beneficia Eccleſiæ Eboracenſis, ex quo ſuſpenſus fuiſſet Archiepiſcopus, accepiſſent, ad ea abdicanda compellere, nec ullam rationem excuſationis frivolæ habere, quod ea de manu Regis obtinuiſſent.

2. *ep.* 57.

ep. 59.

ep. 60.

§. XVII.

Sæcul. XII.
A.C.1199.

§. XVII.

Richardi obitus. Joannes Rex Angliæ.

Dum vero literæ illæ Romæ expediuntur, Angliæ Rex Richardus fatis fungitur. Cum Vicecomes Lemovicensis in quodam Ditionis suæ fundo thesaurum inveniisset, magnam auri partem Richardo, Regi suo, miserat, qui ea non contentus, nam totum sibi deberi affirmabat, eum in castro Calacensi*, quo se se receperat, obsedit. Cum obequitat, exploraturus, qua potissimum parte miles irrumpere posset, sagitta in brachio percutitur, ac deinde male curato vulnere, die Martis ante Dominicam Palmarum, sexta Aprilis anno milleſimo centeſimo nonageſimo nono occumbit. Animi magnitudine & Rege & Christiano digna ignovit illi, qui se occiderat, visceraque sua in oppido *Charroux*, cor Rotomagi, & corpus ad Fontem Ebraldi sub pedibus Regis patris sui condi jussit, annos natus quadraginta duos, postquam annos decem Anglis & Normannis imperasset. Quia improlis decedebat, frater ejus Joannes, Comes Moritonii, successit in Regno. Is Rotomagi gladium & coronam Ducum Normanniæ de manibus Gualterii Archiepiscopi

Rog.p.790.

* Chatelus.

Sæcul. XII. A.C.1199.

scopi in Dominica in Albis, die vigesima quinta Aprilis, accepit. Tum, Freto trajecto, Rex Angliæ, Westmonasterii ab Huberto Archiepiscopo Cantuariensi, duobus Archiepiscopis & Episcopis quatuordecim præsentibus, in Festo Ascensionis die vigesima septima Maji solemni ritu ungitur & coronatur.

Eadem qua inauguratus est die Joannes Hubertum Archiepiscopum, Cancellarii munus deinceps obire jussit; cumque Præsul ideo lætitiam profiteretur, jactaretque, se Regis fiducia dignum visum fuisse, quidam vir Nobilis, nomine Hugo Bardolus, *patere*, inquit, *Domine, ut tibi, quod sentio, aperiam. Si, quanta sit dignitas & potestas tua Ecclesiastica, perpenderes, nolles profecto hujusmodi servitutis jugo te ipsum induere. Vidimus olim Cancellarium ad Archiepiscopale fastigium ascendere, sed inauditum nobis est, Archiepiscopum aliquando Cancellarii Officium suscepisse.* Laicorum nempe ruditas causa erat, quod non nisi Clerici magnorum Principum Epistolis præfici potuerint, quibus deinde laboris & industriæ præmium sæpe collatus Episcopatus erat. Cujus rei exempla superius plura vidimus. Annis abhinc tribus, cum Hubertus serio pensasset, quanta negotiorum moles sibi uni, Archiepiscopo Can-

Rog. p. 767.

Cantuarienſi, ideoque Primati Angliæ, aliunde ſacræ Sedis Legato, & publico Regis ærario Præfecto incumberet, Regem Richardum per ſuos vehementer rogari juſſerat, ut ſe ſaltem ab ærarii cura & præfectura liberaret, quod Regimini Eccleſiæ ſimul & Reipublicæ non ſufficeret. Jamque Rex conſentiebat, etſi propemodum invitus, quia ſtrenuum in rebus gerendis virum noverat; ſed preces ſuas ad Regis aures perveniſſe pœnituit Archiepiſcopum, cogitantem, quam quæſtuoſum ſibi fuiſſet ſupremi Prætoris miniſterium. Cumque rationum ſuarum tabulas inſpexiſſet, Regi, ſuo nomine, referri juſſit; jam per biennium opera ſua undecies centies mille argenti marcas ex Angliæ Regno ad ipſum rediiſſe, & ſi miniſterium ſuum Regi ultra eſſet neceſſarium, ſe laborem non recuſaturum. Ita etiam exinde inſuperhabitis officiis ſuis ſpiritualibus Reipublicæ vixit. Sæcul. XII. A.C.1199.

Interim Principes provinciarum Andegavenſis, Cenomanenſis & Turonenſis Dominum ſibi cooptarunt Artum puerum ex Godefrido, Joannis Regis fratre natu majore, anno milleſimo centeſimo octogeſimo ſexto fatis functo, genitum, quod dicerent, pro more patriæ ſuæ primogeniti fratris, etſi defuncti, filio competere, ut in illa parte, quam *Rog. p. 792.*

Sæcul. XII. A. C. 1199.

quam pater habiturus fuisset, succedat. Constantia igitur Arti mater, Turonem profecta, adolescentulum, post obitum patris natum, tunc duodennem, Regis Franciæ, Domini sui, potestati tradidit.

§. XVIII.

Petri Blesensis extrema.

Sup. Lib. LXXII. §. 15.

In hoc ferme tempus obitus Petri Blesensis, post annos triginta, ex quo ex Sicilia in Angliam redierat, incidit. Is usque in senectutem Diaconus, Richardo Episcopo Londinensi urgenti, ut Presbyterum se ordinari pateretur, data longa Epistola respondit, & argumenta, quæ

ep. 123.

ipsum deterrebant, opposuit: *Sacerdotii reverentia*, inquit, *non contemtus me probibet. Omnibus artubus contremisco, quando supremam Sacramenti Altaris Dignitatem considero. Ideo Ordo Cartusiensis raro sacrificat. Video hodie,*

Sup. Lib. LXXIII. §. 14.

quod erumpentibus lacrymis dico, innumerabilem multitudinem hominum, illiteratorum & secundum legem carnis viventium, eminentissimo Ministerio appropinquare. Video, inquam, Sacerdotum multitudine Sacramenti Dignitatem vilescere. Longa pœnitentia peccata expianda sunt, antequam ad Altare accedere liceat. S. Paulus Eremita, S. Antonius, S. Hilarion, & ipse S. Benedi-

nedictus nunquam ad Sacerdotii munus evecti, in simplicitate animi salutem suam consecuti sunt. Diacono quoque suum est officium, cui utinam ego miser satisfaciam! Sæpe Archiepiscopi Cantuarienses, Domini mei, instabant; Sacerdotem ordinari me finerem. Sed ego sperabam, me, ut alterum Laurentium, S. Thomam Cantuariensem vel in exilium vel ad Martyrium secuturum esse. Nullibi vero legi, Archidiaconum ad suscipiendum altiorem ordinem æque compelli posse, ac simplicem Diaconum, si id casus necessitatis postulet, ut in Concilio Carthaginensi statuitur. Vidimus in Ecclesia Romana viros in ordine Diaconorum usque ad decrepitam ætatem & usque ad mortem perseverare. Cœlestinus Papa, qui hodie sacram Sedem tenet, annis sexaginta quinque Diaconus fuit; quod ex ipsius ore sæpe audivi. Ex his discimus hanc Epistolam post annum millesimum centesimum nonagesimum primum, & ante annum millesimum centesimum nonagesimum octavum scriptam fuisse.

Sæcul. XII. A.C.1199.

Sup. Lib. LXXIV. §. 28.

Nihilominus Petrus Blesensis, amicorum precibus resistere non valens, sub finem vitæ suæ Presbyter ordinatus est. Id enim cognoscimus ex ejus Epistola data

Sæcul. XII. A. C. 1199.

data ad quemdam Abbatem, cujus oratione in hoc sacro negotio adjuvari petit. Tum dimisso Archidiaconatu Bathonienſi ad Londinenſem translatus eſt. Quia vero vir ætate gravis variis corporis infirmitatibus premebatur, data Epiſtola Innocentium Papam rogavit, ut egenæ huic Dignitati conſuleret, quæ ſine reditibus ſolo ſplendore ſpectabilis erat. *Numerantur Londini*, inquit, *hominum quadraginta millia, & Eccleſiæ centum viginti. Nec tamen accipio Decimas, nec oblationes Laicorum, nec ab Eccleſiis illa quæ ob jus Synodicum, vel Cathedræ, vel procurationis ſeu hoſpitii petere poſſem mihi dantur. Epiſcopis igitur Elienſi & Wintonienſi præcipe; Archidiacono Londinenſi certos cenſus, ea ratione qua alii habent, ſtatuant; quod ut exequi valeant, Regis præſidium petant.* Magnam librorum vim a Petro Bleſenſi accepimus, Epiſtolas, Sermones, aliosque Tractatus, locis communibus, & cumulatis S. Scripturæ textibus pro illius ævi ingenio refertos. Ex quadam Epiſtola ep. 43. videmus, Petrum Medicinæ peritum, & non nunquam ad curandos ægrotos fuiſſe vocatum.

§. XIX.

§. XIX.

Sæcul. XII. A.C.1199.

Sententia Decretoria in causa Ecclesiarum Dolensis & Turonensis.

Hoc tandem tempore finita est lis de Jure Metropolitico Britanniæ, quæ tot annorum lapsu sub Judice fuerat. *Sup. Lib. XLVIII.* §. 44. Suo loco memoravimus, Nomenojum Ducem Britanniæ, cum Regem se ungi vellet, anno octingentesimo quadragesimo octavo, Sedem Dolensem erexisse, & Episcopum Metropolitam declarasse. *Lib. L.* §. 46. Inde post annos octodecim Episcopos in Concilio Suessionensi tertio sedentes ad Nicolaum I. Papam querelas detulisse, quod Britones Ecclesiam Turonensem, Metropolim suam, non amplius venerarentur. Scimus, Clericos Turonenses has querelas anno millesimo quadragesimo nono in Concilio Remensi, præsidente Leone IX. Pontifice, renovasse, iterumque Gregorio VII. in Concilio Romano anno millesimo octogesimo fuisse expositas. Urbanum II. Archiepiscopo Turonensi faventem sententiam anno millesimo nonagesimo quarto pronunciasse, eamque Lucium Papam II. anno millesimo centesimo quadragesimo quarto confirmasse, sed Godefrido Episcopo Dolensi licentiam Pallio utendi concessisse, *Lib. LIX.* §. 62. *Lib. LXIII.* §. 1. *Lib. LXIV.* §. 16. *Lib. LXIX.* §. 5. *L. LXXIII* §. 22.

Sæcul. XII. A. C. 1199.

sisse, ac inde occasionem litem restaurandi, eamque usque ad Innocentii III. Pontificatum protrahendi natam fuisse.

Lobineau hist. Bret. lib. 6. n. 43.

Joannes Vaunesius, Electus Episcopus Dolensis, Romam cum tribus Ecclesiæ suæ Canonicis profectus, a Papa tanquam Archiepiscopus consecrari petebat, & Papa jam anno superiore Bartholomæum Archiepiscopum Turonensem vocaverat, ut jura sua defenderet. Quia vero male affectum corpus tam longum iter moliri non permittebat, Ecclesiæ suæ Cancellarium tresque alios Canonicos Romam miserat. Papa primum rem transactione Partium componere satagebat. Jamque Legati Turonenses amore pacis consentiebant; Episcopus Dolensis Archiepiscopali Dignitate gauderet, haberetque duos Suffraganeos, ea solum conditione, si Archiepiscopo Turonensi ut Primati suo subjiceretur. Verum Episcopo Dolensi hæc pacta rejiciente, quod ipsi duæ Ecclesiæ Suffraganeæ non contiguæ sed separatæ offerrentur, Papa solemni Judicio decernere statuit, ac utrique Parti in publico Consistorio causam prolixe dicenti aures præbuit. Tunc vero Joannes, Episcopus Dolensis electus, intelligens, nihil propius esse, quam ut causa caderet, Electioni renunciare in manibus Papæ, & juri suo voluit, sed Innocentius utrumque

1. ep. 168.

Rog. p. 797.

Sent. ap. Martenne. p. 164.

Innoc. 2. ep. 82.

que denegavit, ne novorum jurgiorum radicem relinqueret. Causa itaque cum Cardinalibus mature pensata, sententiam publice protulit, qua Antecessorum suorum Decreta confirmans constituit, Ecclesiam Dolensem semper Turonensi debere esse subjectam, nec unquam Episcopo Dolensi usum Pallii licere expetere, aut quocunque demum prætextu inventi novi argumenti vel documenti antiquam crambem recoquere. Huic sententiæ, prima die Junii anno millesimo centesimo nonagesimo nono datæ, Pontifex ac viginti & unus Cardinales subscripserunt. Hic terminus fuit celebratissimæ contentionis per annos trecentos & quinquaginta agitatæ. Innocentius Papa hac de re Regi Franciæ, Comitissæ Britanniæ, Arto juniori ejus filio, omnibusque illius provinciæ Principibus scripsit, jubens, ut cunctos ad servandam hanc sententiam compellerent. Scripsit Clericis populoque Dolensi; Ecclesiæ Turonensi tanquam Metropolitanæ suæ se subjicerent, & Capitulo Cathedrali electum Episcopum suum intra duos menses Archiepiscopo Turonensi sisterent, ab eo consecrandum, tandem Archiepiscopo etiam Rotomagensi, ejusque Suffraganeis, ne quidquam latæ sententiæ adversum agerent. Nempe ab eis utpote vicinis Dolenses

Sæcul. XII. A.C. 1199.

5. ep. 84. 85. &c.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

sacrum Chrisma petebant, eosque Ordinationis causa adibant.

Sententiam cunctis bona fide exequentibus, exinde Ecclesia Dolensis cum omnibus aliis Britanniæ Ecclesiis Cathedralibus Turonensi subdita fuit.

§. XX.

Translatio Episcoporum.

Modico abhinc tempore Innocentius Papa eidem Archiepiscopo Turonensi succensuerat. Cujus rei hæc erat occasio. Guilielmus *de Chemillé* cooptatus fuerat Episcopus Abrincensis, & electio ab Archiepiscopo Rotomagensi Metropolita suo confirmata. Quin etiam hanc Ecclesiam aliquamdiu administraverat, etsi necdum esset ordinatus. Tum vero Archiepiscopus Turonensis Guilielmum ad Ecclesiam Andegavensem translatum ordinavit, præterita Summi Pontificis auctoritate.

Gest. Innoc. c. 43. & ep. 117.

Id factum Innocentio minime probabatur; quare ad Henricum *de Sulli*, Archiepiscopum Bituricensem, Episcopi Parisiensis fratrem, Epistolam dedit, cujus summa hæc fuit: *Patres nostri, JEsu Christi Institutum sequentes, Causas majores sacræ Sedi reservarunt, quales sunt, si Episcopus abdicet Episcopatum, aut a Sede sua ad aliam transferatur.*

Patres

Patres, quorum auctoritatem afferre Innocentius Papa se putat, sunt Evaristus, Callistus & Pelagius II. Pontifices, quorum nomina præferunt confictæ illæ Decretales, quæ jura ista S. Sedi tribuunt, a Gratiano in Decretum suum relatæ. Tum Papa prosequitur: *Ne igitur ista molitio impunita abeat, aliisque talia audendi exemplum præbeatur, præcipimus tibi; postquam rei veritatem satis exploratam habebis, Archiepiscopum Turonensem a Jure confirmandi & consecrandi Episcopos, Guilielmum* vero ab omni Episcopali officio suspende, donec aliud de iis decreverimus. In illud etiam inquire, an Archiepiscopus Rotomagensis ei licentiam concesserit, Sedem Abrincensem dimittendi; quod si factum sit, eamdem ei pœnam Canonicam ac Archiepiscopo Turonensi injunge. Sicut enim aliorum Jura conservamus, ita etiam nostra violari non patimur, cum ordo Caritatis exigat, ut, post Deum, nos primum & deinde proximum diligamus.*

Sæcul. XII. A.C. 1199.

7. q. 1. c. 11. *ex Evar. ep. 2. c. 29. ex Callisti. ep. 2. Pelag. II. ep. 2.*

* *de Chemillé*

Ut huic mandato majorem auctoritatem conciliaret Innocentius, in ista Epistola refert, quæ in alia scripserit Patriarchæ Antiocheno, qui Archiepiscopum electum Apamiensem ad Episcopatum Tripolitanum transtulerat, sicque eum Dignitate Archiepiscopali exuerat,

1. *ep.* 50.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

quamvis jam ejusdem Dignitatis potestate annexa usus cujusdam Episcopi Electionem confirmasset. Nempe Innocentius Papa Patriarcham a potestate confirmandi Episcopos, & Episcopum, ut dicebatur, Tripolitanum ab omni officio Sacerdotali suspendit.

ep. 51.

ep. 447.

Archiepiscopus Bituricensis Papæ mandata strenue executus, Archiepiscopum Turonensem suspendit, qui, Nunciis Romam missis, veniam a Papa rogavit, confessus se errasse non improbitate sed simplicitate animi, & quod evidens Ecclesiæ Andegavensis emolumentum hanc Translationem expoposcerit. Haud ægre flecti se passus est Innocentius, datisque ad Archiepiscopum Bituricensem literis, eum tam Archiepiscopum Turonensem quam Rotomagensem a suspensione absolvere jussit. Hæc ex Epistola Innocentii die tertia Decembris anno millesimo centesimo no-

ep. 532.

nagesimo octavo data cognoscimus. In alia autem vigesima prima Januarii anni sequentis Papa manifestat; memoratum Guilielmum Romam venisse, & errati veniam humiliter a se petiisse. Ceterum Ecclesiam quoque Andegavensem, datis ad se literis, affirmasse, omnes Canonicos in suo proposito perseverare, nec de alio Episcopo eligendo posse consentire. Itaque Papa indulgere statuit,

Guiliel-

Guilielmi vinculum cum Ecclesia Abrincensi solvit, eumque Andegavum transtulit. Sæcul. XII. A. C. 1199.

Sub idem tempus alia Translatio contigit, ex qua gravior secuta est perturbatio. Conradus Episcopus Hildesheimensis, Aulæ Cæsareæ Cancellarius, vir generis nobilitate, opibus, potentia clarus, acer ingenio, & solertiæ singularis, effecit, ut ad Ecclesiam Herbipolensem, Hildesheimensi multo pinguiorem, transferretur, præterita Innocentii Papæ auctoritate, dicens, licentiam sibi datam esse a Cœlestino, Innocentii Antecessore, qua ad altiorem Dignitatem, si offerretur, posset ascendere. Innocentius Papa de hac Translatione non solum per aliorum, sed etiam per ipsius Conradi, qui se Episcopum Herbipolensem dicebat, epistolas certior factus, missis mandatis districte præcepit; ab hujus Ecclesiæ regimine sub pœna excommunicationis abstineret. Populo prohibuit Clericisque, ne ei obedirent, & Canonicos ad hunc solummodo actum jure eligendi, sub pœna Nullitatis, privavit. Nec istud satis Pontifici visum; sed etiam Conradum vetuit ad Ecclesiam Hildesheimensem redire, quod Canones statuerent, Episcopum, qui Sedem suam reliquisset, ut ad majorem transiret, merito suo utraque privandum esse.

Gest. n. 44.

Res Ecclesiæ in Germania.

l. ep. 335.

Sæcul. XII. A.C. 1199. Itaque Innocentius Episcopo Bambergensi mandat; nisi Conradus ceteriquo intra dierum viginti spatium obedirent, eos per totum Germaniæ Regnum excommunicatos denunciaret, atque hanc Censuræ Ecclesiasticæ sententiam omnibus diebus Dominicis, pulsatis campanis, & accensis rursusque suppressis cereis promulgari juberet. Eadem mandata Pontifex ad Archiepiscopos Colonienſem, Magdeburgenſem, Salisburgenſem, eorumque Suffraganeos misit. Hæ literæ vigesima prima Augusti anno millesimo centesimo nonagesimo octavo datæ.

t. ep. 574. Querebatur Conradus, se nec auditum nec convictum a Papa fuisse damnatum; cui Papa respondit, ubi delictum publicum esset & manifestum non requiri Judicii ordinem. Non paruit Conradus, sed post Pontificis Decretum non nulla beneficia in Diœcesi Herbipolensi clientibus suis contulit, & quamvis Papa jubente alius Episcopus Hildesheimii electus fuisset, ipse tamen sibi ipsi hujus Ecclesiæ Titulum tribuere non desiit. Quare Papa Conradum Romæ in Festo S. Petri die vigesima nona Junii anno millesimo centesimo nonagesimo nono inter Missæ solemnia, ipsius Legatis præsentibus, Excommunicatum denunciavit. Tum comperto, quod complures

plures Clerici atque ipse Advocatus Ecclesiæ Hildesheimensis mandatis suis refractarii Electionem alterius Episcopi suo jussu peractam rejicerent, Conradum ut antea Episcopum venerarentur, & ad percipiendos fructus hujus Ecclesiæ vim adhiberent, datis literis, Episcopum Paderbornensem jussit eos excommunicationis vinculo ligatos promulgare, eorum ditiones Interdicto Ecclesiastico constringere, & alienationes, a Conrado, præsertim postquam Sedem Herbipolensem invasisset, factas, nullius roboris esse declarare. Hæc Epistola secunda die Februarii anno millesimo ducentesimo data. Sæcul. XII. A. C. 1199.

Eodem rigore Innocentius Papa usus est in Eberhardum Episcopum Brixinensem*, qui cum Archiepiscopus Salisburgensis electus fuisset, eam Dignitatem, inconsulto Summo Pontifice, acceptaverat. Papa Electionem nullam pronunciavit, Præsulem Brixinum redire jussit, & Wernerum Episcopum Gurcensem, quem Eberhardus, Archiepiscopali potestate usus, ordinaverat, deposuit. Eberhardus exemplum Conradi metuens morem celeriter gessit, & cum secundo electus fuisset, consentire non ausus, cum suis Electoribus Papam adiit, ac dispensationem impetravit.

* Brixen

Gest. n. 45. Bucel. Germa. Sac. parte 1.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

In his omnibus causis Innocentii Papæ præcipua cura non fuisse videtur, Translationes Episcoporum, ab antiquis Canonicis Constitutionibus tam districte prohibitas, impedire, cum eas rogatus facile concederet.

Sed eo zelus ipsius commovebatur, quod per translationes injuriam sacræ Sedi, si absque ejus auctoritate fierent, inferri crederet.

§. XXI.

Causa Ecclesiarum Bracarensis & Compostellensis.

Simul ac Innocentius Papa causam Ecclesiarum Dolensis & Turonensis componebat, etiam litem a multis annis in Hispania inter Archiepiscopos Bracarensem & Compostellensem exortam definivit, de septem Ecclesiis, in quas se Jure Metropolitico gaudere dicebant, nempe in Episcopatus Conimbricensem, Lamecensem, Viseensem, Igæditaniensem, Ulissiponensem, Eboranum, & Sertinensem. Porro hujus controversiæ occasio fuerat, quod Callistus Papa II. circa annum millesimum centesimum vigesimum tertium Compostellensem Ecclesiam ad Dignitatem Metropoliticam evexerit; nam in hanc urbem prærogativam antiquæ urbis Emeritæ, olim totius

Gest. Innoc. c. 42.

Sup. lib. LXVII. §. 36.

totius Lusitaniæ Metropolis, postea a Mauris devastatæ, transtulit, & nihilominus Archiepiscopo Bracarensi jura Metropolitæ in Galæcia confirmavit. Non facilis autem negotii res erat utriusque antiquissimæ provinciæ fines internoscere, post tot in Hispania collapso Romanorum Imperio, vicissitudines, quæ sub Barbarorum, ex Septentrione advectorum, Gothorum, Vandalorum, aliorumque Dominatu successerant. Sæcul. XII. A. C. 1199.

Ambo igitur Archiepiscopi Petrus Compostellensis & Martinus Bracarensis Romam profecti, cum Innocentius Pontificatum auspicaretur, documenta causæ suæ, Pontificum Bullas, Conciliorum Hispaniæ Canones, antiquas Regionis divisiones ex Commentariis publicis, Historicorum etiam profanorum scripta, cuncta denique exposuerunt, quæ ad muniendam postulationem suam apta credebant. Acta in Mandatariis antecedentium Pontificum tam quoad formam quam substantiam accurate examinata. Tandemque Innocentius Papa, primo de duabus Ecclesiis Episcopalibus Ulissiponensi & Eborana pronuncians, utramque Archiepiscopo Compostellensi adscripsit, facta potestate ibidem Jurisdictione Metropolitis competente utendi. Hæc sententia die secunda Julii anno millesimo centesimo nonagesimo nono 2. ep. 103.

Sæcul. XII. A. C. 1199.

no data est. In altera Declaratione deinde, quinta die ejusdem mensis edita, dicit, hanc sententiam Archiepiscopo Bracarensi quoad Episcopatum Sertinensem, in quo jure possessionis Jurisdictione gaudet, non nocere.

ep. 105.

Quod ad alios quatuor Episcopatus, nempe Conimbricensem, Lamecensem, Viseensem, & Igæditanienſem spectat, conciliante Papa, amica transactione Partes consenserunt, ut ex his quatuor quilibet Archiepiscopus duas sibi subjectas haberet. Viseum & Conimbrica urbes Archiepiscopo Bracarensi datæ, Lameca & Igæditania Compostellensi concessæ, quod aliquando veteri Metropoli Emeritæ subjectæ fuerint. Ita ex septem Ecclesiis Episcopalibus, de quibus lis erat, quatuor Archiepiscopo Compostellensi & tres Bracarensi traditæ. Sed hæc divisio postmodum iterum mutata. Ceterum in his Innocentii Papæ Bullis quid Partes postulaverint, & argumenta, quibus causam suam tuebantur, prolixe exposita leguntur, multumque ad cognitionem Historiæ Ecclesiasticæ in Hispania conferunt.

ep. 133.

ep. 106.

Tunc etiam Papa pactum inter ambos Archiepiscopos de usu Crucis inito confirmavit, quo statuebatur, ut uterque eam sibi præferri jubere in alterius provincia posset.

Eodem

Eodem anno Papa Ordinem *de Calatrava*, ante annos quadraginta sub Alexandro III. institutum, confirmavit. In qua Bulla Innocentius Fratribus præcipit; Regulam sibi ab Abbate Cisterciensium traditam inviolabili fide servarent. Non autem erat alia quam Monachorum, in quibusdam capitibus temperata, ut vitæ militari accommodaretur. Quippe hi Equites nullo alio vestimento lineo utebantur, nisi caligis; vestiti dormiebant. Carnibus non alio tempore quam a Festo S. Crucis usque ad Paschа ter in hebdomada vescebantur. Licentiam eis concedit Papa, qua Ecclesias proprias habeant, prohibetque, ne in eorum fundis, ipsis invitis, novæ ædificentur. Jus etiam præsentandi Clericos, in eorum Ecclesiis ministraturos, tribuit. Hæc Bulla vigesima octava Aprilis anno millesimo centesimo nonagesimo nono data.

Sæcul. XII. A.C. 1199. *II. c. 53.*

Sup. lib. LXX. §. 31.

§. XXII.

Manichæi in Urbe vetere.

Manichæi in Urbe vetere, Sede Episcopali, prope Romam grassabantur, quo istam Religionis pestem quidam patria Florentinus, nomine *Dioteſalvi*, vir eximia specie & modestia externa venerabilis invexerat. Is Hæresim suam sparge-

vit. S. Petri Porenc. Boll. to. 16. p. 86.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

spargere cœpit in Urbe vetere *, cum ibi Rusticus Episcopus sederet, nempe circa annum millesimum centesimum quinquagesimum. Dicebat vero, Sacramentum Evchariſtiæ nihil esse, Baptismum ab Ecclesia Catholica collatum rem esse ad salutem inutilem, orationes & eleemosynas mortuis nullum solatium afferre, S. Silvestrum & omnes ejus successores esse damnatos, omnia visibilia esse Opera Diaboli, ejusque potestati obnoxia, omnem hominem probum S. Petro meritis æqualem esse, & mercedem æqualem accepturum, contra fore, ut omnis improbus æqualem pœnam ac Judas sustinere cogatur (*).

* Orvieto.

Dioteſalvium, cum quodam alio Gerardo *de Marsan* hanc Doctrinam in Campania Romana prædicantem, Richardus Episcopus ex urbe vetere, quam Sedem ab anno millesimo centesimo sexagesimo nono ultra annum millesimum ducentesimum tenuit, ejecit. His duobus Pseudo-apostolis succurrerunt duæ mulieres Milita & Julita, quarum singularis pietatis species aliquamdiu Episcopo

(*) Da finden wir wiederum liebe Väter der Protestanten in einigen Lehrsätzen. Nur auch Schade! daß sie in andern Sätzen Manichäer waren, die allzeit ein Abscheu der vernünftigen Christen gewesen sind.

po imposuit. Melita suis sumtibus ma- Sæcul. XII.
joris Ecclesiæ ruinas sarciebat, Julita se A. C. 1199.
vitæ contemplativæ illecebris captam simulabat, ac cum utraque his fraudibus nobilium matronarum amicitiam in illa urbe sibi conciliasset, earum plurimas, quin etiam viros Hæresis veneno infecerunt. Episcopus intelligens has feminas sibi illusisse, Canonicis, Judicibus, aliisque viris prudentibus ad consilium vocatis, tanto vigore Hæreticos persecutus est, ut alii in patibulo necati, alii capite plexi, alii in ignem conjecti, alii in exilium expulsi sint, & alii, quia in errore mortui, Ecclesiasticæ sepulturæ honore privati.

At cum Innocentius Papa sacram Sedem occupasset, & ex potestate civium Urbis veteris Aquaspendentes Arcem vellet recipere, reluctantes excommunicavit, eorumque Episcopum novem circiter mensibus Romæ detinuit, ut saltem pudorem incuteret. Verum ab- *Gest. Innoc. c. 12.*
sente Episcopo quidam Manichæorum Magister, nomine Petrus Lombardus, cum aliis impostoribus Viterbium & in Urbem veterem delati, conciliatis sibi multis Sectatoribus, contra Catholicos publice ex cathedris dicere ausi sunt, consiliumque ceperunt, si ipsis arma inferrentur, Catholicos ex urbe ejicere. Porro cum Urbs Vetus inexpugnabilis esse

Sæcul. XII. A.C. 1199

esse diceretur, Hæreticos unde unde illuc confugientes recepturi erant, hostes deinde irruentes facile repulsuri. Ut tanto malo occurrerent Urbis veteris Catholici, communi consilio, missis Romam Legatis Præfectum suæ urbis a Papa constituendum expetierunt, qui sanam civium partem ei reconciliaret, & Hæreticos penitus eliminaret.

§. XXIII.

S. Petrus de Parenzo.

Papa igitur civibus Urbis veteris petentibus Petrum de *Parenzo* misit, juvenem quidem, sed prudentem, rara vi ingenii præditum, facundum, virtutis amantem, præter Romanorum morem Decimas bona fide dantem, & eleemosynas munifice largientem. Is in Urbem veterem perveniens mense Februario anno millesimo centesimo nonagesimo nono, a populo ramos ex olivis & lauris deferente ac maximam profitente lætitiam excipitur. Nihil vero antiquius habuit, quam ludos equestres prohibere, in Bachanaliis celebrari solitos, quod tunc vires exercendi prætextu homicidia committerentur. Sed ejus mandatum, instigantibus ceteros Hæreticis haudquaquam, ut par erat, servatum est, nam prima die Quadragesimæ mensis

mensis Martii tertia in Foro publico acer- Sæcul. XII.
rime pugnatum; quam rem avertere in A.C.1199.
ejus potestate non fuit. Deinde autem ut a præcipuis auctoribus pœnas exigeret, turres super illa Palatia eminentes, unde tela in subjectos emissa fuerant, dirui jussit. Idque odii, quo deinde Hæretici in eum flagrarunt, principium fuit. In Ecclesia principe cum Richardo Episcopo sæpe deliberabat, qua potissimum ratione urbs ab hæreticorum colluvie purgari posset, cumque aliorum etiam prudentum virorum consilium auscultasset, publice denunciari præcepit; illos, qui præstituta die ad Ecclesiæ sinum redirent, recipiendos esse, in pertinaces vero secundum rigorem Legum & Canonum animadvertendum. Episcopus non nullos Hæresim abjurantes ad pœnitentiam admisit, eosque in conspectum Præfecti deduxit, qui ceteros variis pœnis affecit. Aliqui in vincula conjecti, alii publice virgis cæsi, alii proscripti, aliis mulcta pecuniaria injuncta, aliorum domus dejectæ.

Exinde Petrus Romam profectus est, inter suos Familiares Festum Paschæ, quod hoc anno millesimo centesimo nonagesimo nono in diem decimam octavam Aprilis incidebat, celebraturus. Ubi in conspectu Papæ fuit, is juramentum fidei, quod sibi tanquam Præfectus Ur-

Sæcul. XII. A.C. 1199.

bis veteris debebat, petiit, & Petro respondente, velle se promte obedire, ait: *Juramenti formulam tibi relaxamus; sed qua ratione urbem nostram regis? & quomodo mandata nostra contra Hæreticos executus es?* Cui Petrus: *Domine, Hæreticos in urbe, cujus præfectura mihi commissa, ita castigavi, ut mortem mihi palam denuncient.* Iterumque Pontifex: *Fili mi! alacriter decerta. Corpus tuum occidere possunt, animam non possunt. Si vero istorum hominum furor te peremerit, in nomine Dei Omnipotentis & Sanctorum Apostolorum ab omnibus peccatis tuis te absolvo.* Petrus inclinato capite Pontifici gratias egit, lætus domum repetiit & secreto Testamentum condidit; quo comperto mater ejus & uxor largissime lacrymas fuderunt (*).

§. 2. Petro absente, Hæretici urbis veteris, injunctis sibi pœnis exacerbati, collatis consiliis, redeuntem capere decernunt, atque ad reddenda pignora, quæ ipsis auferri jusserat, ad revocandam sententiam latam, atque Sectæ suæ plenam liber-

(*) Hæc Innocentii Papæ verba in stylo Ecclesiastico Romano non peccatorum modo absolutionem generalem, cum nulla præcesserit Confessio, sed concessam Indulgentiam plenariam indicare videntur.

libertatem præsidiumque concedendum compellere. Quod ut exequerentur facilius, quemdam Petri servum nomine Rudolphum corrumpunt, promisso auro non modico, si Dominum proderet. Petrum Roma in urbem veterem revertentem prima die Maji cives inter maximæ lætitiæ signa, viam herbis & floribus sternentes, excipiunt. Ipse ut antea Manichæos insectans, elevatis ad Cœlum manibus Deum, sanctam Virginem, & S. Petrum sæpe orabat, ut si violentia externa adhibita sibi moriendum esset, id Hæreticorum manibus & ob defensionem Fidei Catholicæ sibi obtingeret. Vigesima die Maji, cum jam discalceatus lecto se commissurus esset, Hæretici, perfido Rudolpho Duce, fores Palatii, in quo Sedem fixerat, circumstant, admitti ad colloquium ferociter petunt, tum irrumpentes comprehensum ligant, guttur loris constringunt, ne clamore amicos ad auxilium excitare posset, os obstruunt, & caput obvelant. Ita ex domo sua abstractum procul a civitate raptaturi erant; quia vero de loco, in quem captum ducerent, non satis inter latrones conveniebat, dum aliquos ex suis ad socios facinoris mittunt, Petrum tuguriolum intrare compellunt; ubi conditiones pacis posuerunt; pecuniam & pignora exacta

Sæcul. XII. A.C. 1199.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

redderet, urbis præfecturam abdicaret, & si salvus esse vellet, jurejurando promitteret, se nunquam ipsorum Sectæ hostem sed amicum & defensorem futurum. Respondit Petrus; velle se pecuniam & pignora reddere, sed urbis Regimen non dimissurum, nec juramentum Sectæ eorum favens editurum, & fidem jurato datam, quod per annum Urbi veteri præesse vellet, non violaturum. His Petrum ita urgentibus, adsunt alii Sectarii, prioribus atrociores, quorum aliquis: *cur, socii, tempus perditis?* simul extento brachio, Præfectum feriens, excusso dente, totam faciem fœde cruentavit. Alius arrepto instrumento ferreo, quo molitores utuntur, ingenti vulnere afficit in occipite, sicque, prono corpore collapsum in pulverem, ceteri, gladiis & pugionibus eamdem plagam exacerbantes, trucidant.

Tum latrones corpus in puteum demersuri erant, sed cum tectum dejicere non valerent, eo sub arbore relicto, aufugiunt. Ubi illuxit, nefandæ cædis fama per urbem volat, festinant Episcopus, Clerici, populus, funus conspicere, luctuosissimum cunctis spectaculum. Sine mora corpus ad Ecclesiam Cathedralem defertur, & in illo loco, in quo Petrus cum Episcopo sæpe de extirpandis Hæreticis consilia conferre solebat, se-

§. 3.

peli-

pelitur. His diebus & per sequentes deinde menses miracula edita, quæ cum omnibus adjunctis in Acta relata sunt. Ecclesia vero Urbis veteris Petrum ut Martyrem in die obitus, vigesima prima Maji, colit.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

Papebr. Com. prov. n. 4.

§. XXIV.

Multi Metis de Hæresi suspecti.

Sub idem ferme tempus Bertrandus Episcopus Metensis, data Epistola, Innocentium Papam certiorem fecit, in Urbe sua & Diœcesi multos Laicos atque etiam mulieres dari, qui Scripturam sacram intelligendi desiderio impulsi, Evangelia, S. Pauli Epistolas, Psalmos, Libros de Moribus tractantes, librum Job, & plures alios in linguam Francorum transferri curassent. Eos lectioni hujus versionis ardentissime vacare, clandestinos conventus agere, in iisque explicationem conferre, & alterum alteri prædicare. Præterea illos, qui hujus studii participes esse nolebant, contemnebant, eorum societatem fugiebant, & quibusdam Parochis, ardorem insolentem vituperantibus, respondebant audacter, ostensuros se ex Scriptura, errare Parochos, qui eos ab hac lectione velient abstrahere. Non nulli Pastorum suorum simplicitatem spernebant, eorumque sermone audito, dicebant se-

Sæcul. XII. A. C. 1199.

creto; *Meliora habemus in libris nostris, & solidius quam pastor iste de his disserere possemus.*

Acceptis Episcopi literis, Papa ad populum Metensem dedit Epistolam in hunc ferme modum: *Quamquam desiderium sacras Scripturas intelligendi, indeque materiam proximum ad virtutum amorem exhortandi quærere, potius laude quam vituperio dignum sit, privati tamen isti homines reprehendi debere videntur, quod clandestine conveniant, quod prædicandi munus sibi arrogent, quod Presbyterorum simplicitatem rideant, & societatem a se dissidentium contemnant.* JEsus Christus Apostolos *suos jussit Doctrinam suam prædicare super tecta. Atque interrogatus a Pontifice Judæorum respondit; quod semper palam docuisset, & in occulto locutus esset nihil. Præterea S. Paulus dicit, diversa esse in Ecclesia munera, & Deum dedisse quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam Doctores, qui prædicare non possint, nisi mittantur. Si isti dicant, accepisse se missionem invisibilem visibili excellentiorem, eo retundendi sunt, quod, cum interna missio ista sit occulta, non satis sit, quemquam simpliciter affirmare, se a Deo missum esse, id enim omnis Hæreticus dicere potest, sed quod Missionem suam per Miracula sicut Moyses*

2. *ep.* 141. *l.* 12. *ext. de Hæret.*

Matt. 10. 27.

Joan. 18. 20

Eph. 4. 11.

Rom. 10. 15.

Exod. 4. 5.

Moyses, vel ex testimonio S. Scripturæ, sicat S. Joannes Baptista, probare teneatur (*). Sæcul. XII. A. C. 1199.

Licet vero scientia Presbyteris ad docendum sit maxime necessaria, nihilominus viri etiam docti in eis Ministerium Sacerdotale revereri, & simplicitatem non vilipendere debent. Episcopi est Presbyterum, sibi subjectum, leniter reprehendere, non autem populi Pastorem suum cum supercilio lacessere. Si Presbyter indignus est, aut ad regendum gregem ineptus, populus Episcopum adeat & conqueratur, quia ille Presbyteros instituendi & deponendi potestatem habet. Matth. 3. 3.

Ceterum Sectæ Pharisæorum accensendi sunt, qui alios spernunt, & se solos

(*) Es haben auch Luther, und andere so genannte Glaubensbesserer vorgegeben, ihr Beruf die Lehre der Schrift anders, als man in tausend und mehr Jahren in der allgemeinen Kirche gethan, vorzutragen, sey unsichtbar; daher ihnen auch weder Mirackel, noch das Zeugniß der Schrift, oder das Ansehen einer Kirche nothwendig gewesen. Allein so haben auch unsere Herrn Protestanten und Glaubensgegner sich allzeit müssen gefallen lassen, wenn man ihnen katholischer Seits eben dieses entgegen gesetzet, was Pabst Innocentius diesen verdächtigen Leuten in der Stadt Metz vorgerücket hat: Id omnis Hæreticus dicere potest. Das kann ein jeder Ketzer sagen.

Sæcul. XII. A.C. 1199.

Justos esse sibi blandiuntur. Nam ab exordio Ecclesiæ multos sanctos Viros invenire est, a moribus istorum recentiorum, qui novam perfectionem somniant, alienissimos. His verba Scripturæ ingerite: Jac. 3. 1. *Nolite plures Magistri fieri.* Epistolam claudit Papa, cives Metenses exhortans, ut errorem noxium dimittant, seque vana virtutis aut pietatis specie seduci non patiantur.

Papa ad Epiſcopum quoque & Capitulum Metense Epistolam dedit, in qua 2. ep. 142. dicit: *Prælatorum quidem est, in Hæreticos solicite inquirere, sed etiam prudenter cavere, ne præcoci zelo piam Fidelium simplicitatem offendant, iisve occasionem præbeant, in Ecclesiam seditiose insurgendi. Porro in Epistola vestra non satis diserte indicastis, quod illi, quos accusatis, in Fide errent, & a sana Doctrina deflectant. Penitus etiam nescimus, quæ fama, qui mores illorum sint, qui hanc versionem composuerunt, aut illorum, qui cum alios docent ea utuntur. Quare, vehementer vos hortamur; præcipite his hominibus, ut ea, quæ moribus Christianorum adversantur, emendent, & Ministerium Prædicationis, ipsis non competens, non invadant. Accurate etiam auctorem hujus Versionis perquirite, quo consilio id molitus fuerit, quam fidem illi, qui eam legunt, teneant,*

neant, cur ipsi alios docere ausi sint, an sacram Sedem & Ecclesiam Catholicam revereantur, ut inde quid nobis agendum sit cognoscere valeamus. Hæc Epistola die duodecima Julii anno millesimo centesimo nonagesimo nono data. Sæcul. XII. A. C. 1199.

Elapsis exinde aliquot mensibus, Episcopus Metensis, data ad Papam Epistola, significavit, quod aliqui, de quibus conquestus esset, a sacra Sede imperata facere detrectarent, & alii publice, alii secreto dicerent; soli Deo obediendum. Quod contra edita mandata clam prædicarent, alios Christianos contemnerent, suæ versioni essent addictissimi & temere profiterentur, se nec Metropolitæ, nec Papæ obtemperaturos, si eam vellent supprimere. Unde Pontifex datis literis, tres Abbates Cistercienſem, Morimontensem & Crestensem ejusdem Ordinis in Diœcesi Lingonensi Metas ire jussit, & juncta cum Episcopo opera, errantes ad se vocare, ad eos emendandos nullam curam omittere, quod si tamen contumaces flectere non possent, capita in querelis Episcopi contenta exacte cognoscere, & omnia ad sacram Sedem referre, ut sciret Papa quid consilii capiendum esset in causa, ad Ecclesiam universalem maxime pertinente, cum de Fide ageretur. Hæc Epistola die nona Decembris anno mil-

Sæcul. XII. A.C. 1200.

lesimo centesimo nonagesimo nono data.

§. XXV.

Interdictum in Francia.

to. 11. Conc. p. 11.

Petrus Capuanus Innocentii III. Papæ Legatus Interdicti sententiam in Regnum Franciæ, a Pontifice latam, anno millesimo ducentesimo, tribus post Natalem Domini hebdomadis, nempe medio mense Januario, promulgavit; quod Rex Philippus repudiata Ingeburge, Principe Daniæ, Mariam Moraviæ duxisset. Legatus Papæ literas suis inclusit, omnibusque Franciæ Prælatis mandavit; servarent ipsi, & ab aliis servari curarent Interdicti sententiam, nisi pœnæ suspensionis ab omni munere Episcopali subjacere vellent. Aliis refractariis, cujuscunque Ordinis & Dignitatis essent, indictum, omnibus officiis & beneficiis esse privandos. Tum eos Romam citavit, intra Festum Ascensionis, in diem decimam octavam Maji incidens, contumaciæ rationem reddituros. Papa sententiam Legati confirmavit, sed a communi lege excepit Crucigeros, jubens, ut Sacerdoti sacris operanti adessent, & sepultura Ecclesiastica gauderent.

Gest. Innoc. n. 21. 52. &c.

Sup. Lib. LXXI. §. 53.

Ep. Inn. III. ap. Steph. Torra. p. 383

Rog. Hoved. p. 801.

Gest Inn. n. 84.

Hæc cognoscimus ex prolixa Epistola, quam sub idem tempus Præsulibus Franciæ

ciæ de Bello sacro scripsit. In ea exprobrat teporem, quo salutem Palæstinæ negligebant, & ait: *Quis sperare posset, vos pro ovibus vestris vitam posituros esse, vos, inquam, qui huc usque ne quidem quadragesimam redituum vestrorum partem pro JEsu Christo dare voluistis, quamvis complures ex vobis in Concilio Divionensi trigesimam se daturos promiserint.* Tum præscribit, qua ratione hæc pars quadragesima intra menses tres exigi & colligi debeat. Et addit: *Ab hoc præcepto generali eximimus Eremitas Grandimontenses, Cartusienses, Monachos Cistercienses, & Canonicos Præmonstratenses, quibus hac de re mandata alia misimus. Præterea, in qualibet Ecclesia statuatur truncus excavatus clausus, cui aperiendo necessariæ sint tres claves. Unamque Episcopus, alteram Parochus, & tertiam pius Laicus servet. Omnes Fideles per angustum foramen suam pecuniam immittant, ac in singulis Ecclesiis, omnibus septimanis Missa una pro remissione peccatorum, inprimis illorum, qui offerunt, decantetur. Unde Episcopis potestatem concedimus, commutandi pœnitentias in hanc eleemosynam, ad auxilium Terræ sanctæ adhibendam, considerata conditione pœnitentium & devotionis fervore.* Ante hoc Sæculum XII. vocem *Truncus** ad significandas

Sæcul. XII. A. C. 1200.

Vid. Cang. Gloss. Truncus.

* Tronc

Sæcul. XII. A.C. 1200.

candas areulas in Eccleſiis poſitas, in quas eleemoſynæ mittuntur, adhibitam nullibi inveni.

Subjungit Papa: *Ut Crucigerorum precibus aliquid demus, eosque ab Interdicto, quo Francia conſtringitur, liberemus, ſalvo tamen Diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigore, præcipimus vobis; ſi aliqui eorum Divinis Officiis intereſſe cupiant, curate ea celebrari, voce non elata, non pulſatis campanis, & aliis, qui Crucigeri non ſunt, excluſis.* Tum Papa ſacris commilitonibus frugalitatem ad menſam & modeſtiam in veſtitu commendat. Epiſcopos jubet, Ludos Equeſtres ad quinquennium prohibere, addita pœna excommunicationis & interdicti. Tandem Mandatarios, qui in hac Bulla præſcripta exequantur, Epiſcopos Pariſienſem & Sueſſionenſem, ac Abbates de Valle Sernacenſi & S. Victoris nominat.

Francia Interdicto octo menſes ſummo rigore ligata fuit. Clauſæ erant Eccleſiarum fores, cadavera in terra jacebant inſepulta. Non ubique tamen tam promta obedientia ſecuta eſt. Obedientes ſe ſe exhibuerunt Canonici Senonenſes, atque etiam Epiſcopi Pariſienſis, Silvanectenſis, Sueſſionenſis, Ambianenſis, Attrebatenſis pluresque alii. Aliqui tergiverſati ſunt, quos inter fuerunt

runt Archiepiscopus Remensis Regis Avunculus, Episcopi Laudunensis, Noviomensis, Belvacensis, Teruanensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, Antissiodorensis & pauci alii, qui omnes nunciis Romam missis, excusationem suam deferentibus, promittebant, servaturos se Interdicti Censuram, si postquam ipsos audivisset, Papa in sententia persisteret. Papa cunctis, quæ afferebant, refutatis rejectisque, præcepit, ut sicut ceteri Interdictum servarent, ipsisque obedientibus, hæc Censura in totam Franciam extensa est. Sæcul. XII. A.C.1200. Francia.

Quare, cum Rex Philippus Ludovicum filium suum conjugio jungere voluit, nuptias in ditionibus Regis Angliæ celebrare compulsus est, in loco inter Vernonem & Andelium sito. Nempe hoc matrimonium conditionibus pacis inter ambos Reges initæ appositum fuerat, duxitque Ludovicus Blancam, Joannis Regis Angliæ neptem, videlicet ex Eleonora ipsius sorore & Alphonso VIII. Rege Castiliæ genitam, Elia Archiepiscopo Burdegalensi, die Martis vigesima tertia Maji, anno millesimo ducentesimo novis sponsis Benedictionem impertiente. *Rog. p. 802.* *Rigor. p. 44.* Nuptiæ.

Ceterum Philippus Rex, acerrime offensus, quod Episcopi Interdicto se subjecissent, eos ex Ecclesiis suis expulit, *Rig. p. 43.*

Cano-

Sæcul. XII. A.C. 1200.

Canonicos Cathedrales eorumque Clericos relegavit, eorumdem bona ærario suo addixit. Parochorum censibus occupatis, eos expulit. Tandemque Ingeburgem Reginam in arce Stampensi arctius inclusit. Populi tamen sui clamoribus commotus, missis ad Papam Clericis & viris nobilibus, contra Legatum, Petrum Capuanum vehementer conquestus est, promittens, se Legatos suos nomine suo jurare jussurum, quod aliorum Nunciorum Apostolicorum aut Judicum delegatorum arbitrium subiturus esset. Respondit Papa, distinguendum esse alterum ab alio, an Rex subjecturus se esset sententiæ a Judice jam latæ, vel tempore futuro ferendæ. Si judicio primo obsequi vellet, & Rex repulsa Maria Ingeburgem in domum suam reciperet, se non solum ejus nomine jurantes admissurum, sed etiam sine juramento Interdictum soluturum, ea tamen conditione, ut Clerici spoliati in integrum restituerentur. Si autem Rex solum sententiæ futuræ vellet acquiescere, Papam eo pacto juramentum esse recepturum, si prius Ingeburgem affectu maritali revocasset.

Gest. Innoc. p. 52.

Cum Philippus Rex, Legatis suis Roma redeuntibus, hoc Responsum percepisset, utrinque angustiis premebatur; moveri enim non poterat, ut Ingeburgem

gem acciperet, quam odio invicto aver- Sæcul. XII.
sabatur, nec ut Mariam dimitteret, quam A.C.1200.
tenerrime amabat. Quibusdam igitur Episcopis & Principibus ad se vocatis, quid sibi agendum esset, deliberavit. Omnibus una voce respondentibus, Sacræ Sedi obediendum esse, conversus ad Archiepiscopum Remensem Avunculum suum, *an verum est*, inquit, *quod Papa scribit, sententiam de divortio licito a te latam, fabulam fuisse ad adulandum mihi compositam?* idque Præsule negare non auso, adjecit Rex: *O te insulsum hominem! qui in re tanta contra mentem locutus es.* Rursus ad Papam n. 54.
mittit Nuncios, suo nomine rogantes; prius Interdictum tolleret, & deinde causæ ipsius viscera cognosceret; sed cum Innocentium nec precibus nec promissis flectere posset, Judicio Pontificis se submisit. Tum Papa Legatum in Franciam misit Octavianum Cardinalem Episcopum Ostiensem, cum mandatis; primo curaret, Clericis & Ecclesiis satisfieri, ob damna & injurias illatas. Tum ut Rex Mariam non solum a toro sed etiam ab aula removeret, Ingeburgem publice reciperet, & ut Reginam decet haberet, postquam jurejurando se obligasset, quod eam, nisi Judicium Ecclesiæ intercederet, nunquam repulsurus esset. His conditionibus Franciam ab Interdicto

Sæcul. XII. A.C.1200.

cto absolveret, reservata sibi potestate illos castigandi, qui ab initio latam Censuram non servassent.

Si moveri non posset Rex ad Ingeburgem recipiendam, sed matrimonii hujus solutionem urgere mallet, Legatus ad Actionem in Judicio inchoandam sex mensium spatium præstitueret, quo tempore Ingeburgis fratrem suum Regem Daniæ monere posset; mittendos sibi Causidicos, testes, aliaque documenta necessaria. Papa Partibus consentientibus Legato Octaviano socium dedit Joannem Cardinalem Presbyterum, Titulo S. Priscæ, utrique injungens; adjutores adsciscerent viros doctos & pios. Ita se gererent, ut ne quidem suspicari liceret, eorum integritatem ullo pacto labefactari posse, & Ingeburgi Reginæ plenam securitatem libertatemque præstarent.

Causa Ingeburgis Reginæ.

Octavianus prior in Franciam pervenit, ubi a Rege & Optimatibus honorifice exceptus, nihil antiquius habuit, quam damna Ecclesiis & viris Ecclesiasticis illata resarcire. Exinde cum Ingeburgem Nigellam Veromanduorum deduci jussisset, ibidem Legatus in Ecclesia S. Leodegarii Archiepiscopos, Episcopos & Clericos Franciæ in Vigilia Nativitatis Beatæ Virginis, die septima Septembris anno millesimo ducentesimo præsto

Rog. p. 810. to. 11. Conc. p. 20.

præsto esse voluit. Aderat & Maria Moravienſis & ipse Rex, qui Legato præcipiente Ingeburgem recepit, & mandatarios in animam ſuam jurare juſſit, quod eam cultu Regio habiturus, & ante Eccleſiæ ſententiam non dimiſſurus eſſet. Tunc vero Legatus ſententiam Interdicti, quod octo menſes tenuerat, tollit, pulſantur campanæ, populo maximam lætitiam profitente. Sæcul. XII. A. C. 1200.

Rex Mariam a ſe removit, ſed e Regno non dimiſit, quod uterum ferret partui proxima. Obiit ipſa anno ſequente milleſimo ducenteſimo primo, haud diu poſt expletum puerperii tempus, ejusque mortem divinæ vindictæ effectum multi crediderunt.

Verumtamen Rex, quia a ſe ipſo impetrare non poterat, ut Ingeburgem amaret, Legato expoſuit, eam uxorem ſuam legitimam eſſe non poſſe, ob affinitatem, quam intercedere ipſe probare vellet. Petiitque ut matrimonium nullum promulgaretur. Itaque Legatus, mandatis Pontificis obſequens, a die ſeptima Septembris ſpatium ſex hebdomadarum, ſex dierum, & totidem horarum ad dicendam cauſam ſtatuit, locum vero, ab Ingeburge electum, urbem Sueſſionem deſtinavit. Mox Legatus Octavianus, datis literis, omnium, quæ in Conventu Negellenſi acta fuerant, Pon-

3. *ep.* 10. 11. 12. 13. *ap. Rainold. a.* 1200. *n.* 12.

Sæcul. XII. A C. 1200.

tifici rationem reddidit. Præsules quoque Franciæ, qui interfuerunt, videlicet Archiepiscopus Remensis, Episcopi Suessionensis, Trecensis, Catalaunensis, Carnotensis & Parisiensis Papæ scripserunt. Pontifex vero, datis Epistolis, Reginam Ingeburgem & Canutum Regem Daniæ fratrem ejus ad causam suam strenue defendendam hortatus est.

§. XXVI.

Constitutio ad Universitatem Parisiensem data.

Eodem anno millesimo ducentesimo Lutetiæ Parisiorum inter Studiosos & cives funestæ rixæ natæ sunt, quarum hæc fuit occasio. Nobilis Germanus scientiis ibi vacabat, ex illis tribus unus, qui ad Episcopatum Leodiensem quorumdam suffragiis cooptati fuerant. Quippe Episcopo, Alberto *de Cuc* in festo Purificationis vita functo, anno millesimo ducentesimo, Hugo *de Pierrepont*, ejusdem Ecclesiæ Præpositus, successor electus est, sed non solus; unde, causa Romam delata, Electio Hugonis confirmata, & ipse a Guidone Cardinale Legato ordinatus. Inter hæc cum famulus alterius ex ejus æmulis Parisiis studiorum causa commorantis, popinam adiisset, vinum emturus, ejus amphora con-

Rog. Hoved. p. 803. Ægyd. Aur. val. c. 96. 97.

Alberic. an. 1200.

confracta, & ipse verberibus excipitur. Illico advolant studiosi Germani & cauponem graviter sauciant. Exoritur clamor, tota turbatur civitas. Thomas urbis præfectus cum populo armato & ipse armis cinctus ædes studiosorum Germanorum invasit, atque in illa dimicatione, qui Leodii electus fuerat, cum quibusdam suorum cecidit. Sæcul. XII. A.C. 1200.

Ergo scholarum Parisiensium Doctores ad Regem Philippum se conferunt, querelas contra Thomam præfectum & conscios exponentes. Rex Thomam aliosque, qui eum cum armis secuti fuerant, custodiæ tradi jubet. Ceteri fugerunt, quorum domus Rex iratus dirui, vineas vastari, & arbores frugiferas excidi voluit. Tum veritus, ne Studiosi, eorumque Magistri Parisiis indignantes aufugerent, Constitutionem edidit in hunc ferme modum; Thomas præfectus, quia facinus sibi objectum negabat, in carcere Regio, quoad viveret, hæreret, nisi publice Lutetiæ Parisiorum probationem aquæ subire mallet. In qua si succumberet, damnaretur, si salvus evaderet, nunquam tamen exinde cujuscunque urbis, aut ditionis, Regi subjectæ, præfecturam obire posset, & Lutetiæ nunquam pedem inferret. Eadem pœna de aliis captivis decreta, fugitivi autem pro damnatis habiti. Præ- *Duboulai hist. univers. to. 3. p. 2.*

Sæcul. XII. A.C. 1200.

terea ut Studiosis præstaretur securitas, promisit Rex, se ab omnibus civibus Parisiensibus exacturum juramentum, quod si quemquam Laicum Studioso contumelia afficere conspicerent, hujus rei testes in judicio esse non detrectarent, nec oculos averterent, ne viderent. Statuitur etiam, ut si Studiosus verberetur, omnes Laici, qui id viderint, reum comprehensum præfectis Regis tradant, qui causa cognita sententiam edi jubebit.

Conf. ord. to. 1. p. 985. edit. 1636.

Tum Rex illam Constitutionem sic prosequitur: *Prætor noster aliive Judices in Studiosum criminis reum manus non injiciant, aut si corripuerint, Judici Ecclesiastico reddant. Si causa sit gravis, Curia nostra cognoscat, quid de Studioso statutum fuerit. Nunquam vero, cujuscunque criminis accusetur, Scholæ Parisiensis Principem* (is ille est, qui exinde Universitatis Rector dictus est) *in custodiam rapi jubeat; sed si eum custodiri oporteat, ea cura Judicii Ecclesiastici ministris demandetur. Servos Studiosorum Laicos, qui nec cives sunt, nec perpetuum habent domicilium, nec de mercatu vivunt, non capiemus, nisi crimen evidenter pateat. Volumus, Canonicos Parisienses, eorumque pedissequos eodem privilegio gaudere. Prætor Parisiensis, munus subiturus, omnia hic memorata se servaturum juret.*

Hæc

Hæc Constitutio Bestisii anno millesimo ducentesimo data, omnium antiquissima est, ex qua Studiosorum tanquam Clericorum a Jurisdictione sæculari exemtio probatur; atque etiam origo discriminis inter delictum commune & casum privilegiatum deprehenditur. Sæcul. XII. A.C. 1200.

§. XXVII.

Petrus Corbolienſis, Archiepiſcopus Senonenſis.

Cum Octavianus Legatus in Francia versaretur, in Sede Senonensi, post obitum Michaelis Archiepiscopi, vigesima octava Novembris anno millesimo centesimo nonagesimo nono defuncti, vacante successorem eligi curavit. Capitulum Senonense una quidem voce Hugonem Nocerienſem, Episcopum Antissiodorensem, cooptavit, sed re ista Romam delata, noluit Papa postulationem admittere, quod hic Præsul ex numero illorum fuisset, qui Interdicto, in Francia a Petro Capuano Legato denunciato, obedire detrectaverant, creditque, satis gratiæ ei concedi, si censuram suspensionis, cui per sententiam Legati subjectus fuerat, tolleret. Ergo Octavianus Legatus Canonicos Cathedrales Senonenses ad novam electionem procedere

Rigord. p. 43

Gall. Christ. in Senon. c. 1. extra de poſtul. ex lib. 5. ep. 18.

c. 2. de poſt.

Sæcul. XII. A.C. 1200.

dere jussit, ac plerisque Episcopo Antisiodorensi secundo suffragantibus, edixit, ipsos jure suo eligendi excidisse, idque ad alios, licet paucos, qui Petrum Corbolienſem, Episcopum Cameracensem, elegerant, esse devolutum. Tum eum Archiepiscopatu Senonensi investivit, auctoritate Papæ, qui hanc Translationem confirmavit. Petro Corbolienſi, Doctori celeberrimo, qui diu Parisiis Theologiam docuerat, Innocentius Papa, olim Magistro suo, Episcopatum Cameracensem sua auctoritate donaverat, anno millesimo centesimo nonagesimo nono; quia vero quiete hoc Beneficio frui non poterat, ad Papam rediit. Haud invidia caruit, ut non nulli Scriptores coævi memorant, hæc Institutio, utpote absoluta Papæ & Regis voluntate, Capitulo Cathedrali invito, peracta.

Albert. an. 1200. Auct. Aquicinct. p. 478. Hist. Epis. Ant. Chron. Antiss. anno 1200.

§. XXVIII.

Divisio animorum in Ordine Grandimontensi.

Eodem anno millesimo ducentesimo S. Guilielmus super candelabrum Ecclesiæ Bituricensis positus est. Is ex stirpe nobili in Territorio Nivernensi ortus adhuc puer disciplinæ traditur cognati sui Guilielmi, Archidiaconi Suessionensis, cui vitæ austeritas nomen Eremicolæ

Patr. Bitur. c. 68. to. 2. Bibl. Lab. vit. ap. Boll. to. 1. 10. Jan. p. 628.

micolæ peperit. Ille nepoti suo, literis instructo, Canonicatum in Ecclesia Parisiensi & alterum in Suessionensi conferri curavit; sed Guilielmus junior, ubi ad maturam ætatem pervenit, relicto mundo monachum in Ordine Grandimontensium induit. Indeque egressus, quod ei turbæ a Fratribus Laicis contra Monachos excitatæ displicerent, & ad Ordinem Cistercienſium transiens, Pontiniaci Tyrocinium secundo sustinuit. Edita ibi Professione, cum de virtute in virtutem procederet, brevi Prior claustralis, tum Abbas ad Joannis-fontem, in Diœcesi Senonensi, & tandem Abbas Chaliacensis in Diœcesi Silvanectensi fuit. Sæcul. XII. A.C. 1200. *Jac. Vitr.*

Ceterum rerum temporalium regimen turbarum causa inter Monachos Grandimontenses & Fratres Conversos extitit. In eo Ordine sapienter institutum fuerat, ut Monachi soli Officio divino & Exercitationibus spiritualibus vacarent, cura Rei familiaris Fratribus Laicis penitus relicta. Sed lapsu temporis experti sunt Monachi, se hac ratione subjectos effici fratribus Laicis, quos ipsi pro more omnium aliorum virorum Religiosorum regere debuissent. Præterea Fratres Laici Grandimontenses in spiritualibus quoque dominari cupiebant; nam loco Missæ de Feria, jam

Sæcul. XII. A.C. 1200.

Missam de Beata Virgine, jam de Spiritu Sancto, aut pro defunctis sibi celebrari petebant, & pro negotiorum suorum modo Officium divinum nunc maturius nunc serius, ac Regula præscribebat, peragi poscebant. Ubi Monachi in Choro cantantes id obsequii denegabant, irascebantur, & non præbebant vitæ necessaria, quæ ipsi a nemine nisi de manibus Fratrum istorum Laicorum accipere poterant. Quin etiam hi Laici Monachos ingrati animi accusabant, objicientes, quod sibi solis maximus labor devorandus esset, dum Patres tranquille contemplationis dulcedine fruerentur.

Hæc jurgia usque ad aures Summi Pontificis pervenerunt; qui omnibus, quæ Pars utraque exponenda putavit, auditis, Fratribus Laicis præcepit; Monachos honorarent, in spiritualibus subditi essent, nec de Officio divino quidquam decernere præsumerent. Monachis contra injunxit; Fratres Laicos amarent, in spiritu lenitatis eos docerent, errantes sustinerent, & administrationem rerum extra Monasterium iis non adimerent. Rex Philippus Augustus, antequam ad Bellum sacrum proficisceretur, eos ad amicam transactionem ineundam permoverat, quæ nullius roboris fuit; sed lis ista diu tenuit, quod cognoscimus ex Epistolis compluribus Stephani

ep. 134. &c.

Abba-

Abbatis S. Genovevæ & postea Episcopi Tornacensis, circa annum millesimum centesimum nonagesimum primum datis, in quibus totam culpam in fratres Laicos Grandimontenses rejicit. Sæcul. XII. A.C. 1200.

Quæ ex ista altercatione secuta sint, ex Regula Bullæ, ab Innocentio Papa vigesima septima Februarii anno millesimo ducentesimo secundo datæ, ex duabus Epistolis anni millesimi ducentesimi duodecimi, & alia Honorii Papæ anno millesimo ducentesimo decimo nono scripta dispicimus. *Innoc. III. l. V. ep. 3. XIV. ep. 144 145. Raine. 1219. n. ult.*

§. XXIX.

S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis.

Henrico Sulliacensi, Archiepiscopo Bituricensi, undecima die Septembris anno millesimo centesimo nonagesimo nono fatis functo, cum Canonici Capitulares ad eligendum successorem congregati essent, & de Persona non consentirent, statuerunt accersere Odonem, Episcopum Parisiensem, mortui Archiepiscopi fratrem, & quondam ex gremio Ecclesiæ suæ ad illam Sedem evocatum, ut ipsos consilio adjuvaret. Postquam Odo Biturigas pervenit, & diu omnes deliberassent, visum est, Archiepiscopum ex Ordine Cisterciensi eligere, tresque

Sæcul. XII. A. C. 1200.

Abbates nominati, quos inter erat Guilielmus Chaliacenſis; Epiſcopi autem Pariſienſis arbitrio relictum, quis exhis tribus eſſet præferendus. Ipſe, re in alterum diem dilata, ubi illuxit, ad Eccleſiam Deiparæ *de Sales* ſe contulit, Miſſam celebraturus, & mappæ lineæ Altaris ſchedulas tres, ſigillo clauſas, quibus erant trium Abbatum nomina inſcripta, ſubjecit. Epiſcopo aderant viri duo virtutibus & ſcientiis clariſſimi, quorum alter exinde Archiepiſcopatum Turonenſem conſecutus eſt, alter Infula Epiſcopali Meldenſi ornatus. Miſſa completa, cum ipſis proſternitur, orat Dominum Deum, ut indicaret, quem elegiſſet; tum ex Altari de tribus unam ſchedulam accipit, aperit, & nomen Guilielmi Abbatis legit. Quod Odo nemini niſi duobus viris præſentibus patefecit; ſed ecce! Canonici Cathedrales, qui interim convenerant, miſſis ad eum Nunciis Guilielmum Abbatem ſibi Archiepiſcopum dari enixe depoſcunt. Epiſcopus Pariſienſis, vehementi motu in admirationem raptus, electum eſſe Guilielmum maximæ populi frequentiæ promulgavit.

Ita Guilielmus Abbas Chaliacenſis in Cathedram Archiepiſcopalem Bituricenſem in Feſto S. Clementis die vigeſima tertia Novembris anno milleſimo cen-

centesimo nonagesimo nono evectus est (*). Sæcul. XII. A.C. 1200.

Id primo ad Guilielmi aures fama publica detulit, doluitque vehementer; nam timebat, ne tam sublimis Ecclesiæ regimen suscipere, & dilectæ solitudinis quieti valedicere cogeretur. Hinc Nunciis Bituricensibus advenientibus, ac rogantibus, ut consentiret, humili mente respondit, se haud esse sui ipsius arbitrum, sed secundum Ordinis Cistercienſis constitutiones a Præpositi sui voluntate pendere. Sed ecce, contra quam sperabat, redditur ei Abbatis Cistercienſis Epistola, qua voluntati divinæ, se vocanti, non repugnare jubebatur. Accessit mandatum Sacræ Sedis Legati, Petri Capuani, qui tunc in Francia commorabatur. Ergo Capitulum Cathedrale, ad consecrandum electum Præsulem, Eliam vocat, Archiepiscopum Burdegalensem, qui illico Biturigas se contulit. Adfuere etiam Episcopi Suffraganei, atque inter illos Episcopus Claromontanus, qui jus sibi esse ordinandi Metropolitam suum affirmabat. Sed

(*) Factum Odonis Episcopi Parisiensis, tres schedas, quibus tria nomina Eligendorum inscripta, Mappa Altaris subjicientis, nihil a peccato, quod Tentatio Dei vocatur, nisi simplicitas & bona fides excusare posse videtur.

Sæcul. XII. A C. 1200.

Sed productæ sunt antiquæ tabulæ, quæ istud privilegium Archiepiscopo Burdegalensi asserebant. Tum Guilielmus, ab Elia consecratus, annos exinde novem Sedem Bituricensem tenuit. Ab esu carnium abstinuit, aliosque mores, quibus Monachi vivunt, servavit, quantum in eminenti Dignitatis Ecclesiasticæ gradu positus fuit.

§. XXX.

Ecclesia Anglicana.

Rog. p. 804. Eustachius Abbas *de Flaix*, seu S. Germeri, in Diœcesi Belvacensi, ex sociis Fulconis Neviliacensis, hoc anno millesimo ducentesimo ex Normannia in Angliam trajecit, in eo Regno Prædicationis munere functurus. Complura ab eo patrata miracula fama vulgavit. Multos ad usuras debitoribus suis condonandas, & votum de itinere Hierosolymam suscipiendo edendum permovit. Londini & in pluribus locis nundinas die Dominica celebrari prohibuit, instituitque, ut in illis Ecclesiis, quarum census ad id sufficerent, ante S. Sacramentum lampas perpetuo arderet, aut aliud lumen conservaretur. Apud multos cives quoque & alios suo hortatu effecit, ut quotidie in mensa prandentium vel cœnantium catinus poneretur, in quem ciborum partem pro

paupe-

pauperibus conferrent. Nihilominus cum non nulli Angliæ Præſules Euſtachio ſubiraſcerentur, conquerentes, quod non vocatus prædicaret, ne diſpliceret Epiſcopis, in Normanniam denuo navigavit. Sæcul. XII. A.C. 1200.

Eodem anno Hubertus Archiepiſcopus Cantuarienſis Concilium Generale totius Angliæ, id fruſtra prohibente Godefrido, Comite Exonienſi, ſummo Juſtitiæ in Regno præfecto, celebravit. In eo Decretum, quod quatuordecim Canones, ex Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. anni milleſimi centeſimi ſeptuageſimi noni maximam partem excerptos, complectitur, editum eſt. Sunt vero hujusmodi: Non liceat Presbytero bis in die celebrare, niſi neceſſitate urgente, & tunc nullam ablutionem infundat calici, & ablutionem digitorum ſervet, poſt ſecundam Miſſam ſumendam. Evchariſtia ad ægros in pixide munda & honeſta deferatur, linteo nitido ſuperpoſito, miniſtro Crucem & lumen præferente. *Rog. p. 806.* *to. 11. Conc. p. 13.* *Sup. Lib. LXXIII. §. 2.*

Baptiſma, ſi dubitetur, conferatur, quia non dicitur iteratum quod non ſcitur fuiſſe collatum. Ideoque baptizentur pueri expoſiti, ſive appoſito ſale, ſive ſine ſale inveniantur. *c. 2.* *c. 3.*

Hic nulla de Baptiſmo ſub conditione mentio. Decimæ occaſione mercedis *c. 9.*

Sæcul. XII. A.C. 1200.

dis servientium vel messorum non minuantur. De terris noviter excultis decimæ solis Ecclesiæ parochialibus dentur.

§. XXXI.

S. Hugonis Lincolniensis extrema.

vit. c. 22. ap. Sur. 17. Nov.

Sanctus Hugo Lincolniensis in Normaniam venerat, ubi pacis conciliator inter Regem Philippum & Regem Joannem extitit. Cum deinde ad quamdam Domum Cartusiensium divertisset, & illi, res novas sciendi cupiditate victi, quæsivissent, quibus conditionibus pax inita fuisset, ingemiscens respondit: *Quamvis Episcopis liceat nova audire & referre, id tamen Monachis non licet.* Ex hac profectione redux Hugo Londini quartana laborans decubuit, monentibusque amicis, ut Testamentum con-

c. 28.

deret, *mos iste*, inquit, *etsi ubique locorum in Ecclesia vigeat, mihi non proba-*

Rog. p. 811.

tur. Nunquam aliquid habui vel habeo, quod non ad Ecclesiam, cujus cura mihi commissa est, pertineat. Nihilominus, quia timeo ne ærario Regis præfecti sibi hæc vindicent, cuncta quæ possideo, dentur pauperibus. Rex Joannes ad Hugonem invisens ejus Testamentum confirmavit, promisitque coram Deo, quod inposterum ultima mandata Prælatorum sua auctoritate muniturus esset.

S. Epi-

S. Episcopus exinde nulla amplius re quam oratione occupatus Infirmorum oleo ungi petiit, idque obsequium in Festo S. Matthæi die vigesima prima Septembris, qua olim Episcopus consecratus fuerat, recepit. Duos tamen adhuc menses superstes jussit, se post mortem Lincolniam deferri, & in Ecclesia sua Cathedrali sepeliri. Obiit igitur Londini, die decima sexta Novembris, anno millesimo ducentesimo, Episcopus quindecim, & sexaginta annorum homo. Ceteris ejus virtutibus adnumeratur solicitudo, qua Horas Canonicas præstituto semper tempore recitabat, nec unquam maturius eas persolvebat aut differebat. Quippe maximi etiam momenti negotia pertractans, aliis sæpe ad consultandum exeuntibus, ipse ut primum hora monuerat ad orandum secedebat, cum apud Cartusienses officium divinum omnibus aliis rebus anteponere didicisset.

Sæcul. XII. A.C. 1200. c. 29. c. 22.

Per quinque dies, quibus S. Hugonis exequiæ Lincolniam usque ducebantur, ingens concursus populi fuit, & robustissimi humeros deferendo corpori certatim subjiciebant. Ubi Lincolniam perventum, sors tulit, ut ibi maxima Episcoporum & Optimatum frequentia versaretur, cum illis diebus Guilielmus Rex Scotiæ Joanni Regi Angliæ Homagium

c. 31. *Rog. p.* 811. 812.

Sæcul. XII. A.C. 1200.

gium præstaret. Archiepiscopi tres, videlicet Hubertus Cantuariensis, Joannes Dublinensis & Bernardus alterius Sedis, Episcopi quatuordecim, & Abbates plusquam centum aderant, omnesque hi Præsules & duo Reges, cum justa Episcopo Lincolniensi persolverentur, pompam auxerunt; ipse Rex Angliæ corpori deportando humeros commodare non est dedignatus. Ceterum S. Hugo tam ante quam post obitum multis miraculis claruit, unde post annos deinde viginti ab Honorio Papa III. in Sanctorum Catalogum relatus est; ejus vero memoria ab Ecclesia die decima septima Novembris celebratur.

Matth. Par. an. 1220.

Mart. Rom. 17. *Nov.*

§. XXXII.

Papa Ottonis, Regis Romanorum, partes amplectitur.

Rog. p. 799. Cum conditiones pacis cum Rege Philippo iniisset Rex Joannes, promiserat, quod Ottoni, nepoti suo, nec milite nec auro ad consequendum Imperium

p. 802. auxiliaturus esset. Nam Ottoni Saxoniæ, Mathildis ex Anglia, Richardi & Joannis Regum sororis, filio, Richardus Rex Comitatus Eboracensem & Pictaviensem ac ex tribus partibus totius thesauri sui duas partes scripserat; sed negabat Rex Joannes, se ei quidquam datu-

daturum esse, quod jurejurando obligasset se Regi Franciæ, nullum se auxilii genus Ottoni concessurum. Otto querelas ad Innocentium detulit, qui, datis litteris, Regem Angliæ monuit; pecuniam, Nepoti suo vi testamenti, a Rege Richardo conditi, debitam sponte restitueret, nisi mallet eam auctoritate Ecclesiæ a se extorqueri. Simul etiam Papa datis ad Octavianum Episcopum Ostiensem, suum in Francia Legatum, literis mandavit; si Philippus & Joannes Reges qualicunque demum pacto, contra Justitiam pugnante, sese illigassent, eos absolvere non dubitaret. Ipse Papa deinde Regi Joanni scripsit; hoc juramentum servari non debere.

Sæcul. XII. A.C. 1200.

de Negot. Imp. ep. 28.

ep. 25. 60.

n. 46. p. 84.

Ex biennio, quo Germania ob duos Principes, Imperium ambientes, Philippum Suevum & Ottonem Saxonem dividebatur, Papa necdum Partium uni se se addixerat, licet ejus animum tum duo Principes æmuli, tum Principes Germaniæ tam Ecclesiastici quam sæculares, prout quisque affectus erat, tum etiam ambo Reges Franciæ & Angliæ vehementer solicitarent. Hoc autem anno Innocentius studium, quo in Ottonem ferebatur, prodidit. Inter Decretales vero, quas in hac causa scripsit, non aliæ memoratu magis dignæ sunt, quam Responsa duo, alterum ad Legatos Phi-

Sup. Lib. LXXIV. §. 62.

Sæcul. XII. A. C. 1200.

lippi Suevi, alterum ad Quæstionem definiendam, in publico Consistorio datum. In primo ostendit Papa, ex pluribus Scripturæ locis, quantum supra Regnum eminеat sacerdotium. Sed potestatem sæcularem a spirituali non distinguit. Imo sacerdotio potestatem sæcularem tribuit, cum dicit: *Potestas data est Principibus in terra & solum in corpora, sed sacerdotibus in ipso Cælo & in ipsas animas commissa est.* Unde eruitur, quod præter potestatem sæcularem, quam habent cum Principibus communem, etiam spirituali prædíti sint. Et infra: *Cuilibet Regi Regnum suum est, verum sublimior auctoritas Petri in omnia extenditur, tanquam Vicarii illius, cui mundus & omnes habitantes in eo subduntur.* Et iterum: *In populo Judaico sacerdotium Ordinatione divina institutum fuit, Regnum vero ab hominibus extortum. Hinc schisma in Regno non autem in sacerdotio prævaluit.* Finem sermonis facit dicens; in ista Quæstione jam pridem adeundam fuisse Sacram Sedem, cujus in causa præcipua esset & decretoria auctoritas; præcipua quidem, quia ejusdem Sedis potestas Imperium Orientis in Occidentem transtuliſſet, & Decretoria, quia ab ea corona Imperii accipitur. Hic dispicimus fructum principiorum antea inaudi-

De Neg. I. ep. 18. coll. 1. Decret. tit. 2.

inauditorum, quorum Gregorius VII. auctor fuit. Sæcul. XII. A.C.1200.

In Reſponſo, quo Papa cauſam definit, dicit; tres Reges fuiſſe electos, Fridericum puerum, Philippum, & Ottonem, ac tria in cujuslibet electione eſſe conſideranda, nempe quid liceat, quid deceat, quid expediat. Tum ſingula tria capita bis pertractat, ad adjuncta ad ſingulos Electos refert, ſemel argumenta pro ipſis afferens & deinde diluens; unde multæ ſermonis Diviſiones & Subdiviſiones ex natura ſtili ſcholaſtici in illo ævo naſcuntur. Summa autem orationis hæc eſt: Electionem Friderici nullam agnoſci ob defectum in perſona; puerum enim eſſe biennem, necdum baptizatum. At Imperium per Vicarium regi non poſſe, atque Eccleſiam Imperatore indigere, qui eam defenderet. Ceterum cum Fridericus jam tunc Rex Siciliæ eſſet ſalutatus, ſi etiam Imperium conſequeretur, timendum, ne, tam ampla provincia Germaniæ juncta, aliquando homagium Eccleſiæ jurare detrectaret. De Philippo Sueviæ dicebat Pontifex: *Quamvis a majore Principum Imperii parte nominatus ſit, ejus tamen electio nullius eſt firmitatis, utpote a Cœleſtino Papa excommunicati, quod Patrimonium S. Petri armis invaſerit; id enim ipſe faſſus eſt, cum abſolutio-*

ep. 26. Innocentii Papæ Epiſtolæ.

Sæcul. XII. A.C. 1200.

nem petiit, eamque post electionem suam ab Episcopo Sutrinensi obtinuit. Praterea si Imperatori Henrico fratri suo proximus succederet, Imperium jure hæreditatis non electionis adiri posse videretur. Quæ res malum posteris exemplum suppeditaret. Denique si Philippum Imperatorem accipimus, quid aliud agimus, nisi quod huic stirpi Suevicæ nova arma suggerimus, contra Ecclesiam, quam jam diu atrociter persequitur. Memori mente repositum est exemplum Henrici V. qui, capto Paschale II. Summo Pontifice, Decretum illud de Investituris extorsit, Friderici I. qui schisma contra Alexandrum III. excitatum tam diu pertinaciter aluit, Henrici VI. ejus filii & ipsius Philippi, cujus nunc causa movetur, qui hodieque Ecclesiæ Romanæ per Marcualdum & Diopoldum Duces suos arma infert.

Sup. Lib. LXVI. §. 3. Lib. LXX. §. 40. LXXIV. §. 29.

In hoc loco Pontifex probare conatur ex Scriptura, quod peccata parentum in filiis eos imitantibus punire liceat.

De Ottone Saxoniæ loquens Papa non diu moratur in argumentis, quæ ipsi objici poterant, nimirum in parvo numero suffragantium, eorumque infirmitate. Sed laudat ipsius in Ecclesiam Romanam propensionem, & merita Majorum

jorum non solum ex genere materno, nempe Regum Angliæ, sed etiam paterno, Ducum Saxoniæ, præcipue Lotharii II. Imperatoris in Apulia, cum pro Ecclesia militaret, satis functi. Pro Ottone igitur pronunciat sententiam; hunc Regem esse appellandum, hunc ad accipiendam coronam Imperii esse vocandum. Sæcul. XII. A.C. 1200. *Sup. Lib. LXVIII. §. 42.*

Ut huic Decreto vim adderet Innocentius, ad Archiepiscopum Coloniensem, ejus Suffraganeos & illius provinciæ Principes Epistolam dedit, in qua dicit; postquam diu expectasset, experturus, an Principes Imperii de eligendo Imperatore consentirent, ipsisque consilium suggessisset, se tandem animo constituisse, in Germaniam Episcopum Prænestinum cum potestate Legati, ac Philippum Notarium, mittere. Tum subjungit: *Octaviano quoque Episcopo Ostiensi Legato nostro præcepimus, ut si negotiis, quæ in Francia tractat, expedire se posset, cum paulo ante memoratis ad vos divertat, sicque vestra consilia intelligat, & nostram voluntatem vobis exponat. Quare, si vos bi Legati vel aliquis eorum ad se accersiverint, ad eos mora nulla interjecta vos conferte.* Hæc Epistola quinta die Januarii anno millesimo ducentesimo primo data est. Similes literæ ad Provin- *De neg. Imp. ep. 30.* Otto IV. Imperator.

Sæcul. XII. A. C. 1200.

cias Moguntinam, Salisburgenſem, Bremenſem & Trevirenſem miſſæ.

Manuſcript. ap. Serrar. Mog.

Epiſtola Innocentii Moguntiam data non Archiepiſcopo ſed Capitulo Cathedrali inſcripta eſt; Sedes enim vacabat poſt obitum Conradi Cardinalis, Epiſcopi Sabinenſis, qui in Vigilia S. Simonis

Sup. lib. LXX. §. 55.

die vigeſima ſeptima Octobris anno milleſimo ducenteſimo e vivis abierat, poſtquam in Cathedra Moguntina annos a prima poſſeſſione omnino quadraginta

Annal. Godef. p. 267

ſediſſet. Obdormivit vero Paſſavii, ex Hungaria rediens, quo pacis conciliandæ cauſa profectus fuerat, ejusque corpus Moguntiam translatum. In Ele-

Abbas Urſp. p. 309. edit. 1569.

ctione ſucceſſoris ſchisma exortum; nam plerique, ut Regi Philippo Suevo obſequerentur, Liupoldo Epiſcopo Wormatienſi ſuffragati ſunt, alii vero Sifridum ſeu Sigefridum ad S. Petrum Moguntiæ Præpoſitum elegerunt. Ac obtendentes quod in urbe plena libertate non gauderent, Bingam diverterunt, ubi peractam electionem confirmarunt. At cum Liupoldus eum armatis illuc delatus eos expuliſſet, Sigefridus ad Ottonem Regem confugit, qui amice exceptum Inveſtitura donavit, ac Liupoldo e Binga urbe vi militari ejecto, Sigefridum reduxit.

Inde, poſt ſuperiorem Epiſtolam datam tribus ferme menſibus conſumtis, Inno-

Innocentius Papa, nempe prima die Martii anno milleſimo ducenteſimo primo Ottoni Regi aliam ſcripſit, cujus Epilogus hujusmodi eſt: *Dei Omnipotentis Auctoritate, quæ nobis in perſona S. Petri data eſt, Regem te recipimus, jubemusque, omnes tibi ut Regi honorem & obedientiam præſtare.* Tum, poſt aliqua præmitti ſolita, ſequuntur verba: *Solemni ritu tibi coronam Imperii dabimus.* Simul etiam ad Germaniæ Principes tam Eccleſiaſticos quam ſæculares dedit Epiſtolam, in qua, poſtquam argumenta expoſuit, quibus ad favendum Ottoni permotus fuiſſet, præcipit, ut eum tanquam Regem Romanorum & Imperatorem electum honorent, atque eidem obediant. Quod autem ſpectat ad jusjurandum forte contrarium, quo ſe cuiquam alii obſtrinxiſſent, promittit, ſe & ipſorum famæ & conſcientiæ eſſe conſulturum.

Sæcul. XIII. A. C. 1201.

ep. 32.

ep. 33.

§. XXXIII.

Quæ in cauſa Ingeburgis ſecuta ſint.

In Francia, elapſis ſex menſibus, ab Octaviano Legato ad cauſam matrimonii Philippi Regis cum Ingeburge Principe Daniæ definiendam præſtitutis, Concilium Sueſſione in medio Quadra-

to. 11. *Conc. p.* 22.

Sæcul. XIII A. C. 1201.

gesimæ seu mensis Martii, in cujus diem vigesimam quintam hoc anno millesimo ducentesimo primo Festum Paschæ incidebat, celebratum. Adfuit Rex cum Regni sui Episcopis & Principibus, atque etiam Regina Ingeburgis, quam non nulli Episcopi ac viri spectabiles, ab ejus fratre, Canuto Rege Daniæ, missi, comitabantur. Hi petierunt a Rege securitatem, ut pro Reginæ causa dicere possent, tumque ad sua reverti. Quod cum ipsis fuisset promissum, de causa agi cœptum, postulavitque Rex, inter se & sponsam suam divortium fieri, affirmans, tam arcta ambos affinitate junctos, ut sibi cum ea commercio conjugali vacare non liceret. Responderunt Dani: *Scimus, Legatos tuos in conspectum Regis, Domini nostri, deductos, exposuisse, quam ardenti desiderio captus egregiam de stirpe regia puellam, sororem ejus, in uxorem tibi accipere cuperes. Impetrato consensu, Legati in animas suas & in animam tuam juraverunt, quod Regiam Principem, ut primum Ditiones tuas attingeret, ducturus esses, solemni ritu coronari jussurus, ac, quoad ambobus luce frui daretur, tanquam uxorem & Reginam habiturus. Idipsum pollicitus es Regi Daniæ, data Epistola, quæ in manibus nostris est; habemus etiam Epistolas Opti-*

Rigord. p. 44
Rog. p. 813.
Auct. Aquicinct.
Gest. Innoc. n. 55.

Optimatuu Regni tui, eodem jura- Sæcul.XIII.
mento se obligantium. Quia igitur A.C.1201.
Reginæ haud sane eum animum affectumque, quem ipsi promiserant, nec etiam eum cultum exhibuisti, nos perjurii omnes Optimates tuos accusamus, coram Papa, ad quem etiam ab hoc Judice, Domino Octaviano, quod nobis suspectus sit, cum dicat, se tibi sanguine propinquum, & partium studio manifeste ducatur, appellamus. Ingeburgis Regina adjecit, se quoque ad Papam appellare.

Tunc vero Octavianus ad Legatos Regis Daniæ: *Expectate adventum Collegæ mei, Joannis Cardinalis S. Pauli, propediem adfuturi, &, quod ipse judicaverit, recipite.* Sed Dani dicentes, a se ad altiorem Judicem appellatum, recesserunt. Vix triduum effluxerat, cum Joannes de S. Paulo Sueſſionem pervenit. In eo, quondam Ordinis S. Benedicti Monacho, spectatæ probitatis, Papa maximam spem posuerat. Ubi ad Regem admissus est, oblata dona repulit, sed mox alterum celebravit Conventum. Pro Rege complures oratores dicebant; nemo autem præsto erat, qui causam Reginæ tueretur, cum ecce! quidam pauper Clericus in medium procedens, cum licentia Regis & Cardinalium, tam concinne, tam docte

Sæcul. XIII. A C. 1201.

pro Regina peroravit, ut cunctos audientes in admirationem raperet. Jamque Joannes Cardinalis S. Pauli, quia nullum suppetebat argumentum, quod divortium suaderet, sententiam contra Regem ad confirmandum matrimonium pronunciaturus erat; sed Rex ab amicis monitus, accepta Ingeburge, nemine salutato, summo mane itineri se dedit, missisque ad Episcopos nunciis, significari jussit, credere se eam uxorem suam esse, nec petere separari. Cardinales & Episcopi obstupescentes discedunt, sicque solutum est Concilium. Ceterum Rex Ingeburgem, Arci Stampensi inclusam, vel ipsam inde exire, vel quoscunque, nisi raro, ad eam invisere vetuit. Alimenta autem congrua suppeditabat. Papa afflictam tum per literas tum per transmissos Nuncios consolabatur, datisque ad Regem frequentibus Epistolis hortabatur, ut Regiam Principem cultu, quo digna erat, prosequeretur.

§. XXXIV.

Ordo Vallis Scholasticorum.

Labbe bibl. to. 1. p. 391.

Lutetiæ Parisiorum quatuor celebres Theologiæ Professores degebant, Guilielmus, Richardus, Eberhardus, & Manasses, viri non minus virtutibus quam doctrina clari. Quadam die, cum de

de prœmiis & pœnis æternis colloquerentur, Guilielmus ait: *Propbetiam Ezechielis ſtudioſe legenti ter objecta eſt mihi arbor procera, pulcherrima & nitidiſſima, cujus rami orbem terrarum ornare videbantur.* Mox ceteris tribus ſociis reſpondentibus, ſibi quoque ſimilis arboris ſpeciem fuiſſe aliquoties oblatam, poſtquam de hac re cum aliis Doctoribus deliberaſſent, vocari ſe ad inſtituendum novum virorum Religioſorum Ordinem crediderunt. Ergo, cum omnia relinquere, & in ſolitudine, quam fors obtuliſſet, deliteſcere ſtatuiſſent, iter arripiunt anno milleſimo ducenteſimo primo, & in finibus Campaniæ Burgundiæque ad vallem profundam ac incultam, præaltis rupibus clauſam perveniunt, ibique aquæ fontem, quem nemo hactenus notaverat, conſpiciunt. Sæcul.XIII. A.C.1201. *Alberic.*

Tum Guilielmum *de Joinville*, illa tempeſtate Epiſcopum Lingonenſem, & poſtea Archiepiſcopum Remenſem, adeuntes rogant, ut ipſis partem illius Vallis, quia ad ditionem ipſius Eccleſiæ pertinebat, eleemoſynæ loco concederet. Qua licentia ab Epiſcopo impetrata, tenues Cellulas conſtruxerunt, & Regulam S. Auguſtini ad morem Monaſterii S. Victoris Pariſiis ſervare cœperunt. Annis exinde quatuordecim Fridericus, Juris Canonici Doctor, & Archidiaconus *de* *Alberic. an.* 1215.

Chalons

Sæcul. XIII. A. C. 1201.

Chalons, ejusdem urbis Episcopus electus, rejecta Dignitate, quatuor his Doctoribus socium se adjunxit. Eodem anno millesimo ducentesimo decimo quinto mense Septembri, Episcopus Lingonensis novum Institutum confirmavit, obtinuitque, ut idem post triennium Honorius Papa ratum haberet. Primis quinque Doctoribus, antequam ultimum diem oppeterent, triginta septem Scholasticos hanc Regulam amplexos videre datum est. Hæc fuit origo Congregationis Canonicorum Regularium, quæ *de Valle Scholasticorum* dicta est.

§. XXXV.

Evraudus Hæreticus Niverni.

to. II. *Conc. p.* 24. *ex Chron. Rob. Antiss.*

Anno a partu Virginis millesimo ducentesimo primo Octavianus Legatus Concilium Parisiis celebravit, in causa viri Equestris, nomine Evraudi, quem Comes Nivernensis terræ suæ præfecerat. Erat vero in rebus Sæculi versutus admodum, & oppresso populo omnibus invisus. Is igitur apud Legatum arguitur Hæresis Bulgarorum, ita enim Manichæi appellabantur, unde injuria nostræ linquæ orta est tam infamis, ut nulla magis (*). Legatus Evraudo diem præstituit,

(*) Quid hic Fleurius dicere velit non satis liquet.

tuit, qua objecta publice dilueret, ac eum in finem Concilium convocat Parisiis, cui Archiepiscopi, Regni hujus Episcopi, & Doctores Parisienses interfuerunt. Sistitur Evraudus, prodeunt testes, complura argumenta ex variis Scriptis adducuntur, maximeque Hugone Episcopo Antisiodorensi contra eum insistente, Hæreticus esse convincitur. Judicio finito potestati sæculari traditur. Attamen prius Comiti Nivernensi redditus est, ut ille administrationis rationem exigere posset. Tum Nivernum reductus, spectante & lætitiam profitente populo, flammis exuritur. Erat Evraudo nepos, Guilielmus nomine, Canonicus Nivernensis, eadem Hæresi infectus, qui intelligens, propinquo suo damnato, se amplius latere non posse, ad provinciam Narbonensem divertit, ubi Hæreticis carissimus maximoque honore cultus fuit, tum quod excellens ingenium a natura accepisset, tum quod scientias se in Francia, id est, in omnium scientiarum purissimo fonte, hausisse jactaret. Ceterum, mutato nomine, Theodoricus dici volebat.

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

Petr. Hist. Albig.

§. XXXVI.

Guido Paræus Coloniæ.

Octavianus Legatus eodem anno Trecas in Campaniam profectus est, quo

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

quo etiam paulo post Episcopus Prænestinus, Papæ in Germania Legatus, se contulit. Is appellabatur Guido Paræus, natione Francus, olim Monachus & deinde Abbas Cistercienſis, ab Innocentio Papa Cardinalis Episcopus Prænestinus anno millesimo centesimo nonagesimo octavo creatus. Postquam accepta mandata Octaviano communicavit, ambo statuerunt; præmittendum esse Philippum Papæ Notarium & Ægydium ejus Acolythum, ut Regi Ottoni colloquerentur, ac ad convocandos Imperii Principes dies certus & locus præstituerentur. Hi duo Delegati Philippus & Ægydius Ottonis juramentum, quo se Pontifici devinciebat, Novesii in Diœcesi Colonienſi die octava Junii anno millesimo ducentesimo primo receperunt. Promittebat Otto Pontificis præsidium, ad patrimonium Ecclesiæ Romanæ, præsertim Siciliam conservandam.

De negot. ep. 51. Ital. Sæc. to. 1. p. 230.

ep. 77.

Guidonem S. Sedis Nuncium ad se venire rogatum Rex Otto Aquisgrani magno lætitiæ sensu excepit. Tum ambo Coloniam divertentes, ad Festum S. Petri, videlicet sub finem mensis Julii, non nullos Principes ibi habuerunt, qui præfixa die advenerant. Sed ad aliquos mandata Legati non pervenerant, alii iis acceptis parere noluerant, alii ne ea ad se deferri possent, urbes & ædes clauserant,

Annal. Godef. 1201.

ferant, ut Archiepiscopus Moguntinus Liupoldus, atque Episcopi Spirensis ac Wormatiensis, alii nuncios, ad se missos, suspensos strangulari jusserant. Ubi igitur Legatus Coloniæ fuit, illis Principibus, qui præsto erant, convocatis, Papæ Epistolas ostendit, quibus Ottonem Regem recipiebat, ejusque approbabat Electionem. Tum auctoritate Sacræ Sedis eumdem Regem Romanorum publice promulgavit, omnes illos, qui obsistere præsumerent, inprimis Philippum Sueviæ ejusque Fautores excommunicans. Hæc Declaratio omnium in eo Conventu præsentium applausu excepta est; atque Legatus, ut coronam in Ottonis fronte stabiliret, alium Conventum Corbejæ in Saxonia celebrandum indixit. Guidonem Coloniæ commorantem adiit Sigefridus, electus Archiepiscopus Moguntinus, quem Presbyterum ordinavit, & deinde consecravit Episcopum. Tumque Sigefridus, acceptis a Legato & ab Ottone Rege literis commendatitiis, Romam profectus est, ubi ei Papa, confirmata electione, Pallium concessit. Sæcul. XIII. A. C. 1201.

Præterea illo tempore, quo Coloniæ versabatur, Guido Paræus Legatus præcepit, ut, cum in Missa Hostia elevatur, omnis populus in Ecclesia, audito crepitaculi strepitu, prosterneretur, Misericordiam *Cesar. Miræ. dist. IX. c. 51.*

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

cordiam Dei implorans, usque dum consecratio Calicis esset peracta. Rursus ipse jussit, ut, cum Sacramentum ad infirmos deferretur, pulsator vel juvenis Clericus Sacerdotem præcedens tintinabulum concuteret, quo populus in plateis & in ædibus, JEsum Christum adorare moneretur. Hæc utriusque piæ consuetudinis origo est.

Chapeaville to. 2. p. 199.

Idem Guido Legatus, cum Leodii versaretur, Constitutionem edidit a Canonicis servandam, præcipue ut eos e monasteriis suis non egredi, sed Officiis divinis assidue vacare compelleret. Inter alia statuit; Canonici extra Dormitorium commune sine licentia Decani nunquam dormiant. In Refectorio simul omnes manducent. Beneficiis suis priventur Clerici, Ordinibus sacris insigniti, qui post trinam admonitionem pellices, quas domi sustentant, non ejecerint. Hujusmodi autem mulieres expulsas quilibet utpote excommunicationis fulmine tactas devitet. Omnes libri, qui de Scriptura sacra agunt, vel Francorum vel Germanorum lingua scripti, tradantur Episcopis, qui eos illis, quibus visum fuerit, reddent. Hæc Statuta anno millesimo ducentesimo secundo consentiente Episcopo Leodiensi, Hugone *de Pierrepont*, & Capitulo, condita sunt.

§. XXXVII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1201.

§. XXXVIII.

Querelæ Germanorum ad Papam datæ.

Principes Philippo Sueviæ addicti contra Legati acta querelas ad Papam detulerunt, data Epistola, cui nomina duorum Archiepiscoporum Magdeburgensis & Bremensis, Episcoporum undecim, trium Abbatum, Regis Bohemiæ, & aliorum duodecim Principum apposita leguntur. *Capere non valemus*, inquiunt, *quo fato Justitiæ pernicies ex illo loco emergat, qui hucusque ejusdem firmissimum extitit præsidium, ex urbe Roma, ubi ex divino Instituto Religionis Caput invenitur* (*). *Quare nec eo adduci* *de neg. Imp. ep. 61.*

(*) Wollte GOtt! es hätten die protestantischen Fürsten in Deutschland die Mäßigung und Gesinnung dieser deutschen Fürsten, die zur Zeit der Spaltung zwischen den Kayserm Philipp und Otten gelebet, auch zu Luthers Zeit beybehalten! so würden sie einer Seits nichts von ihren Rechten vergeben haben, und anderer Seits bey dem Glauben ihrer Väter geblieben seyn; daß nämlich nur in der römischen Kirche das sichtbare Haupt der wahren Religion aus göttlicher Einsetzung zu finden sey. Weil ohne dieses Mittel keine allgemeine Kirchengemeinschaft, keine Einigkeit, keine Gewißheit in der Glaubenslehre bestehen kann.

Sæcul. XIII. A. C. 1201. *adduci possumus, ut credamus, Episcopum Prænestinum, qui Legatum tuum se jactat,*

Wir lesen in den öffentlichen historischen Nachrichten dieses Jahres 1762. daß Peter der Dritte, ein gebohrner Herzog von Hollstein Gottorp, in der protestantischen Religion gebohren und, nach dem Hintritte der Kayserinn Elisabeth Kayser in Rußland, durch eine plötzliche Staatsveränderung sey vom Throne verstossen, und Catharina die Zweyte, seine Ehegemahlinn, eine Prinzeßinn von Anhalt Zerbst, darauf erhoben worden. In dem Manifest dieser Prinzeßinn, womit sie den Anfang ihrer Regierung der Welt bekannt machet, wird erstlich als eine Haupturſache dieses so wichtigen Vorgangs angeführet, daß unter voriger ob wohl sehr kurtzen Regierung die Griechisch-Russische Religion in die äusserste Gefahr gerathen sey.

Nun ist hier, um den Unterschied der wahren römisch katholischen und der protestantischen Religion recht einzusehen, nothwendig anzumerken, daß, als Peter der III. damals Herzog zu Hollstein im Jahre 1742. die Griechische Religion in Rußland angenommen, niemand protestantischer Seits gesagt oder geschrieben habe; dieser Prinz sey darum aus ihrer Kirche excommuniciret, und ausgeschlossen, oder er sey aus der wahren Kirche ausgetretten, und habe sich zu einer irrglaubigen gewendet. Ja der Herzog selbst und seine Gewissensräthe müssen doch gemeynet haben, es sey etwas zur Seligkeit Gleichgültiges Lutherisch

oder

jactat, tuo jussu & consensu Cardina- Sæcul. XIII.
lium egisse, quæ ad Electionem Regis A. C. 1201.
Rr 2 *Roma-*

oder Russisch zu glauben. Es ist aber jedermann bekannt, wie ungemein weit die Lehre der Russischen Kirche von der Lehre der Protestantischen in Deutschland entfernet sey. Wo ist also bey den Herren Protestanten die Gemeinschaft und Einigkeit ihrer Kirche? In der Römischen allgemeinen Kirche, wenn jemand in allen Theilen der Welt, er sey gleich ein König oder ein Burger, sich zu einer andern Kirche wendet, so wird er ordentlich von der Gemeinschaft ausgeschlossen, und für keinen Rechtglaubigen mehr angesehen. So wird die Einigkeit erhalten. Es folget über dieses aus dem Mangel der Einigkeit in den Kirchen der Protestanten noch ein grössers Uebel, nämlich die Ungewißheit im Glauben. Wir wollen die Prüfung dieses Satzes durch die Begebenheit des verstossenen Russischen Kayserś beleuchten. Dieser Herr war gewiß nicht aufrichtig Griechisch-Russischer Religion, denn das ist die Ursache seines Falls. Er ist aber auch nicht aufrichtig Lutherisch, und noch weniger die protestantischen Stände und Räthe im Hollsteinischen, die es diesem damal jungen Herrn gerathen, daß er vor GOtt und der Welt mit einem Eide bekenne, er sey nun nicht mehr der lutherischen Confeßion, sondern dem Griechischen Glauben zugethan; denn dieses Bekenntniß ist mit der Redlichkeit eines guten Christen und eines aufrichtigen Protestantens einmal nicht vereinbarlich.

Woraus

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

Romanorum spectantia egit. Inauditum est enim tantæ audaciæ exemplum! in quibus Annalibus legisti, Antecessores tuos vel eorum Legatos se se in negotium Electionis Regis Romanorum, sive ut Electores, sive ut Judices de valore, intrusisse? Olim Papæ electio absque Imperatoris auctoritate peragi non poterat; sed Principum Pietas in gratiam Ecclesiæ jure suo cessit, quod liquet ex Constitutione Henrici I. in hæc verba: Omnibus Legatis nostris districte prohibemus, ne, cum Papa eligendus est, ullum impedimentum ponant. Cum igitur Principes Laici, lenes & simplices, jus suum acquisitum Ecclesiæ condonaverint, quis non obstupescat, si videat Pontifices, Jus quod nunquam habuerunt, invadere?

Neutiquam perspicimus, quam personam Episcopus Prænestinus in hac causa sustí-

---

Woraus erhellet, daß solche Christen, die sich nicht an den unbeweglichen Felsen der Römischen Einigkeit halten, sich eine Zügel- lose Art von ihrer eigenen Religion zu gedenken angewöhnen, und sich endlich auf gar keine steifen. Solche Beyspiele sind von den protestantischen Fürsten und Fürstinnen mehr, von den Katholischen aber, welches der gerechte GOtt auch inskünftig abwenden wolle, keine in den Kirchengeschichten anzutreffen.

sustinere potuerit. Si enim Elector esse voluit, quare occasionem rem gerendi, cum Judices abessent, arripuit? Quare majorem & sua Dignitate spectabiliorem partem Principum præteriit & contemsit? si Judicem agere voluit, nullo jure id fecit, quandoquidem si in electione Regis Romanorum suffragia dividuntur, nemini in orbe terrarum hujus litis Judicium competit, sed solis Principibus Electoribus Jus est, pacis modum & conditiones definire. JEsus Christus utriusque potestatis munera distinxit; nam qui Deo servit, non implicetur negotiis sæcularibus, & qui Reipublicæ præsunt, de rebus divinis non decernant. Si Judicis munere te fungi affirmas, respondemus tibi secundum regulam a te ipso receptam, sententiam, una parte absente latam, nullius esse roboris. Itaque tibi indicimus, nos communi consensu Serenissimo Domino Philippo suffragia nostra dedisse, ac Regem Romanorum elegisse, sincere promittentem, quod tibi obedientiam semper esset exhibiturus, & Deo, tibique filiali affectu & suo præsidio addictus futurus. Hinc petimus, ut ei suo tempore & loco, ut debes, coronam Imperii imponas.

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

2. Tim. II. 4.

S. Henrici Imperatoris Constitutio, quæ in hac Epistola citatur, Ecclesiæ Romanæ novum Jus non concedit, cum

ap. Baron. an. 1014. to. 9. Conc. p. 813.

Sæcul. XIII. A.C. 1201

verba omnia ex Constitutione Ottonis I. exscripta sint, in qua pariter Legatis Imperatoris prohibetur, ne electioni Pontificis quacunque ratione obsistant. Sed addendo hanc clausulam Imperatores nihil minus intendunt, quam jus confirmandi electionem abjicere; quod cognoscimus ex Epistola S. Petri Damiani annos centum post coronationem Ottonis scripta, in qua dicit; electo Papa negotium suspendi oportere, dum voluntas Regis exploretur. Gregorius vero VII. Papa, Jurium Ecclesiæ Romanæ studiosissimus, consecrari noluit, priusquam de consensu Regis certior factus fuisset.

Sup. Lib. LVIII. §. 46. ap. Bar. an. 962. & tom. 9. Conc. p. 643. Sup. Lib. LVI. §. 1. ep. 20. p. 19. Sup. lib. LX. §. 47. Lambert. an. 1073. p. 191. Sup. Lib. LXII. §. 2.

§. XXXVIII.

Quæ jura sibi esse in Electione Imperatoris Papa affirmet.

Innocentius Papa Principibus Germaniæ respondit, data prolixa Epistola, ex qua celebratissimum Capitulum *Venerabilem* in Decretalibus excerptum est. *Agnoscimus*, inquit, *jus eligendi Regem, Imperatorem futurum, Principibus esse, quibus ex antiqua consuetudine competit; idque eo libentius fatemur, quod hoc Jus a Sacra Sede acceperint, quæ in Persona Caroli Magni Romanum Imperium a Græcis transtulit in*

de neg. Imp. ep. 62. Extra. de Elect. c. 34.

in Germanos. Verum Principes fateri debent, & utique fatentur, poteſtatem nobis eſſe, illum examinandi, qui Rex electus fuerit, cum a nobis conſecretur & Imperator coronetur; univerſalis autem eſt Regula, Perſonæ examen illi competere, qui electo manus imponit. Porro ſi Principes, licet unanimi conſenſu, Sacrilegum, Excommunicatum, inſanum, Hæreticum, Paganum eligerent, quis dicat, nos ad coronandum talem virum obligari? Hic Papa confundere videtur impoſitionem manuum in Sacramento, a ſubſtantia Sacerdotii inſeparabilem, cum Regum Conſecratione, quæ eſt nudus Ritus a Pipino Rege anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo invectus, & a qua ſupremorum Principum Poteſtas nulla ratione pendet. Contra vero Unctio Sacerdotalis conferebatur a Metropolitano, cui, tanquam Electionis Judici, jus erat Electum examinandi. Ita Papa jus examinandi electum Imperatorem ſibi tribuens, electionis Judicem ſe conſtituit. Sæcul. XIII. A.C. 1201. *Sup. Lib. XLIII. §. 1.*

Tum Pontifex Epiſtolam ſuam proſequitur: *Ut igitur a Principibus objecta diluamus, aſſerimus, Legatum noſtrum nec Electoris nec Judicis perſonam in ſe ſuſcepiſſe. Neminem elegit, aut eligi juſſit. Neutrius electionem confirmavit, vel rejecit, ſi Electorum*

Sæcul. XIII. A. C. 1201.

Acta spectentur; sed solum Præconis officio functus est, cum Ducem Philippum Imperio indignum proclamavit, Ottonem autem Regem dignum denunciavit. Ut nihil de eo dicamus, quod complures ex Principibus, jus eligendi habentibus, de Ottone consenserint; Fautores autem Philippi eum ceteris absentibus & contemtis elegerint. Porro certissime constat, contemtu unius Electoris magis vitiari electionem, quam quorumdam dissensu. Ergo suo merito amiserunt jus eligendi, quo abusi sunt. Præterea Dux nec in eo loco, in quo debebat, nec ab Episcopo, cui id competebat, coronatus est. Rex vero Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi coronam accepit. Porro, quod uni Partium, si Principes in electionis causa dividantur, favere possimus, & Jure, & exemplo demonstramus. Quippe Ecclesia Romana Advocato & Defensore destitui non debet, nec filiorum jurgia nocere possunt Matri; scitis vero ex superiorum temporum commentariis, Papam, cum Principum animi in electione Lotharii & Conradi discordia fuissent turbati, Lotharium coronasse, eique Imperium asseruisse, ac Conradum in ejusdem amicitiam fuisse receptum.

Sup. Lib. LXVIII. §. 22.

Tum Innocentius Papa, sicut in superioribus literis, in querelis contra Ducem

cem Sueviæ diu moratur, & tandem Principes ad eum deferendum & Ottonem recipiendum exhortans Epistolam claudit. Sæcul. XIII. A.C. 1201.

Rex Franciæ quoque Philippus querebatur, quod Innocentius Papa Ottonem tueretur, infensissimum suum inimicum, qui a Majoribus suis inveteratum in gentem Francorum odium accepisset. *Hæc electio*, inquit in sua ad Papam Epistola, *non nobis modo, sed omnibus Regibus Catholicis ignominiæ causa est, ideoque acquiescere non poterimus, nisi Regnum nostrum perditum velimus.* Ut deinde Papæ animum deliniret, promittit, vades se daturum, quod Philippus Sueviæ nihil adversus Ecclesiam Romanam moliturus esset. Rex Franciæ hanc Epistolam Bonifacio Marchioni Montisferratensi deferendam commisit, Papam rogare jusso, ut sibi omnia crederet, quæ præter Epistolam, viva voce Regis nomine adjecturus esset. Papa dato ad Regem responso acta sua defendere conatur, & affirmat, satis fidem sibi ab Ottone datam, quod Franciæ nocere non vellet, & si vellet, in promtu esse auxilia, quibus prohiberetur. Denique hortatur Regem; fœdera & amicitiam cum Ottone iniret, exponens, ita rebus propriis optime consulturum. *ep.* 63. *ep.* 64.

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

§. XXXIX.

Sacri Milites in Francia.

Sup. n. 13. Marchio Montisferratensis rogatus a Principibus Crucigeris, qui eum sibi Ducem delegerant, in Franciam venerat. Sed rerum series ab altiore principio nobis repetenda est. Postquam Comes Campaniæ & Comes Blesensis, ut memoravi, anno millesimo centesimo nonagesimo nono, sacræ militiæ nomen dedissent, Balduinus quoque IX. Comes Flandriæ & Hannoniæ, Brugæ cum Comitissa Maria uxore sua, Comitis Campaniæ sorore, Henrico fratre suo, aliisque illius provinciæ Proceribus ad suscipiendam sacram profectionem voto se adstrinxit. Ceterum ad hæc consilia animum adjecerat Balduinus, quod pertimesceret offensum Regem Philippum Augustum, Dominum suum, nam violata fide, Regi debita, ejus hostibus auxilia præbuerat, & tunc Richardum Regem Angliæ amicum & defensorem suum amiserat. Præterea in Francia ad iter Hierosolymitanum Hugo Comes S. Pauli, Godefridus III. Comes Perchiæ, pluresque alii condixerunt, & postquam sæpius, hoc anno millesimo ducentesimo, Compendii deliberatum, Barones sex Mandatarios nominarunt, quibus liberam potestatem, viam eligendi, & omnia iter

Villhard n. 7. &c. & les Notes.

Guil Brit. VI. Philipp.

iter facientibus neceſſaria comparandi, fecerunt. Sæcul.XIII. A.C.1201.

Mandatarii Venetias petierunt, cum ſcirent, hunc portum in Græciam navigaturis opportuniſſimum, illucque in prima hebdomada Quadrageſimæ, anno milleſimo ducenteſimo primo pervenerunt. Ibi a Duce Henrico Dandolo peramice excepti, cum ipſo ejusque Senatu fœdera inierunt, in hunc modum: Veneti navigia varii generis piis peregrinantibus ſuppeditarent, quibus quatuor millia, quingenti Equites & totidem equi, novem millia Armigerorum, & viginti millia peditum, annonaque ad novem menſes omnibus ſuffectura transveherentur. Præſtitæ operæ mercedem octoginta quinque millia marcarum argenti acciperent. Hæc pacta a populo, in Oratorio S. Marci congregato, approbata Romam miſſa, ut ea Innocentius Papa confirmaret. Qui ſapienti animo proſpiciens, quæ evenire poſſent, reſpondit, ſe transactionem hanc ratam habiturum, ea conditione, ne milites ſacri Chriſtianis nocerent, niſi illi iter Crucigerorum nequiter impedirent, aut alia ratione ad arma ipſis inferenda proficiſcentes compellerent. Et ſi hæc contingerent, Crucigeri tamen non ante invaderent Chriſtianos, quam ſacram Sedem conſuluiſſent. At Veneti pacta hoc modo

Villhard. n. 17. Geſt. Innoc. n. 83.

Sæcul. XIII. A.C. 1201.

modo a Pontifice confirmari noluerunt.

hist. n. 18.

Godefridus Villaharduinus, Mandatariorum ad Venetos princeps, Venetiis in Franciam reversus, Comitem Campaniæ, Dominum suum, Trecis morbo laborantem habuit, ex quo haud diu post circa Festum Pentecostes, hoc anno millesimo ducentesimo primo in diem decimam tertiam mensis Maji incidens, annos natus viginti quinque, extinctus est. Moriens jussit, pecuniam, quam ad suscipiendum iter in Palæstinam collegerat, nulli operi, quam huic Christianorum profectioni, impendi. Ipso elato Principes Crucigeri sacræ militiæ imperium obtulerunt Odoni IV. Duci Burgundiæ & Theobaldo Comiti Barroducensi; quibus onus recusantibus, missis nunciis, Bonifacium II. Marchionem Montisferratensem rogarunt, ut expeditioni Ducem se daret. Consensit ille, venit in Franciam, ac Suessione plurimis Principibus congregatis de manibus Episcopi Suessionensis, Fulconis Neviliacensis, duorumque Ordinis Cisterciensis Abbatum, quos ex patria sua adduxerat, crucem accepit, quam ejus humero in Ecclesia Abbatiæ Dominæ Nostræ affixerunt. Ita imperium expeditionis auspicatus, ad sua rediturus, ut omnia ad iter pararet necessaria, Cistercium divertit,

Alberic. an. 1201.

tit, ubi menſe Septembri ad S. Crucis Feſtum Capitulum Generale celebrabatur. Ibi quoque non nulli Optimates, atque inter alios Walterus II. Epiſcopus Auguſtodunenſis ſacræ militiæ ſe addixerunt. Fulco rebus mortalibus ereptus eſt menſe Majo anno ſequente milleſimo ducenteſimo ſecundo, in parochia ſua Neviliacenſi ad Matronam amnem, ibique terræ mandatus. Sæcul. XIII. A.C. 1201. *Chro. Rob. Antiſſ. an.* 1202.

§. XL.

De ſervanda Dominica.

Fulconis Diſcipulus Euſtachius Abbas Flexienſis*, in Angliam anno milleſimo ducenteſimo primo revectus, per omnes urbes, ut anno ſuperiore, prædicare cœpit, populosque vehementer hortari, ne mercatu diem Dominicam profanarent. Quamdam promulgabat Epiſtolam, quæ de Cœlo allata, Hieroſolymæ ſuper Altare inventa, atque a Patriarcha & quodam Archiepiſcopo, nomine Acaria, accepta dicebatur. Hæc ſcripta erat nomine Dei omnipotentis, cujus verba populum ad pœnitentiam & inprimis ad ſervandam Dominicam exhortantis, & terribiles minas intendentis referebantur. Euſtachius Abbas Eboracum venit, ubi a Godefrido Archiepiſcopo, a Clericis & illius civitatis populo honorifice exceptus, poſtquam præ- *Rog. Hoved. p.* 820. * Flaix

Sæcul. XIII. A. C. 1201.

prædicasset, populo pœnitentiam & absolutionem dedit, quod diem Dominicam & Festa non servassent, ea tamen conditione, si promitterent, se huic præcepto inposterum sancte satisfacturos. Statuebat autem feriandi tempus ab hora nona Sabbati usque ad ortum solis die Lunæ, quo toto intervallo ab omni opere servili ac etiam ab emtione & venditione abstinendum erat, exceptis peregrinorum alimentis. Promiserunt quoque Eboracenses, se de pretio omnium rerum, quas venumdarent, aliquam partem in eleemosynam ad conservandum luminare in Ecclesia & sepulturam pauperum collaturos, ad quas oblationes recipiendas in qualibet Ecclesia Parochiali arcula posita est. At Regi Angliæ & Proceribus hæc Abbatis Eustachii instituta non probabantur, omnesque illos qui novum morem servabant, & maxime, qui nundinas die Dominica abrogaverant, ad Judices Regios citari jusserunt. Erant, qui exempla referebant illorum, quos sanctissimam diem violantes non diu abhinc Deus variis pœnis prodigiose affecisset; sed stetit Regis auctoritas, atque nundinæ, ut mos antiquus ferebat, celebratæ. Illa tempestate non nulli Doctores in Anglia versabantur, prædicantes, mille annos, in Apocalypsi prænunciatos, jam esse elapsos,

Rog. p. 818.

pios, jam Draconem solvendum, & Mundum inauditis calamitatibus opprimendum. Sæcul.XIII. A.C.1201.

§. XLI.

Joachimi Abbatis extrema.

Sub idem tempus fatis functus est in Calabria Joachimus Abbas, quem sua vaticinia celeberrimum effecerunt. Is annos natus ferme septuaginta duos, in *Pietra fitta* prope Cosentiam morbo correptus, animam reddidit, in medio circumstantium trium Abbatum & multorum monachorum, quibus commendavit, ut alter alterum diligeret, sicut JEsus Christus nos dilexisset. Idque sæpius repetiit. Obiit vero die trigesima Martii anno millesimo ducentesimo secundo, in Sabbato ante Dominicam Passionis, ejusque corpus ad suam Abbatiam Floræ delatum. *Suv. Lib. LXXIV. §.27.* *vit ap. Boll. to.18. p.110.* *c. 28.*

Plurima posteritati reliquit scripta, ex quibus sequentia typis edita sunt. Concordia Veteris & Novi Testamenti. In Isaiam, in Jeremiam & aliquot alios Prophetas Commentarii. Commentarius in Apocalypsin. Tractatus, cui Titulus, Psalterium decem chordarum, in quo satis accurate de Mysterio Trinitatis disserit. Sed non ita proprie de altissimo Mysterio loquebatur in Tractatu, qui interiit, contra Petrum Lombardum; nam *ibid. p. 92. n. 15.* *v. Boll. p. 131* *Inf. Lib. LXXVII. §. 46.*

in

Sæcul. XIII. A. C. 1201.

in eo Petrum & Hæreticum & hominem infanientem proclamat.

In Commentariis in Prophetas & in Apocalypſim Joachimus Abbas multa præſagia de Imperatoribus & Regibus Siciliæ inſeruit, iis, quæ deinde evenerunt ſatis conſentanea. Sed ſæpe more dubitantis loquitur, cum dicit: *Forte id fiet*, vel *futurum videtur*, quæ magis hominis conjicientis ſunt, quam Prophetæ, Deum dictis ſuis adſpirantis ſcientis. Hinc Guilielmus Epiſcopus Pariſienſis, qui exinde poſt annos viginti ſcribebat, ubi de dono Intelligentiæ loquitur, ait: *Hoc donum quorumdam intellectui tantam claritatem tribuit, eosque tam perſpicaces efficit, ut a ſpiritu Prophetiæ vix abhorreat; quale Abbati Joachimo datum fuiſſe non nulli crediderunt, qui non ſpiritum Prophetiæ ſed Intelligentiæ acceperat. Si quis ejus Libros de Apocalypſi & Concordia utriusque Teſtamenti penſaverit, ſingulare Intelligentiæ Donum in eo mirabitur.* S. Thomas Aquinas quoque dixit, Joachimum Abbatem quædam vera prædixiſſe, & in quibusdam fuiſſe allucinatum, quod non ſemper ex ſpiritu Prophetiæ, qui non fallitur, ſed ex ingenii humani conjecturis, quod ad veritatem non ſemper penetrat, loqueretur. Ceterum Joachimus Abbas in Calabria Sanctis adſcri-

ap. Boll. p. 135.

de virtut. c. 2 p. 152.

in 4. ſent. diſt. 43. q. 1. art. 3. ad 3.

Boll. init. p. 89.

scriptus honoratur, quamvis Ecclesia Romana ejus cultum necdum solemniter ratum habuerit. Sæcul. XIII. A.C. 1201.

§. XLII.

Proles a Papa legitima pronunciatur.

Maria Meraniæ defuncta duos liberos reliquerat, ex Rege Philippo Augusto genitos, Philippum & Mariam. Timens vero Rex, ne tanquam ex adulterio nati contemnerentur, a Papa petiit, ut legitimos declararet. Papa quod rogabatur concessit, Bulla, die secunda Novembris anno millesimo ducentesimo primo data, in qua dicit: *Sacra Sedes non nunquam gratiam dispensavit filiis illegitimis, etiam ex adulterio natis, quoad effectus spirituales, talesque etiam ad Episcopatum elevari indulsit, tunc maxime, cum id Principes excellentes peterent, qui neminem hominum, nisi Romanum Pontificem, sibi Præpositum confitentur.* Argumenta deinde commemorat, quæ sibi ab oratoribus Regis fuerant exposita, & inter alia bonam fidem, qua se Mariam duxisse affirmabat, postquam ab Ingeburge ex sententia Archiepiscopi Remensis, quam æquitati & justitiæ consentaneam credebat, fuisset separatus. *Sup. n. 24. Append. Epist.* *Inno. III. tr. 1. p. 684.*

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

Hæc Bulla ad omnes Episcopos Franciæ dirigebatur eamque acceptare jubebantur. Atque occurrunt Epistolæ quatuordecim Episcoporum, qui mandata Pontificis non modo recipiunt, sed etiam excommunicationis fulmen iis minantur, qui contrarium affirmare, & duos Principes pro legitimis non habere auderent. Hi autem Præsules fuerunt Petrus Archiepiscopus Senonensis, Odo Episcopus Parisiensis, Garnerius Trecensis, Anselius Meldensis, Guilielmus Nivernensis, Hugo Aurelianensis, & Hugo Antisiodorensis. Tum S. Guilielmus Archiepiscopus Burdegalensis, & Robertus Episcopus Claromontanus. Omnes istæ Epistolæ mense Januario anno millesimo ducentesimo primo, id est secundum nostrum numerandi modum anno millesimo ducentesimo secundo datæ sunt. Quinque alii Episcopi, scilicet Robertus Episcopus Laudunensis, Philippus Belvacensis, Stephanus Noviomensis, Lambertus Teruanensis & Himarus Suessionensis, demum post annos octo, anno millesimo ducentesimo decimo, datis literis suis, consenserunt.

Haud multo post tempore, Guilielmus Dominus Montispessulani, per Archiepiscopum Arelatensem Innocentium Papam rogari petiit, ut filios suos, dimissa uxore, ex amica susceptos, datis literis effice-

efficeret Legitimos, adducens exemplum; quod nuper Papa simile Beneficium Regi Philippo Augusto exhibuisset. At Papa, dato responso, ingens discrimen ostendit. *Regem enim*, inquit, *Archiepiscopus Remensis, sacræ Sedis Legatus, ab Ingeburge Regina separavit; tu vero uxorem tuam propria auctoritate repudiasse diceris, nulla legitima causa, & aliam mulierem introduxisse, contemtis Constitutionibus Ecclesiæ, cujus Censuris te implicuisti; unde haud superest dubitandi locus, quin filii tui adulterini sint. Præterea, quia Rex in temporalibus Superiorem non agnoscit, sine alterius injuria se in hac causa Jurisdictioni nostræ submisit; etsi credere fas sit, ipsum sua potestate hanc dispensationem non quidem tanquam patrem filiis, sed tanquam Principem subditis, concedere potuisse. Contra, tu Præpositos habes, quorum auctoritate illæsa forte non posses, te in hac re Judicio nostro subjicere. Tibi vero ipsi dispensandi potestas in hac causa non est. Hæc sunt argumenta, quibus eo adducti sumus, ut Regi hanc gratiam concederemus; cum persuasum nobis habeamus, nos, si quædam adjuncta concurrant, Jurisdictione temporali uti posse, etiam in locis positis extra Ecclesiæ Patrimonium, ubi tam circa spiri-*

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

Lib. 5. epist. 128. C. Per venerab. 13. extra. Qui fil. sint Legit. Preuv. lib. Gall. c. 7. n. 3.

Sæcul. XIII. A. C. 1202.

tualia quam temporalia ſuprema poteſtate gaudemus.

Ad illud, quod intendit, probandum Pontifex affert locum Deuteronomii, in quo dicitur; ſi difficile & ambiguum fuerit Judicium, ac opiniones Judicum in civitate variæ, aſcendendum eſſe ad locum, quem Deus elegerit, accedendum ad Sacerdotes, & ad ſupremum populi Judicem, cujus ſententiæ, ſub pœna mortis, acquieſcendum. Dicit porro Innocentius, per locum a Deo electum Romam, per Sacerdotes Cardinales, & per ſupremum Judicem Papam deſignari, & exinde infert, omnes quæſtiones difficiles, ſive cauſam criminis, ſive civilem, ſive Eccleſiaſtica, ſive profana ſpectent, ad ſuum Tribunal eſſe deferendas, ipſiusque ſententiam, ſub pœna Excommunicationis, eſſe implendam. In fine Epiſtolæ Papa gratiam a Domino urbis Montispeſſulani petitam concedere in aliud tempus differt.

Deut. 17. 8.

v. gloſſ. ad cap. Perven. verb. medium.

Ut vero hanc explicationem loci ex Deuteronomio prætereamus, nihilominus in hac celebratiſſima Epiſtola Decretali complura notatu digna occurrunt. Inprimis, non obſtantibus opinionibus Gregorii VII. plus juſto ſibi tribuentis, Innocentius III. fatetur, Regem Franciæ in temporalibus neminem ſupra ſe agnoſcere, atque ipſum, ut Principem ſu-

v. P. de Marca 2. concord. c. 3. n. 5.

Sup. Lib. LXXIII. §. 11.

Gregor. lib. VIII. ep. 23.

pre-

premum, pronunciare potuisse, filios suos pro legitimis esse habendos. Tandem Regem propria voluntate in hac causa se potestati sacræ Sedis subjecisse. Postea Innocentius Papa fatetur, & diserte distinguit utramque Potestatem, cum dicit: *Nolumus detrahere Juri alterius, aut Potestatem nobis non debitam usurpare; non enim ignoramus, JEsum Christum in Evangelio respondisse; reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ sunt Dei Deo. Quare cum hæreditatem inter duos fratres dividere rogatus fuisset, dixit: Quis me constituit Judicem super vos?* Sæcul. XIII. A.C. 1202. Matt. 22. 21. Luc. 12. 14.

§. XLIII.

Causa Reginæ Ingeburgis.

Interim causa matrimonii Regis Philippi & Ingeburgis necdum finita, Rex Decanum Aurelianensem, & thesauro Præfectum S. Frambaldi Silvanecti misit, suo nomine apud Papam conquesturos, quod se majore rigore haberet, quam alios Principes, quibus in simili causa indulsisset, ipsorum negotia in loco ipso ab Episcopis Regni sui discuti; nec eorum sententiam a sacra Sede fuisse retractatam. Contra Papa dicebat; grato animo oportere esse Regem, quod sacra Sedes Censuris peperciisset, nec Regem nec Mariam Concubinam ejus, nec Innoc. lib. 5. ep. 49.

Sæcul. XIII. A. C. 1202.

consanguineum ipsius Archiepiscopum Remensem, quo auctore se Rex ab Ingeburgi consortio separasset, ulla sententia damnasset, sed magna moderatione nihil aliud egisset, quam quod, reis sæpe frustra monitis, Franciam Interdicto subjecisset. Ad causam vero definiendam promisit, se missurum duos Mandatarios, qui Partes in ipsis locis, nempe Stampis, ubi Regina tenebatur, audirent, producendos utrinque testes examinarent, etiam in Daniam sumtibus sacræ Sedis proficiscerentur, testes a Canuto Rege nominatos recepturi, & ejus argumenta, quibus causam fororis defenderet, adnotaturi; tum in Franciam redirent, & decretorie judicarent, si Regina consentiret. Si ista non placerent, causa omnibus actis præparata & instructa Romam deferretur, a Papa decidenda, ea si Rex vellet conditione, ut sententia, priusquam promulgaretur, secreto mitteretur in Franciam. Simul Papa, datis literis, Guilielmum Campaniæ, Cardinalem & Archiepiscopum Remensem, exhortari jussit Regem, ne quidquam a se peteret, quod Justitiæ regulis & suæ conscientiæ adversaretur. Hæc Epistola quinta Julii anno millesimo ducentesimo secundo data.

§. XLIV.

Sæcul. XIII. A. C. 1202.

§. XLIV.

Guilielmi Archiepiscopi Remensis obitus.

Sed his Archiepiscopus haud plus duobus mensibus superstes fuit. Nam cum Laudunum veniisset, apoplexia subito ictus, nulla amplius voce edita, nulloque condito Testamento, die septima Septembris, eodem anno millesimo ducentesimo secundo, Pontificatus sui vigesimo sexto, exanimatur. Eum primis post susceptum Episcopatum annis modestia commendabat, sed exinde cupiditas oblata sibi dona cumulandi, & luxus anteactæ vitæ famam corruperunt. Guilielmo mortuo Sedes Remensis annos duos tum ob Canonicorum Cathedralium dissensionem, tum ob Præsulatum ambientium machinationes vacavit. Quibusdam Philippum Drocensem Episcopum Belvacensem eligentibus Theobaldus Perchiæ, Archidiaconus Remensis, objecit; hujus viri vitam militis & incendiarii quam Sacerdotis esse similiorem. Nempe ille est, quem armatum & dimicantem ab Anglis captum fuisse anno millesimo centesimo nonagesimo sexto memoravimus.

Chro. Antis. an. 1202. Alberic. eod. Marlot. III. c. 17.

Chro. Laud. ap. Gall. Chro. p. 520.

Ep. Inn. III. ibid. & Ital. Sac. to. 1. p. 232.

Re ad Innocentium Papam delata, is postulationeEpiscopi Belvacensis rejecta,

Suv. Lib. LXXIV.

 §. 60.

Sæcul. XIII. A.C. 1202. Capitulo Remensi alium eligendi potestatem fecit, dicens, magna indulgentia se hos Canonicos habere, quod, cum jure suo abusi essent, id ad hunc actum omnino amisissent. Ergo Canonicis Remensibus præcepit; intra mensem Archiepiscopum eligerent. Si mandata exequi neglexissent, Episcopo Antisiodorensi, Abbati Perseniacensi, & cuidam Canonico Noviomensi commisit; ipsi huic Ecclesiæ Archiepiscopum darent, & a suis Suffraganeis consecrari curarent. Canonici Remenses, acceptis Papæ mandatis, congregati, rursus in partes abierunt, his Balduino Præposito, aliis magno Archidiacono Perchiensi suffragantibus, & quia Papæ Mandatariis subjici recusabant, iterum Romam itum, & Actio nova mota, Ecclesia Remensi interim Pastore destituta.

§. XLV.

Hæretici in Urbe Charitate.

Sup. n. 7. Necdum extirpari potuerant Hæretici in Diœcesi Antisiodorensi, etsi Concilium Senonense anno millesimo centesimo nonagesimo octavo in eos severissime inquisivisset. Quidam cives ex urbe Charitate, ab Episcopo, quod in eos Hæresis suspicio caderet, excommunicati, Petrum Capuanum Legatum adierunt, qui cum jurejurando sponderent, quod

Innoc. lib. 5. epist. 35.

quod Ecclesiæ obedire vellent, in Concilio Divionensi ab excommunicatione absolutos, ad Papam misit. Is perlectis, quæ Legatus suus scripserat, data Epistola, Episcopos Augustodunensem & Matisconensem atque Abbatem Cluniacensem, in suis Ecclesiis promulgare jussit; hos Cives esse Catholicos, eosque qui Hæresis Charitatenses accusarent, non audire, nisi forte novam suspicionis & scandali causam posuissent. Sed Episcopus Antisiodorensis eos persequi non desiit, datisque literis Papæ exposuit; quod Charitatenses initio conspectum suum, nempe Episcopi proprii, fugissent, nec etiam ad Concilium Senonense veniissent. Quod in Concilio deinde Divionensi tantum de Excommunicatione, non autem de damnando errore actum fuerit. Quod postea hi Cives injunctam pœnitentiam non impleverint, & cum Hæreticis communicaverint. Tandem petebat, ut Doctrinæ capita, in quibus erraverant, publice profiterentur, & vel errorem damnarent, vel opinionem suam adductis argumentis probarent. Ergo Papa, missis ad S. Guilielmum Archiepiscopum Bituricensem, Episcopum Nivernensem & Abbatem Cluniacensem, mandatis, jussit, ut juramentum Civium Hæresim publice abjurantium reciperent, vel contra

Sæcul. XIII. A. C. 1202.

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

eos argumenta Episcopi Antisiodorensis audirent. Si Cives erroris convincerentur, eos secundo excommunicationis sententiæ subjicerent, & Principem ad pœnas a reis exigendas suo hortatu excitarent. Hæc Bulla die duodecima Maji anno millesimo ducentesimo secundo data.

§. XLVI.

Quæstiones de Eucharistia.

Joannes a bellis manibus Archiepiscopus Lugdunensis, qui certe jam anno millesimo centesimo nonagesimo quinto ad Abbatiam Claravallensem se receperat, ibi vitam sancto fine clausit. Ex suo secessu Innocentium III. Papam consuluit de tribus Quæstionibus, quarum prima erat, quare Ecclesia in Consecratione Calicis hæc verba adjecerit: *Mysterium Fidei.* Secunda, an Aqua vino mixta in Sanguinem JEsu Christi convertatur. Tertia, quid significent preces, quæ pro salute Sanctorum conceptæ videbantur? Respondit Papa, celeberrima edita Decretali, in qua dicit: *Si Canonem Missæ ad examen voces, notabis, quod præter illa Verba: Mysterium Fidei, Sacerdos dicat, JEsum Christum levasse oculos in Cœlum, atque ad Epithetum Novi Testamenti etiam addat vocem: & æterni, quamvis hæc omnia*

V. ep. 121. C. cum Marthæ.

6. de celebr. Miss.

mnia in Evangelio non legamus. Porro Sæcul. XIII.
invenimus, Evangelistas complura Do- A.C. 1202.
mini nostri verba & actiones omisisse, quæ nobis deinde Apostoli in aliis scriptis suis commemorarunt, aut Traditione ad nos transmiserunt. Quale illud est a JEsu Christo dictum, & a S. Paulo relatum, quod beatius sit dare quam accipere, Act. 20.
& quod post Resurrectionem plus quam 1. Cor. 15. 6.
quingentis Discipulis congregatis apparuerit. Ad vocem *Testamenti æterni* Papa adnotat diversitatem antiqui Fœderis, quod solum ad tempus duraturum erat, & Novi, quod in perpetuum conditum est. Tum illos refutat, qui illis vocibus: *Mysterium Fidei*, abutentes, inferebant, Evchariſtiam tantum in Figura Corpus JEsu Christi esse, & ostendit Evchariſtiam simul Figuram esse & Veritatem. Tum sermonem claudit in hunc modum: *Credimus igitur, Apostolos Consecrationis Formam, qualem in Canone legimus, a JEsu Christo didicisse, eamque Apostolorum successores ab ipsis accepisse.*

Ad secundam Quæstionem, an aqua unacum vino in pretiosum Sanguinem convertatur, respondet Papa: *Opiniones Scholasticorum in hac materia diversæ sunt.* Tum postquam retulit opiniones tres, ut probabiles, & quartam, quam rejicit, addit: *Ex his omnibus pro-* Aqua in
babilis- Sanguinem.

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

babilissima videtur sententia asserens, aquam cum vino in Sanguinem mutari, ut inde Sacramenti proprietas magis elucescat. Ideo enim aqua vino miscetur, ut populus JEsu Christo unitus significetur; quia sicut ipse nostram naturam assumsit, ita nos eumdem in hoc Sacramento accipimus, & tam arcte unimur, ut per ipsum cum Patre unum efficiamur. Hæc quæstio annis abhinc ferme quindecim, Clemente III. Romæ sedente, mota fuerat, quod ex Epistola Godefridi Monachi Claravallensis, olim S. Bernardo ab Epistolis, ad Henricum Cardinalem Episcopum Albanensem data cognoscimus.

ad. Baron. an. 1188. n. 27. v. Pag. ibid. n. 12.

Tertia quæstio in eo versabatur; quare in Oratione Secreta Missæ S. Leonis hæc verba mutata fuerint: *Quæsumus, Domine, ut animæ Famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, & ista sint subrogata: *Annue nobis, quæsumus, Domine, ut intercessione B. Gregorii hæc nobis prosit oblatio.* Formulam priorem adhucdum in Sacramentario S. Gregorii legimus; at secunda hodie in Missali Romano in Festo S. Leonis non amplius, sed tantum in Festo S. Gregorii occurrit (*). Ad ipsam

(*) Imo etiam in Missa S. Leonis II. vigesima octava Junii, in Oratione Secreta, eadem verba

ipsam Quæstionem Papa respondet; injuriam nos inferre Martyri, si pro eo oremus, auctore S. Augustino, æqualitatem autem rationis nos cogere, ut idem dicamus de aliis Sanctis, qui precibus nostris non indigerent, cum perfecte Beati essent. Quin potius nobis eorum precibus opus esse. *Itaque dicendum*, inquit, *veterem hanc Formulam votum Fidelium esse, ut Sancti magis magisque in terris honorentur, aut etiam eorum gloria usque ad extremum judicii diem augeatur in Cælis.* Hæc fuere Innocentii Papæ ad tres illas quæstiones Responsa. Sæcul. XIII. A.C. 1202. *Serm.* 159. al. 17. *de verb. Apost.* n. 1.

Sub idem tempus Constantinopoli majoris momenti Quæstio de Evchari-stia discutiebatur, videlicet, an in Communione accipiatur JEsu Christi Corpus incorruptibile, quale post Passionem & Resurrectionem fuit, aut corruptibile, ut ante Passionem erat. Illorum Princeps, qui corruptibile affirmabant, erat quidam Monachus Sicidites, qui hunc errorem, sedente Patriarcha Georgio Xiphilino, spargere cœperat. Xiphilini successor Joannes Camaterus, cum ipsas *Nicet. in Alex. III. n. 3. p. 332.*

verba omnino leguntur, ut bene notat P. Balduinus, nempe ut supra: *Annue nobis, quæsumus Domine, ut intercessione Beati Leonis hæc nobis prosit oblatio. &c.*

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

ipsas radices amputare & Auctorem ea communicare debuisset, ut ejus Sectatores ad silendum compelleret, ipsa ea oppugnandi ratione Hæresi viam aperuit, qua se latius diffunderet; quippe methodum Logicam & argumenta adhibuit, ut Adversarium ratiocinatione vinceret, in Mysterio, quod vim naturæ longe superat, & adscititia artis Dialecticæ opera non indiget. Ita de hac re Nicetas Historiæ Scriptor loquitur & addit: *Dissertationes Catecheticas quoque concinnavit Joannes, in quibus appropinquare Quadragesimam denunciabat, & animos Fidelium ad pœnitentiam præparabat, ac præterea, occasione arrepta, de opinione sua mentionem ingerens, quod hujus disputationis principium fuisset, & quam sententiam ipse teneret, referebat. Sed quæ Adversarii opponebant, silentio premebat, timens, ut existimo, ne eorum responsa diluere haud valeret. Nihilominus vero eos oppugnans dicta affingebat, quæ ipsis nunquam in mentem venerant.* Hæc quæstio plebem in partes scindebat, ac de ea in plateis & foris publicis disceptabatur; unde contemtus nascebatur tremendi Mysterii, in silentio adorandi.

Qui Corpus JEsu Christi in Evchristia incorruptibile defendebant, ajebant, Communionem esse Confessionem

&

& Monumentum, quod Dominus noſter pro nobis mortuus eſſet, & reſurrexiſſet, ſecundum opinionem S. Cyrilli Alexandrini. Quæcunque pars acciperetur, totum illud Corpus accipi, quod S. Thomas tetigiſſet. Corpus Chriſti manducari, utique reſuſcitatum, ſecundum Doctrinam illam S. Chryſoſtomi: *Quantum prodigium! qui ſedet ad dexteram Patris, in manibus verſatur peccatoris!* Eutychium autem Patriarcham Conſtantinopolitanum dixiſſe; quamquam Fideles unam tantum partem Sacri Corporis & pretioſi Sanguinis accipiant, totum tamen accipere, quod indiviſum diſtribueretur, eo modo, quo ſigillum idem in ſe maneret, poſtquam plurimas imagines omnino ſimiles impreſſiſſet, & ſicut vox una eſſet, etſi ad innumeræ multitudinis aures allabatur. Unde Eutychius infert, Corpus JEſu Chriſti in Evchariſtia immortale & incorruptibile, denique tale, quale poſt Reſurrectionem fuiſſet, exiſtere.

Sæcul.XIII. A.C.1202.

Evchariſtia.

Adverſæ opinionis Fautores dicebant; Evchariſtiam non eſſe teſtimonium & monumentum Reſurrectionis, ſed ſolummodo Sacrificium; unde ſequeretur, Corpus eſſe corruptibile & inanimatum, Communicantes autem non integrum JEſu Chriſti Corpus accipere, ſed tantum illam partem, quæ ipſis porrigeretur.

Sæcul. XIII. A.C. 1202. p. 334.

tur. *Quoniam*, ajebant, *si esset incorruptibile & animatum nec conspici posset nec tangi, nec dentibus moli.* Hac opinione Resurrectionem negare videbantur, cum affirmarent, corpora post resurrectionem nec figuræ humanæ futura, nec visibilia, nec palpabilia, sed umbris sine corpore errantibus similia. Atque etiam sequebatur; quando Dominus hoster januis clausis intrasset, id non miraculo fuisse factum, sed natura corporis a mortuis excitati. Quin etiam Catholicos criminabantur, quod dicerent, Humanitatem JEsu Christi cum ejus Divinitate confundi, quia naturam ejus humanam incorruptibilem facerent. Nicetas non refert, quis hujus Disputationis exitus fuerit, sed id solum, quod Alexius Imperator Orthodoxis consenserit (*).

§. XLVII.

(*) Ab Hæresi vindicari potuisset istorum Græcorum doctrina, si nihil aliud affirmassent, quam Corpus Christi in Eucharistia sua natura esse corruptibile. Nam certe corpus Christi ante passionem, cum Dominus in ultima Cœna panem consecravit, & Apostolis suis præbuit, corruptibile erat, & idem Corpus post Resurrectionem non natura aliud est, sed Gloria. Verum in eo enormiter errabant illi Hæretici, quod Corpus Christi in Eucharistia non solum sit

Sæcul. XII.
A. C. 1202.

§. XLVII.

Crucigeri Venetiis.

Inter hæc Crucigeri Franci, iter ingressi, circa Festum Pentecostes, quod hoc anno millesimo ducentesimo secundo in diem secundam Junii incidebat, Venetias convenerunt. Adfuit & aliud Crucigerorum Germanorum agmen, Duce Martino Litz, Parisii, Monasterii in Diœcesi Basileensi Ordinis Cistercienſis, Abbate, qui postquam, acceptis Papæ mandatis, bellum sacrum Basileæ, eodem tempore quo Fulco Neviliacensis in Francia, prædicare cœpisset, & validas militum cohortes contraxisset, tempus & locum profectionem exorsuris constituit. Die illa jam propinqua, Cistercium se contulit, præcipuis sui Ordinis Abbatibus valedicturus & Benedictionem ad iter suscipiendum accepturus. Tum, cum Basilea cum militibus suis excessisset, per vallem Tridentinam Veronam pervenerunt, ubique honorifice, inprimis Abbas, a quo ducebantur, excepti. Veronæ magnum numerum aliorum Crucigerorum ex variis Regionibus habuerunt,

Villhard. n. 24.

Gunther. hist. C. P. to. 5 Canis. p. 356.

sua natura & substantia, sed etiam quoad statum & modum existendi corruptibile esse, divisibile, & ne quidem animatum dicerent.

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

runt, quorum societate lætissimi, Venetias petierunt, eo consilio, ut navigiis impositi recta in Ægyptum vela facerent, ne inducias, quas Christiani in Palæstina cum Infidelibus pacti erant, violarent.

Eodem tempore ex Flandria classis solvit sub auspiciis Joannis de Néele, Arcis Brugensis præfecti, qui Comiti Balduino promiserat, se trajecto freto Gaditano Venetias navigaturum; sed pacto non stetit, sicut etiam plures alii tam Flandri quam Franci, qui per aliam, ac polliciti fuerant, viam in terram sanctam tenderunt. Unde discordia inter illos, qui Venetiis erant, nata; nam postquam ipsi partem suam conductæ Venetis mercedis solvissent, non exigua tamen de tota pecuniæ summa pars deerat, & contra Veneti tot naves tantumque annonæ, quantum ex pacto debebant, præstiterant. Ergo aliqui ex Crucigeris dicere: *Vecturæ pretium dedimus, & nihil in nobis deest, quo minus iter arripiamus; si autem operam denegent Veneti, vertamur ad alios.* Opponebant multi haud sane oportere tantum dissolvi exercitum, sed nihil superesse, quam ut cuncti Venetiis quocunque demum pacto naves conscenderent. Vicit ceteros hæc suadentium constantia, præsertim cum eadem mens Comiti Flandriæ,

Villhard. n. 25.

Mar-

Marchioni Montisferratenſi, & Optimatum præcipuis eſſet. Hi ſupellectilem ſuam auream argenteamque & quantum pecuniæ mutuæ a fœneratoribus accipere potuerunt, Venetis obtulerunt, quibus tamen necdum ſufficientibus, triginta quatuor millia marcarum argenti promiſſi deerant. Sæcul. XIII. A. C. 1202.

Tunc vero Dux Venetorum Henricus, videns plus pecuniæ a Crucigeris extorqueri non poſſe, modum expoſuit, quo reliquum debitum expungerent, ſi nempe Venetis ad expugnandam urbem Jaderam in Sclavonia *, a Rege Hungariæ ſibi ereptam, junctis armis auxilia præſtarent. Condixerunt operam Crucigeri, illis, quibus exercitum dividi placebat, nequicquam refragantibus, & ipſe Henricus Dandolus, vir ſenio gravis, infirmus, & oculis captus, facti Ducem ſe dedit, Crucisque ſignum cum multis Venetis humero impoſuit. Ceterum Papa Venetias miſerat Cardinalem Petrum Capuanum, ſacræ Sedis Legatum, atque Suffredum Cardinalem, Titulo S. Praxedis, Crucigeros milites in Terram ſanctam comitaturos, iisque poteſtatem & mandata, quæ poterat, ampliſſima contulerat. Sed Veneti, metuentes, ne Petrus Jaderam urbem aggreſſuris ſe ſe opponeret, dixerunt; ſe eum quidem devecturos, ſi expeditioni

* Dalmatia.

Geſt. Innoc. n. 85.

Lib. V. epiſt. 26. 25.

Sæcul. XIII. A. C. 1202.

ut præco Verbi divini, non autem ut sacræ Sedis Legatus, adesse vellet. Aliud videbatur Francis, sed quia Veneti a sententia dimoveri non poterant, Petrus offensus Romam rediit, eorumque consilia Papæ aperuit, qui datis ad omnes milites sacros literis, districte, addita pœna excommunicationis, Christianorum ditiones invadere vetuit, & inprimis urbem Jaderam, quam Rex Hungariæ & ipse voto sacræ militiæ obstrictus teneret. Id ipsum viva voce Pontifex Marchioni Montisferratensi prohibuerat, qui solerter absentiæ prætextu quæsito, expugnationi Jaderæ urbis non interfuit.

Villhard. n. 35.

Sup. Lib. LXXIV. §. 51.

Gest. Innoc. n. 82.

Mense Septembri appropinquante, cum omnia ad navigationem pararentur, Venetias pervenerunt Legati, missi ab Alexio Angelo juniore, filio Isaaci Imperatoris, quem Alexius frater, de solio pulsum, anno millesimo centesimo nonagesimo quinto, utroque lumine privaverat. Isaacii filius in Italiam evaserat, & Romæ querelas in conspectu Pontificis, Cardinalibus, multisque primarum stirpium viris exposuerat. Dicebat; Alexium, patruum suum, injustum esse Imperii usurpatorem, & crudelitatem qua hodieque Imperatorem, fratrem suum, torqueret, abominabatur. Vindictam a Papa orabat, cum neminem sciret

sciret Pontifice superiorem, ad quem miserrima calamitate pressus posset confugere. Respondit Papa, quæ ad rem videbantur, ac Princeps juvenis destinatum iter prosecutus est, Germaniam petens, ut Regem Philippum Sueviæ, qui Irenem, sororem suam, conjugem acceperat, adiret. Cum Veronam divertisset, comperit, sacros milites Venetiis degere; suaseruntque amici, ut ab eis auxilium peteret. Ergo ipsius Legati ad Marchionem Montisferratensem ceterosque sacræ militiæ Principes se conferunt, qui Nuncios ad Regem Philippum Sueviæ miserunt, exploraturos, an se in expugnatione Terræ sanctæ copiis augere vellet, quod si faceret, promittebant ipsi, quod Alexium in paterno solio Constantinopolitano suis viribus collocare conaturi essent. His mandatis instructi Crucigerorum Principum Nuncii in Germaniam cum juvene Alexio contendunt. Sæcul. XIII. A. C. 1202.

§. XLVIII.

Jadera capta.

Cum Francorum Venetorumque classis e portu Veneto in die octava S. Remigii octava mensis Octobris anno millesimo ducentesimo secundo solvisset, in conspectu urbis Jaderæ in vigilia S. Martini die decima Novembris fuit. Cives *Villehard. n.* 38.

Sæcul. XIII. A. C. 1202.

ad Venetiarum Ducem nuncios mittunt, qui significarent, urbem se Principibus Crucigerorum permissuram. Respondet Dux, se rem ad Principes Francorum delaturum. Interim vero illi, qui dividendi exercitus auctores erant, ad Legatos civitatis dicebant: cur hostium arbitrio vos ipsos deditis? si contra solos Venetos vestra tueri potestis, nihil est, quod a sacris militibus timeatis. Ita Legati ad suos redeunt non expectato responso Ducis Venetorum aut Principum Francorum, qui sponte se dedentes Jaderenses recipiendos in fidem arbitrabantur.

Tunc vero Guido Abbas *des Vaux de Sernai*, Ordinis Cistercienſis, Diœcesis Parisiensis, in medium prodiens, ait: *Principes! in nomine Papæ vobis præcipio, ne hanc urbem aggrediamini. Cives enim Christiani sunt, & vos sub vexillo Christi cruce insigniti militatis.* Tumque Epistolam Pontificis recitavit, in qua Crucigeros Christianorum ditiones infestare vetabat. Nihil propius fuit, quam ut Abbas a Venetis interficeretur; verum Simon Comes Montfortius prosiliens Præsulis præsidium in se suscepit. His non obstantibus Jadera obsessa & a civibus dedita est, ac Venetis consilium suggerentibus totus exercitus ibi hyemavit.

Petr. hist. Albig. c. 19.

At

At Papa, hac expeditione comperta, ad Crucigeros dedit Epistolam, in cujus fronte nec Salutem nec Benedictionem ponens tanquam excommunicatos allo quitur. *Cives Jaderæ*, inquit, *arbitrio nostro se se subjecturos in causa sua cum Venetis pendente promiserant; cum non audirentur, Cruces in murorum suorum ambitu suspenderunt, ut saltem Christi reverentia hostes Christianos arceret. Vos vero, spreto Crucifixo, urbem ad deditionem compulistis, Cardinalem Petrum Legatum nostrum vobis præcepta nostra exponentem, & literas nostras tandem coram vobis publice recitatas rejecistis. Veneti vobis spectantibus infaustæ urbis mœnia everterunt, Ecclesias spoliarunt, ædes diruerunt, vosque cum iis sacrilegam prædam partiti estis.* In fine prohibet, ne Jaderensibus ultimam inferant perniciem, jubetque curare, ut Regi Hungariæ ablata restituantur. Sæcul.XIII. A.C.1202. 5. *ep.* 161. *Gest.n.*86.

§. XLIX.

Pacta cum Alexio juniore inita.

Inter hæc Jaderam perveniunt Regis Philippi Sueviæ, & Alexii Principis Legati, qui in domo Venetorum Ducis ad congregatos Crucigerorum Principes perorarunt in hunc modum: *Rex, Dominus noster, mittit ad vos Principem, uxo-* *Villhard.* n. 45.

Sæcul. XIII. A.C. 1202.

uxoris suæ fratrem, quem Dei & vestræ custodiæ tradit. Quia enim pro Dei honore, & amore Justitiæ profectionem militarem suscepistis, vestrum est, Principes de solio suo ab improbis dejectos, quos potestis restituere. Si huic Principi Imperium Constantinopolitanum, nempe Hæreditatem Patris sui dederitis, illud ipse inprimis ad Communionem Sacræ Romanæ Sedis reducet, a qua jam diu avulsum est. Tum ut sumtus a vobis factos restituat, ducenta millia marcarum argenti solvet, & omnibus copiis vestris commeatus præstabit. Ipse vobiscum in Ægyptum proficiscetur, aut si potius vobis visum fuerit, ad annum unum decem virorum millia, ipsius stipendiis militatura, mittet, & quoad superstes fuerit, quingentis equitibus necessaria suppeditabit, ad Terram sanctam & ultramarinam custodiendam.

His quæ offerebantur auditis, Crucigerorum Principes ad deliberandum secesserunt. Abbas *de Vaux Sernai* & illa factio, cui semper dividendus exercitus videbatur, dicebant nunquam se consensuros; quia si his consiliis daretur locus, bellum Christianis inferendum esset. Non istud plane sibi propositum fuisse cum e patria excessissent, sed præstare in Syriam tendere. Respondebant adversæ partis fautores: *In Syria nihil efficie-*

efficietis, exemplum capietis ab illis, qui nobis relictis illuc contenderunt. Terram sanctam nunquam nisi vires ex Ægypto vel ex Græcia advenerint vindicabimus. Si, quæ hodie fortuna offert, respuimus, posterorum risum & contemtum non effugiemus. Sed nec Abbatibus Cistercienſibus una ſtabat ſententia. Abbas *de Lucé* in Diœceſi Vercellenſi & aliquot alii inſtabant; univerſas vires exercitus eſſe conſervandas, & expoſitas conditiones recipiendas. Contra Abbas *de Vaux Sernai*, ejusque clientes aſſerebant, id non licere, ſed petendam eſſe Syriam. Tandem vicerunt Optimatum præcipui, receptoque fœdere, Alexio Principi favente, ſtatutum, ut intra quatuordecim dies temporis Paſchalis ad Crucigerorum caſtra anno milleſimo ducenteſimo tertio veniret. Literæ, hæc pacta continentes, expeditæ & ſigillis munitæ ſunt, ſed haud plures quam duodecim Principes ad ea implenda juramento ſe adſtrinxerunt, nempe Bonifacius Marchio Montisferratenſis, Balduinus Comes Flandriæ, Ludovicus Comes Bleſenſis, Hugo Comes S. Pauli, præter octo alios. Sæcul.XIII. A.C.1202.

Ubi ad aures Alexii Imperatoris pervenit, nepotem ſuum a Rege Philippo Sueviæ auxilia impetraſſe, ubique hoſtilem Crucigerorum exercitum imminere,

Sæcul. XIII. A. C. 1203.

missis ad Innocentium Papam Legatis cum literis rogavit; Crucigeros ab hoc consilio dimoveret, quod si exequerentur, manus utique suas, non sine gravi Dei injuria, Christianorum sanguine polluturos, & partem virium amissuros, quibus universis ad devincendos Infideles indigerent. His addebat; Alexio juveni nullum jus in Imperium Constantinopolitanum esse, quod lucem aspexisset, antequam ejus parens Isaacius Cæsaream Dignitatem fuisset consecutus. Porro solos pueros in purpura natos, id est, a patre jam imperante, legitime succedere, qui se deficerent, non natalium jure, sed electione dignissimos ad Imperium pervenire. Præter alia rescripsit Papa: *Crucigerorum Principes a Philippo Sueviæ ejusque Leviro solicitati responderunt: se Sacram Sedem consulturos, priusquam tantæ molis negotium aggrederentur, & Cardinalem Petrum S. Marcelli, qui mare cum ipsis trajicere parabat, permoverunt, ut ad nos rediret, ipsosque mentem nostram hac de re edoceret. Is omnia accurate nobis exposuit; postquam vero Legati tui in nostrum conspectum venerint, deliberabimus cum Fratribus nostris, consilium-que, quod tibi displicere haud poterit, capiemus.*

Lib. 5. epist. 122.

Quam-

Quamquam etiam complures affirment, quod votis Crucigerorum benigne acquiescere deberemus, quia haud sane ut par esset Ecclesia Græca Sedi Apostolicæ submissa est. Et post alia: *Post Manuelis glorioſæ memoriæ Principis tempora, non ea plane Imperii Græci in nos sunt merita, ut ei favere & succurrere oporteat, cum Antecessores nostri, nosque ipsi, nihil præter verba inania, nullo sequente effectu, a Græcis acceperimus. Nihilominus in spiritu lenitatis vobiscum agere statuimus, hortamurque, ut inposterum saltem toties promissa impleatis, quemadmodum & nos serio magis quam antebac, quod officii nostri est, facturi sumus.* Hæc Epistola vigesima sexta die Novembris anno millesimo ducentesimo secundo data. Sæcul.XIII. A C 1203.

§. L.

Legatio ad Papam in causa Jaderæ urbis.

Crucigeri vero, Jadera capta, ut Pontificis animum delinirent, ad eum Nevelonem Episcopum Suessionensem, Joannem Noviomensem, Balduini Comitis Cancellarium, Martinum Abbatem Parisinum in Diœcesi Basileensi duosque Equestris ordinis viros miserunt, quibus Bonifacius Marchio Epistolam deferendam *Villhard. n.* 53. *Gunther. p.* 367.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

fors tulisset, a Catholicis sine cæde & sanguine occupari, sed verebatur, ne exercitus Crucigerorum periret, non ignorans, plures esse Constantinopolitanorum naves, ad piscandum emissas, quam in tota Crucigerorum classe numerarentur, si etiam triremium ad bellum vel mercatum comparatarum nulla ratio haberetur. Itaque suadebat Pontifex; recta Crucigeri Alexandriam navigarent, annonam tamen in transitu ex oris Romaniæ (ita cunctæ ditiones Imperii Constantinopolitani dicebantur) acciperent. Martinus Abbas, non statim cum aliis Legatis Collegis suis Jaderam reversus, licentiam a Papa petiit, ad Monasterium suum redeundi. Sed eum Papa editum votum servare & in Terram sanctam proficisci jussit. Ergo Beneventum se contulit, ubi Cardinalem Petrum Capuanum habuit, jam jam navi se commissurum, ut Acriam navigaret.

Id. n. 9.

Gest. Innoc. n. 88.

Nam Papa, præsumens, Milites Crucigeros in Palæstinam navigaturos, illuc misit duos Legatos Soffredum & Petrum Capuanum, qui in Insulam Cyprum divertentes, quæ ibi necessaria videbantur, peregerunt. Prior in portum Acriæ invectus Soffredus ibidem Monachum, Patriarcham Hierosolymitanum, cum morte colluctantem habuit. Cumque post paucos dies animam reddidisset,

nemo

nemo alius Patriarcha novus Hierosolymitanus a Clericis populoque, consentiente Rege, & approbantibus Episcopis Suffraganeis, quam ipse Soffredus electus est. Petrus Capuanus, postquam apud Sipontinos mari se credidisset, portum Acriensem vigesima quinta Aprilis anno millesimo ducentesimo tertio, & cum eo Martinus Abbas attigit. Sæcul.XIII. A.C.1203.

Episcopus Suessionensis aliique Legati Jaderam reduces Francis Crucigeris Papæ Epistolas exhibuerunt, in quibus eos pro peccato in expugnatione hujus urbis commisso satisfacere jubebat, atque omnia, quæ civibus Jaderensibus rapuerant, restituere. Baronibus quoque injunxit; datis literis patentibus nomine suo & Successorum suorum promitterent, se secundum mandata Papæ in hac causa satisfacturos. Quod etiam executi sunt, etenim Chirographum tradiderunt, Jaderæ mense Aprili anno millesimo ducentesimo tertio datum, in quo legebatur, quod, cum excommunicatione innodati fuissent, aut saltem timerent, ne ista censura essent constricti, in se & Successores suos, secundum Sacræ Sedis mandata, onus restituendi suscipiant. Tanta fuit Francorum submissio; at Veneti eo adduci non potuerunt, ut in hac causa absolvi peterent. *Gest. Innoc. n. 87.* Crucigeri. *ap. Rainald. an. 1203. n. 5.*

Franci

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

Franci, quibus perspecta erat Venetorum pertinacia, Pontificem consuluerant, an cum ipsis communicare, an abstinere deberent. Ad quam quæstionem respondit Papa: *Si Veneti absolvi nolunt, damus vobis licentiam cum ipsis itinere maritimo usque ad ditiones Saracenorum, vel usque ad provinciam Hierosolymitanam, prout iter vos convenerit, proficiscendi, atque communicandi, sed repugnante animo & spe veniæ impetrandæ. Secus enim, cum a vobis maximam pretii pro vectura condicti partem acceperint, vosque ad eam restituendam ipsos compellere non possitis, vobis Ecclesiastica Pœnitentia damno esset, & ipsis prodesset sua pervicacia. At ubi terram firmam attigeritis, nisi Veneti ab Excommunicatione absoluti fuerint, cum ipsis non dimicabitis, ne vindictam divinam in vos provocent, ut olim Achan in populum Israelis.* Josue 7. *Ne vero commeatus vobis desint, scribemus Imperatori Constantinopolitano & hortabimur, ut quod promisit, efficiat. Porro si nihilominus sustentatio necessaria vobis subtraheretur, quia militatis Jesu Christo, cujus est totus orbis terrarum, a sana ratione abhorrere non videretur, si annonam, ubi ubi denique, urgente necessitate, animo satisfaciendi, & neminii nocendi extorqueretis.* Hæc licen-

licentia conceſſa, qua de rapto vivere poſſent ſacri milites, etiam in regionibus amicorum, eo magis memoratu digna eſt, quod his rapinis Papa auctoritatem ex ſacris paginis conciliare conetur (*). Sæcul. XIII. A.C. 1203.

§. LI.

Sacri milites ad portas urbis Conſtantinopolitanæ.

Inter hæc cum ad notitiam Papæ perveniſſent fœdera, quibus Crucigeri Alexio juniori promiſerant, ſe in ſolium Conſtantinopolitanum ipſum invecturos, Epiſtolam ad eos dedit, cujus ſumma ferme hæc erat: *Nemo ex vobis usque* *Geſt. n. 89. 6. ep. 101. ap. Rainald. n. 13.*

(*) Non accurata eſt hæc Fleurii criſis & reflexio. Nihil adeo ſingulare vel memoratu dignum invenio in iſta licentia, quam Summus Pontifex Crucigeris Militibus competere declarat. Quippe Jure omnium Gentium ſtabilitum eſt, ut ſi annona neceſſaria, oblata pecunia, denegetur, eam vi adhibita extorqueant.

Nec etiam rapinis in terra amicorum auctoritatem Sacræ Scripturæ Innocentius Papa conciliat, ſed tantum dicit, in ſocietate hominum, ob latrocinia excommunicatorum, ſine neceſſitate adverſus hoſtes non eſſe pugnandum, atque exemplum *Achan* ob crimen furti juſſu divino cum tota familia lapidibus obruti adducit.

Sæcul XIII. A. C. 1203.

que adeo sibi blandiatur, ut credat, ideo sibi licere Ditiones Græcorum invadere vel diripere, quod gens ista Sedi Apostolicæ, ut par esset, non obediat, aut quod frater fratri Imperium ademerit.

Quodcunque demum crimen Imperator, ejusve subditi commiserint, vestrum haud est judicium, nec ad hanc injuriam sed opprobrium JEsu Christi vindicandum cum sacra Cruce arma arripuistis.

Hortamur vos igitur, atque districte præcipimus; nolite vos ipsos fallere, nec ab aliis falli vos sinite. Nolite, inquam, falsa pietatis specie decepti facere, quod animabus vestris perniciem allaturum est. Quin potius rejecto simulatæ necessitatis obtentu, in Terram sanctam ite, & ex hostium manibus eripite, quæ forte fratribus vestris furto auferetis, si diutius in Romania versamini. Nisi obtemperatis, nulla vobis spes veniæ superest.

Villehard. n. 55.

Crucigeri Franci Venetique nihilominus destinata executi sunt. Antequam e portu Jaderæ urbis solverent Veneti, muros turresque dejici jusserant, tunc-que præcipuorum Optimatum Francorum aliqui, nempe Simon Comes Montfortius, Guido ejus frater, Simon de *Neaufle*, & non nulli alii cum Abbate Sernacensi*, exercitum reliquerunt. Simon Montfortius, pactis cum Rege Hungariæ

* Vaux-Sernai.

gariæ initis, ad eum divertit. Tum in Apuliam, indeque in Terram ſanctam profectus eſt. Totus vero exercitus ſtatim poſt Paſcha, quod hoc anno milleſimo ducenteſimo tertio, in diem ſextam Aprilis incidebat, ex portu Jaderenſi provectus, tribus hebdomadis in Inſula Corcyra diverſatus eſt, unde, cum vigeſima quarta Maji, in Vigilia Pentecoſtes vela explicaſſet, vigeſima tertia Junii in Vigilia S. Joannis in conſpectu urbis Conſtantinopolis ancoras jecit. Sæcul.XIII. A.C.1203. *Petr. Hiſt. All. c.* 19. *Villhard. n.* 67.

Paucis diebus conſumtis, Alexius Imperator ad Barones Crucigeros quemdam virum nobilem Longobardum, nomine *Nicolo Roſſi*, miſit, qui diceret: *Non ignorat Imperator, vos, poſt Reges coronam gerentes, maximos & ex clariſſima Gente Principes eſſe. Sed miratur, cur in ejus Ditiones pedem intuleritis, cum & ipſe & vos Chriſtiani ſitis. Nam illud quoque compertum habet, quod ad vindicandam Terram ſanctam veneritis. Si quædam vobis neceſſaria ſunt, commeatus & aurum lubenti animo dabit, dummodo ex ejus terris excedatis, nec ulla ratione, etſi poteſtas non deſit, vobis nocebit. Ceterum non eadem vos & Dominus meus æſtimatione mutuas vires metimini, ſcit enim, vos, ſi etiam vicies numero majores adeſſetis, vim Græcorum non poſſe effugere, ſed certiſſime* *n.* 72.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

sime fove, ut vel cæsi vel profligati temeritatis pœnas detis. Tum omnium Baronum nomine Conon Betunensis consurgens dixit: *Neutiquam Domini tui terras contigimus, Imperium alienum usurpantis. En, legitimum Imperii Dominum, Principis tui nepotem, in hoc solio inter nos sedentem. Si Dominus tuus coronam & Imperium, cui debet, reddat, juvenem Principem rogabimus, ut ignoscat propinquo, & census, unde munifice vivat, constituat. Si ad nos redire recusus fueris, aliam conditionem afferens, totum illum diem homo non eris.*

§. LII.

Constantinopolis a Crucigeris capta.

Tum Crucigeri Alexium juvenem populo Constantinopolitano ostendunt, nulloque accepto responso, urbem aggrediuntur & incursu superant. Alexius Imperator fuga se proripit, & Græci Isaacium, fratrem ejus, diu ante excæcatum, e carcere protractum solio imponunt. Quod cum Latinis nunciari jussissent, illi, missis ad Isaacium Imperatorem Legatis, fœdera, cum filio ejus inita, rata haberi petunt, sicque Constantinopolim intrant die Veneris decima octava Julii, Alexium juniorem introducentes,

n. 90.

centes, qui in Festo S. Petri ad vincula prima die Augusti anno millesimo ducentesimo tertio in Ecclesia S. Sophiæ coronatus est, postquam Alexius ejus patruus octo annis mensibus tribus & decem diebus imperasset. Crucigeri Innocentinm Papam omnium, quæ acta fuerant, certiorem fecerunt, data Epistola, in qua dicebant: *Ex quo Jaderam reliquimus, nihil moliti sumus, quod, propitio Deo, non bene vertisset. Unde illi soli tota successus gloria tribuenda. Pactis cum Alexio Isaacii Imperatoris filio conditionibus, cum commeatu & ceteris rebus omnibus in bello necessariis destituueremur, oneri futuri eramus fratribus nostris in Terra sancta, sicut illi, qui adventum nostrum anteverterunt. Præterea non obscuris nitebamur argumentis, ex quibus credere nobis fas erat, majorem Proborum partem Constantinopoli Alexii junioris adventum exoptare. Faverunt nobis venti illo anni tempore, quo navigantibus adversari solent, sicque feliciter & celeriter provecti, supra omnium spem in conspectu Constantinopolitanæ civitatis in ancoris stetimus. Sed eam clausam & arma ad nos repellendos parantem habuimus, quasivero gens Infidelis in Religionis Christianæ exitium adveniisset. Nam Usurpator, vir crudelis, populo ad concionem*

Sæcul.XIII. A.C.1203.

Chr. S. Mar. Antiss. 1203. *n.* 10.

Nicet. p. 352. *Gest. Inn.* 90. 6. *ep.* 211. *Rainald.* 1203. *n.* 14.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

vocato, persuaserat, Latinos adesse, antiquam & a Majoribus acceptam libertatem oppressuros, Imperiumque Græcorum suis Legibus & potestati Romani Episcopi subjecturos. Qua oratione animos nostros & Principem juvenem ita accendit, ut nec sermonem, nec conspectum ferre potuerint. Cumque in mœnibus stantes sæpius alloqueremur, illi tela intorquebant.

Itaque satis intelligentes, eo ventum esse, ut nobis vel vincendum esset, vel moriendum, quia alimenta vix ad dies quindecim sufficitura erant, urbem terra marique obsidione pressam ac die octava expugnatam intravimus. Referunt deinde, fugisse Usurpatorem, Isaacium e vinculis liberatum, coronatum ejus filium, & subjungunt: *Imperator promissis stare incepit, ducenta millia marcarum argenti nobis solvit, ad alendos uno anno Classiarios Venetos se se obligavit, juramento se obstrinxit, quod expeditionem mense Martio nobiscum interfuturus sit, tot copiis, quot contrahere potuerit, cinctus. Promittit, se eam tibi exhibiturum esse obedientiam, quam Imperatores Catholici, Antecessores ipsius, superiorum temporum Pontificibus præstiterunt, & Ecclesiam Orientalem ad Sacræ Sedis sinum reducere omnibus viribus conaturum. Tandem quingentos*

Equi-

Equites in Terra ſancta, quoad victurus eſſet, ſuis ſtipendiis aliturum. Sæcul. XIII. A.C. 1203.

Epiſtolam iſtam iisdem verbis conceptam Ottoni Imperatori, Balduinus Comes Flandriæ, Ludovicus Bleſenſis, Henricus S. Pauli ceterique Crucigeri miſerunt, hiſce in fine additis: *Ut auxiliis quæ offert nobis Dominus utamur, ſtatuimus, hyemem Conſtantinopoli transigere, proximo vere in Ægyptum vela facturi. Nihil autem magis in votis eſt, quam te ſub vexillis Chriſti nobiscum dimicantem conſpicere, vel potius totius exercitus collecti Ducem ſequi. Interim ad Soldanum Babylonis, injuſtum Terræ ſanctæ Uſurpatorem, Legatos miſimus, qui ei nomine JEſu Chriſti, Imperatoris Conſtantinopolitani & noſtro denuncient; nos maxima fiducia ſperare, populos Infideles, ſubditos ejus, brevi experturos, quanto zelo Chriſtianorum gentes Hieroſolymam ſibi vindicandi accendantur.* Soldanus iſte erat *Melic-Adel* Saladini Soldani in Ægypto, Cairi reſidentis, frater.

Græcorum Imperium concuſſum.

Bibl. Orient. p. 745.

Extat etiam Epiſtola Henrici Comitis S. Pauli ad Ducem Lovanienſem data, in qua iisdem adjunctis captam Conſtantinopolim narrat, & in fine adjicit: *Cauſam Redemtoris noſtri ſtrenue egimus. Eccleſia Orientalis, cujus Con-*

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

stantinopolis olim Metropolis fuit, jam Capiti suo, Pontifici Romano, cum Imperatore suo totoque Græcorum Imperio unita, sese filiam Ecclesiæ Romanæ profitetur, eique submisse inposterum obedientiam promittit. Ipse Patriarcha Romam ibit, Pallium a Papa accepturus.

Ap. Godef. mon. an. 1203.

Idipsum promisisse legimus hunc Imperatorem, nempe Alexium juniorem, in Epistola ad Innocentium Papam data, in qua dicit: *Fatemur, eam rem præcipue pie peregrinantes ad ferendum nobis auxilium permovisse, quod libera voluntate & jurejurando promiserimus, nos humili mente Pontificem Romanum, Caput Ecclesiasticum totius Orbis Christiani, ac S. Petri successorem recepturos esse, atque etiam Ecclesiam Orientalem omnibus viribus ad concordiam compulsuros, si Deus sua misericordia ademtam coronam nobis redderet, minime ignari, hanc reconciliationem non minus utilitatis quam gloriæ Imperio nostro allaturam. His literis eadem promissa confirmamus, & consilium tuum ad reducendam Ecclesiam Orientalem petimus. Quæ omnia salutaribus monitis Conradi Episcopi Halberstadiensis, Garnerii Trecensis, Nevelonis Suessionensis, Abbatis de Lucé, & Magistri Joannis Noviomensis impulsi agimus.* Hæc

6 ep. 210. ap. Rainald. n. 17.

Episto-

Epistola Constantinopoli vigesima quinta Augusti data (*). Sæcul. XIII. A.C. 1203.

§. LIII.

Joannicius Rex Bulgarorum ad Papam convertitur.

Haud diu post Alexius Imperator Constantinopoli excessit, Marchione Montisferratensi & Baronum Francorum parte comitantibus, ut a subditis suis in omnibus provinciis reciperetur; & Græci quidem in Asia Europaque ei fidem jurarunt, sed Joannes Rex Bulgarorum & Valachorum Imperium detrectavit. *Villehard. n.* 105.

Quippe Bulgari, annos plus quam centum quinquaginta Græcis subjecti, *Cang. famil. Dalm.* 7. *p.* 318.

(*) Ex tot promissis, diversis temporibus editis, & nunquam impletis, liquet, Græculos non ideo in Schismate (qualecunque demum fuerit) perseverasse, quod Romanum Pontificem jure divino Ecclesiæ universalis Caput, & S. Petri successorem esse ignorarent, aut argumentis & conscientia doctrinæ contrariæ convicti essent, sed eis obstitisse noxium pudorem, arrogantiam & perfidiam, ne superbas cervices coram Episcopo Occidentis flecterent. Unde illud: *Græca fides, nulla fides*, non modo de fide humana, sed etiam de fide Deo debita, de iis affirmari verissime potuit.

Sæcul. XIII. A. C. 1203.

regnante Isaacio Angelo seditionem moverunt, Petro & *Asan* fratribus, ex antiqua Regum ipsorum stirpe editis, Ductoribus. *Asan* circa annum millesimum centesimum octogesimum nonum fatis functo, Petrus haud diu superstes fuit, successorem relinquens fratrem tertium, Joannem seu Joannicium nomine, quem Regni socium adsciverat. Is, ut suam adversus Græcos muniret potentiam, Legatis anno millesimo centesimo nonagesimo septimo Romam missis, cupere se se Papæ submittere, & coronam ipsi in acceptis referre professus est. Trinamque adornavit Legationem, antequam responsum acciperet; Sed Innocentius III. in Sacra Sede collocatus, anno Pontificatus sui secundo, nempe millesimo centesimo nonagesimo nono, Dominicum, Græcorum Brundusii Archipresbyterum, Græcæ & Latinæ linguæ gnarum, ad eum misit; quamvis enim vulgaris Bulgarorum lingua esset Sclavonica, Presbyteri tamen eorum & viri literati etiam Græcam, quæ lingua Doctorum dicebatur, callebant.

Inn. lib. 6. ep. 142. ap. Rainald. 1203. *n.* 20.

Gest. Innoc. n. 65.

Pontifex Dominico Epistolam deferendam commisit, in qua dicit; compertum sibi habere, quod Joannicii Majores ex Urbe Roma originem traxissent. Scilicet, hic Princeps de gente Valachorum erat, qui se ab antiquis Romanis ortos

2. *ep.* 266.

ortos dicebant, seu a quadam Legione, quæ in Mœsiæ montibus sedem sibi elegerat. Hodieque multi affirmant, nullam aliam vulgarem Valachorum lingua majorem cum Latina affinitatem habere. Papa deinde Joannicium ad Dominicum benevole excipiendum hortatur, & addit: *Postquam is de sinceritate mentis tuæ nos accurate certiores fecerit, mittemus ad te Nuncios spectabiliores, seu potius Legatos, qui te in pio ad Sacram Sedem affectu confirment.* Joannicius Dominicum diu moratus est, suspicans, nam plures alii adfuerant, exploratorem venisse, & tandem eum anno millesimo ducentesimo secundo dimisit, cum Presbytero, nomine Blasio, Episcopo Brandizuberensi electo, cui Epistolam Papæ reddendam tradidit, obsequii & reverentiæ plenam; rogabat, ut majores Nuncios, cujus rei spem fecerat, sibi mitteret. Regis Epistolæ Basilius Archiepiscopus Zagoranus suam junxit, in eumdem sensum scriptam.

Sæcul.XIII. A.C.1203.

ap. Innoc. V. ep. 115. *Gest. n.*66. *ibid. ep.* 117.

Innocentius Papa utrique respondit, estque Epistola, ad Joannicium directa, vigesima septima Novembris anno millesimo ducentesimo secundo data, in qua dicit: *In tabulis nostris invenimus, quod in Regione, tibi subjecta, complures Reges coronati fuerint. Quod Nicolai Papæ ævo Michael Rex Bulgarorum, qui illum*

ep. 116. *Sup. L. n.* 49.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

Innocentii Epistolæ.

Sup. Lib. LI §. 48.

illum Pontificem sæpe, datis literis, consulebat, ab eo fidem Christi edoctus cum toto Regno suo fuerit baptizatus, & Archiepiscopum sibi dari petierit. Præterea legimus, quemdam Legatum ejusdem Regis literas & dona ad Hadrianum Papam attulisse, & nomine Domini sui rogasse, ut mitteretur Cardinalis, qui Archiepiscopus eligeretur, a Papa deinde consecrandus. Cum vero Hadrianus Subdiaconum cum duobus Episcopis misisset, Bulgaros Græcorum promissis & muneribus corruptos, ejectis Romanis, Græcos Sacerdotes recepisse. Nos igitur cognita hac animi levitate, cauto opus esse rati, noluimus ad te Cardinalem mittere, sed solummodo Joannem Capellanum nostrum, cum Sacræ Sedis Legati potestate, qua in terris tuis omnia, ad Regimen spirituale spectantia, qua visa fuerint, reformet & ordinet. Is nostro nomine Archiepiscopo illius Regionis Pallium dabit, Clericos & Episcopos ab Episcopis Catholicis vicinis consecrari curabit, de corona ab Ecclesia Romana Majoribus tuis collata, tam in libris antiquis, quam in aliis monumentis, solicite inquiret, & de omnibus, qua necessaria fuerint, tecum consentiet. In 5. *ep.* 119. Epistola, ad Basilium Archiepiscopum data, eadem Legati potestas exponitur.

Prius-

Priusquam vero hoc Papæ Reſponſum ad Joannicii manus delatum fuiſſet, ipſe aliam ad Pontificem dederat Epiſtolam, in hunc modum: *Ubi ad Græcorum aures pervenit, me ad vos Nuncios miſiſſe, adfuerunt ab Imperatore & Patriarcha Legati, mihi dicere juſſi: Ad nos convertere; Imperatorem te coronabimus & Patriarcham dabimus, ſine quibus Dignitatibus Regnum tuum ſtare nequit. Ego vero oblata reſpui, quia ſervus S. Petri & Sanctitatis tuæ eſſe cupio. Hinc miſi ad te Archiepiſcopum meum cum pecunia ſignata. Miſi etiam vaſa, veſtes ſericas, ceram, equos, & mulos, ut quantum te reverear probarem. Rogo; Cardinales mitte, qui me Imperatorem coronent, & Patriarcham in ditionibus meis inſtituant.* Nam Joannicius Imperator Bulgarorum appellari ambiebat, in literis ſuis ſtilum Græcorum ſtudioſe imitabatur & Bullis aureis eas muniebat.

Sæcul.XIII. A.C.1203.

6. *ep.* 142. *ap. Rain.* 1203. *n.* 20.

Ceterum Archiepiſcopus, ab eo ad Papam miſſus, Baſilius fuit, quem quarta Julii anno ſexies milleſimo ſeptingenteſimo undecimo, ſecundum Græcos, Indictione ſexta, nempe anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ducenteſimo tertio a Domino ſuo profectum, ubi ad portum Dyrrachienſem pervenit, captum, Græci inceptum iter proſequi prohibuerunt.

Geſt. Inno. n. 72.

6. *ep.* 103. *ap. Rain. n.* 21.

Sæcul. XIII. A. C. 1203.

runt. Inde igitur Basilius, duos viros fidissimos, Constantinum Presbyterum & Sergium Tribunum ad Papam misit; sed priusquam ubi essent, vel quid egissent, rescire potuisset, mandata afferuntur a Joannicio Domino suo, Papæ Legatum ad eum advenire. Basilius tandem Drianam urbem mense Septembri attigit, ubi Joannem Papæ Capellanum habuit.

§. LIV.

Joannes Legatus Papæ in Bulgaria.

6. ep. 140. ibi. n 22.23. item u. 7.

Joannes Bosniam peragraverat, in qua provincia reducendis ad sinum Ecclesiæ Patarinis seu Manichæis operam dederat, quo in labore Culinum, Regionis illius Principem, adjutorem habuit.

ep. 212. ap. Rain. 1202. n. 8.

Complures ex his Hæreticis, qui per Antonomasiam *Christiani* dici volebant, errores suos in Actis publicis, anno millesimo ducentesimo tertio, Innocentii Papæ sexto, datis, abjecerunt, promittentes, se mandatis Ecclesiæ Romanæ in suæ vitæ ratione obtemperaturos, addita pœna jacturæ bonorum suorum, si in Hæresim relaberentur. Inde Legatus divertit in Hungariam, ubi cum, detinente ipsum Rege, aliquamdiu fuisset commoratus, adsunt Nuncii a Joannicio missi, eum ad Dominum suum deducturi.

Sub

Sub illud tempus Legatus ad Papam dedit Epistolam, in qua dicebat: *Scire te oportet, in Bosnia unicam esse Ecclesiam Episcopalem, cujus Episcopus nunc mortuus est. Si Episcopus Latinus illuc transferri, ac tres quatuorve Sedes Episcopales erigi possent, maximo sane Ecclesiæ universalis incremento id fieret. Ista enim provincia tantæ est latitudinis, ut vix decem dierum itinere peragrari possit.* Sæcul.XIII. A.C.1203. *l. ep.* 140.

Ubi Joannes Legatus in Bulgariam pervenit, Papæ Epistolam Basilio Archiepiscopo reddidit, eumdemque in Festo Nativitatis Beatæ Virginis die octava Septembris anno millesimo ducentesimo tertio Pallio investivit. Quo accepto Archiepiscopus juramentum fidelitatis publice in Ecclesia, compluribus Episcopis præsentibus, Papæ præstitit. Id enim ipse in Epistola ad Papam data confitetur, ubi subjungit: *Sacrum Chrisma non habemus. Illud antea a Græcis accipiebamus, qui hodie nos æque ac vos Romanos oderunt. Doce ergo, unde sacrum Chrisma nobis adveniat, cum populum nostrum baptizamus, ne sancta ista unctione carere cogatur, quæ res peccato non vacaret. Mitte nobis duo Pallia pro duobus Metropolitis in urbibus Prisblave* (seu Preslavia) *& Belesbuda.* Legatus has Cathedras Archiepiscopales, consen- *Gest.n.72.* *Gest.n.76.*

Sæcul. XIII. A. C. 1203.

sentiente Joannicio erectas, Archiepiscopo Basilio tanquam Primati subjecerat, sedemque Primatis in urbe Terranova, quæ illa tempestate Bulgariæ caput erat, posuerat. Cum Joannem Legatum dimisit Joannicius, viæ socium dedit Blasium Episcopum Brandizuberensem cum Epistola ad Papam, in qua rogabat; Baculum Pastoralem, & cuncta Insignia, quæ Patriarcham ornant, Basilio Archiepiscopo mitteret. Legatus præter Pallium ei Mitram & Annulum dederat. Tum Joannicius in Epistola addebat: *Ne vero post obitum cujuslibet Patriarchæ non sine gravi onere Romam eundum sit, aut conscientiam tuam lædas, si tam ampla Sedes diu vacet, Patriarcham eligendi, consecrandique licentiam Ecclesiæ Terranovanæ concede. Eidem Ecclesiæ potestatem da, conficiendi Sacrum Chrisma, in Baptismo adhibendum. Græci enim id nobis amplius non mittent, ubi sciverint, quod Consecrationem a tua Sanctitate receperimus. Rogo etiam mitte ad me Cardinalem, qui sceptrum & coronam ad me consecrandum afferat. Quod pertinet ad terminos Hungariæ & Bulgariæ ponendos, tuæ Sanctitatis judicium sit, tuæ inquam conscientiæ id mando, sanctissime Pater, fac, ut cædes & latrocinia Christianorum cessent. Præterea ignorare*

non

non debes, Regem Hungariæ quinque Diæceſes Epiſcopales earumque cenſus mihi ſubtraxiſſe, unde illæ terræ deſertæ & incultæ jacent. Judica an juſtum & æquum ſit hæc tolerari. Ceterum, ego ſane non diſpicio cauſam, cur Epiſcopi Bulgarorum ipſi S. Chriſma non confecerint, ac neceſſarium crediderint, illud aliunde accipere (*). Sæcul. XII. A.C. 1203.

§. LV.

Stephani Tornacenſis extrema.

Hoc anno milleſimo ducenteſimo tertio rebus mortalibus ereptus eſt Stephanus Epiſcopus Tornacenſis, inter ævi ſui Præſules eximius. Ad eum, munera Epiſcopalia auſpicatum, familiares detulerunt, Doctorem Berterium, Archidiaconum Cameracenſem, veterem amicum ſuum, de ipſo dicere, quod mores Epiſcopali celſitudine dignos induere neſciret. Ut igitur objectum diluret, Stephanus Epiſtolam ad Berterium dedit, in qua vitæ ſuæ rationem exponit in hunc modum: *Ex urbe raro pedem* *Sup. Lib. LXXIV. §. 39. ep. 208.*

(*) Veriſimile eſt, Græcos, a quibus Chriſma accipiebant Bulgari, eorum ignorantiam improba ſolertia aluiſſe, ut ſibi eo magis in ſpiritualibus & temporalibus obnoxios haberent.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

dem effero. Officio divino, ubi per negotia licet, cum ceteris semper interfuit. Ovibus meis Verbum Dei pro modulo doni, quod accepi, prædico, atque sermonibus meis Hæresim nascentem, aliosque similes errores pro viribus oppugno. Nempe Manichæismum, qui Flandriam pluresque alias regiones infecerat. Tum prosequitur Stephanus: *Sacramenta, quæ gratis accepi, gratis do, & simoniam abominor. Si non omnia dona mihi oblata rejicio, saltem illicita non accipio. Peccata sua mihi confitentibus consilium suggero, eorum malis per Pœnitentiam consulo, afflictos pro viribus mihi a Deo concessis consolor. Horis, quibus voco, sacram Scripturam lego, & meditor. Hominibus honestis hospitium lubentissime præbeo. Solus & clam non manduco, superflua & peregrina abjicio. Patrimonium JEsu Christi in salios & sycophantas non effundo. Hæc sunt quæ ab hominibus videri possunt, de occultis solius Dei est judicium.*

Stephanus Episcopus multas ærumnas tulit ob Interdictum, quo Diœcesim suam constringere jussus est. Quippe cum anno milleſimo centesimo nonagesimo septimo Balduinus Comes Flandriæ, fide quam Regi Franciæ, Vasallus Domino suo, debebat violata, fœdere cum Rege Angliæ, ejus inimico, inito, agros Fran-

Rigord. p. 41

Franciæ devaſtaret, Cardinalis Melior, Legatus in Franciam a Cœleſtino III. Papa miſſus, omnes Comitis Flandriæ ditiones Interdicto Eccleſiaſtico ſubjici juſſit. Quibus acceptis mandatis, Epiſcopus Tornacenſis, Archiepiſcopum Remenſem Patronum ſuum conſulturus, ſcripſit ei in hunc modum: *Plagæ prioris, Interdicto inflictæ, cicatrix nèdum obducta eſt; ſi ſuccedat & alterum vulnus, lethale erit, & nobis tacentibus Hæreſes invaleſcent. Eccleſiis clauſis, qui de Altari vivunt, ad mendicitatem redigentur. Porro nobis exploratiſſimum eſt, hujus Principis pectus usque adeo obfirmari, ut nec excommunicatione nec Interdicto tangatur, ſæcularia ſpiritualibus præferre ſolitus.* Et infra: *Eripe me de poteſtate Principis noſtri, qui comminationibus me terret, & Eccleſiæ noſtræ bona occupari jubet. Pro obedientia, quam Papæ tibique ſemper præſtiti, in eum Excommunicationis & in Ditiones ejus Interdicti ſententiam denunciavi; ſed Abbates noſtri, Decani, Parochique obedire detrectant, dicuntque, ſe appellaviſſe, quamvis eis ſignificari juſſerim, hanc Appellationem eſſe nullam. Denique ex urbe exceſſiſſem, ſi tuto fugere licuiſſet.*

Sæcul. XIII. A. C. 1203.

Sup. Lib. LXXIV. §. 5.

ep. 231.

ep. 233.

Alibi dicit Stephanus: *Laici nos conviciantur, minantur, atque in ſuis ſermoni-*

ep. 235.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

monibus tam publicis quam privatis nihil frequentius audias, quam ejiciendos esse Sacerdotes, & bona eorum diripienda. Dicunt, contra leges Justitiæ manifeste pugnare, quod in ipsis peccatum alienum puniatur, eisque Sacramenta denegentur, viris Catholicis & Ecclesiæ submissis. Exploratum est nobis Flandrorum ingenium, quorum nunquam vanæ sunt sine effectibus iræ. Expulsis Presbyteris nostris exteros advocare volunt, homines suspectos, aut in Doctrina corruptos.

Interdicta Generalia.

Hic cognoscimus, quanta ex Interdictis incommoda & pericula nascantur.

ep. 36. 37.

Nihilominus, quamvis Episcopus Tornacensis istud Interdictum satis rigide servari jussisset, teporis & pusilli animi ab Episcopo Cameracensi accusatus est.

Præterea Stephanus Tornacensis in suis Epistolis de abusu mandatorum Apostolicorum, ad collationem Beneficiorum spectantium, conqueritur, atque de hac re ad ipsum Summum Pontificem

ep. 194.

scribit in hunc modum: *Sæpe ad nos veniunt nullius meriti homines, quorum nec ortum, nec conditionem, nec an a criminibus immunes sint, novimus; sed nobis Epistolas tuas exhibent, monitis & comminationibus plenas, in quibus nobis præcipis, ut omnibus illis, quibus vel nos vel Antecessores nostri, a prima Tonsura usque*

que ad Ordines ſacros, manus impoſuimus, neceſſaria ad vitam ſuſtentandam ſuppeditemus, donec eis Beneficium Eccleſiaſticum, unde vivant, conferamus. Ignoſce, ſi quod verum eſt dicamus, hæc mandata nobis nova ſunt, quandoquidem in Concilio Lateranenſi, ſedente Alexandro tertio, omnibus Epiſcopis præſentibus ſuffragantibus, hæc Conſtitutio de ſolis Presbyteris & Diaconis edita eſt, quam bona fide ſervamus. Sed omnino vires noſtras ſuperat, ut & numerum & nomina eorum, quibus Ordinem Subdiaconatu inferiorem dedimus, retineamus. Multo minus fieri poteſt, ut ſingulis vel Beneficia vel alimenta conferamus. Satius profecto eſſet neminem ordinare, & quam noxia hæc ceſſatio Rei Eccleſiaſticæ futura ſit, nemo ignorat. Namque in Francia plerique eum in finem literarum ſtudiis ſe dedunt, ut ad Ordines admittantur.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

Can. 5. Sup. Lib. LXXIII. §. 21.

In alia Epiſtola ad Papam data de ſcholis ſui ævi ita conqueritur: *Sacrarum literarum ſtudium apud nos collapſum eſt, quia diſcipuli ſolis rebus novis applaudunt, & Magiſtri magis gloriam quam Doctrinæ veritatem quærunt. Novas Theologiæ Summas & Tractatus componunt, quaſi vero SS. Patrum Opera non ſufficerent. Publice & non illæſa rerum ſacrarum reverentia de Divini-*

p. 252.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

vinitate incomprehensibili, de Trinitate & Incarnatione disputatur. Si jus Canonicum spectemus; Collectio immensa Epistolarum Decretalium sub nomine Alexandri Papæ circumfertur, dum interim antiqui Canones rejiciuntur.

Novum hoc Volumen in scholis publice prælegitur, & in tabernis bibliopolarum emturis exponitur, ridentibus sibique plaudentibus Scriptoribus, cum labores suos minui, & lucrum augeri videnti. Si transeamus ad Artes Liberales; Juvenes, qui ad eas addiscendas vix idonei sunt, eas docere præsumunt, & nomen Magistri impudenter jactant. Hi abjectis Regulis & libris authenticis, inanibus vocibus & tricis sophistarum delectantur, araneis, quæ totæ in muscis capiendis occupantur, simillimi. Tuum est, Sancte Pater! hos abusus tollere, ac methodum docendi disputandique certam & constantem præscribere.

Alber. an. 1203.

Cum Gerardus Doctor Duacensis anno millesimo ducentesimo tertio Episcopus Catalaunensis electus fuisset, & Stephanus Tornacensis, utpote illius Diœcesis Episcopus, ad solemnia Consecrationis, ab Archiepiscopo Remensi peragendæ, invitaretur, primo quidem se ob senium & infirmitatem excusavit,

ep. 274.

jam enim, inquiebat, *in septuagesima annum vitæ meæ sexagesimum octavum expleo.*

explevi (tunc vero annus post partum Virginis millesimus ducentesimus tertius agebatur & dies secunda Februarii) *hujusque corporis resolutionem instare sentio.* Postea tamen, Archiepiscopo ipsius Patrono vehementius urgente, iter ingressus est, illi Ordinationi interfuturus. Obiit vero Stephanus eodem anno die nona Septembris, cujus Scripta multa, & inprimis Epistolæ, numero ducentæ octoginta septem, nobis supersunt. Sæcul. XIII. A. C. 1203. *cp.* 275. 276.

§. LVI.

Pœnitentia Ecclesiastica memorabilis

Anno superiore millesimo ducentesimo secundo Conradum Episcopum Herbipolensem, & Curiæ Cæsareæ Cancellarium, duo viri equestris Ordinis, Bodon & Henricus ejus Vasalli trucidaverant, quos judicio persequebatur, quia bona Ecclesiæ suæ usurpabant. Hi, cum pactis ab Episcopo oblatis acquiescere simulassent, Præsulem publice in platea urbis Herbipolensis, in Festo S. Nicolai die sexta Dccembris, invadunt, manu dextera & capite truncant, verticis partem, quæ corona Clericali cingebatur, dilaniant, & totum corpus in partes ense dividunt. Qui deinde funus curarunt, *Trith. Chro. Hirsaug.* 1202. *Arn. Lubec.* 7. c. 2.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

runt, sub vestibus sericis rigido cilicio indutum invenerunt. Infandam cædem ut vindicarent cives Herbipolenses, arce Ravensburgensi, quæ latronum istorum Sedes erat, solo æquata, ipsos e patria expulerunt. Ubi vero tetrum facinus ad aures Innocentii Pontificis delatum est, literis ad Archiepiscopum Salisburgensem, ejusque Suffraganeos vigesima tertia Januarii anno millesimo ducentesimo tertio datis, Excommunicationis sententiam contra auctores, & Interdictum in eorum terras pronunciavit.

Ab. Ursp. p. 312.

5. ep. 155. ap. Rain. 1203. n. 45.

Interfectores S. Episcopi, pœnitentia ducti, Romam profecti Papam adierunt, qui eos ad Hugonem Cardinalem Presbyterum, Tituli S. Martini, cui Confessionem suam exponerent, remisit. Is postquam confitentes audivisset, per complures dies in conspectu Pontificis nudos cum braccis, & fune de collo pendente, præsente magna populorum frequentia adstare jussit; tumque ex Mandato Pontificis talem Pœnitentiam injunxit. Nunquam deinceps nisi in bello contra Saracenos, vel ad justam vitæ propriæ defensionem armis utantur. Nunquam se pannis pretiosis, nitidi coloris aut hermineis pellibus se vestiant. Ad publica spectacula non accedant (nulla illa ætate spectacula nisi certamina equestria

5. ep. 51. ap. R. & Trithemium.

equestria occurrunt) post mortem uxorum suarum secundas nuptias non cogitent. Ut primum potuerint, Hierosolymam proficiscantur, ibi per annos quatuor contra Saracenos militaturi. Interim usque dum itineri se dare possint, nudis pedibus incedent, & laneis vestibus tecti, ut Pœnitentes publicos decet. In pane & aqua Feria IV. & VI. in quatuor temporibus, & in Festorum Vigiliis jejunent. Tres Quadragesimas ante Pascha, ante Pentecosten & ante Nativitatem Domini servent, ac non nisi in his Festis carnibus vescantur (*). Quotidie intra horas viginti quatuor diurnas nocturnasque centies *Pater noster* decantabunt, & quinquagies genuflectent. Corpus & sanguinem Domini nisi in ultimo articulo mortis non sumant. Postquam mare trajecerint, quarta & sexta Feria, aliisque statutis diebus, in cibo quadragesimali jejunent; carnes tantum die Dominica & Feria quinta comedant. Quandocunque aliquam Civitatem Alemannicam secure intrare poterunt, ad Ecclesiam principem nudi procedant, tantum in braccis, cum fune in collo & Sæcul.XIII. A.C.1203.

(*) In Chronico Hirsaugiensi, unde ista accepit Fleurius, hic additur: *Eaque die, qua prædictus Episcopus fuit occisus, carnes non comedant in æternum.*

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

virgis in manu, ſicque a Canonicis Cathedralibus cædantur. Si quis, cur hoc faciant, quærat, reſpondeant, ſe ad crimina ſua pœnitentia delenda id ſuſcepiſſe. Cum ex partibus transmarinis redierint, ad Apoſtolicam Sedem accedant, conſilium & mandatum recepturi. Epiſtola patens, in qua hæc Pœnitentia deſcripta eſt, diem decimam octavam Aprilis anno milleſimo ducenteſimo tertio appoſitam habet.

5. ep. 77. al. 79 *Rain.* 1202. 10.

Sub idem tempus duo alia ſingularis pœnitentiæ, ab Innocentio Papa injunctæ, exempla invenio. Epiſcopo Catneſienſi * in Scotia, in expugnatione cujusdam arcis capto; aliquis nomine Lumberdus linguam execuerat. Romam deinde profectus a Pontifice abſolutionem accepit, hac injuncta pœnitentia; Quantocius remearet in patriam, ibique diebus quatuordecim procederet nudis pedibus, femoralibus & veſte lanea curta ac ſine manicis tectus, lingua funiculo conſtricta, ita ut aliquantum extra os promineret, & funiculi extremæ partes collum innecterent. Præterea virgas manu teneret, iſto habitu ad portam Eccleſiæ accederet, foris proſterneretur, cæderetur a Clericis, usque ad ſolis occaſum in ſilentio & jejunio perſeveraret, & tandem pane & aqua reficeretur. Conſumtis diebus quindecim, intra

*Catnes

Abſolutio ante Pœnitentiam.

intra unius menſis ſpatium in Terram ſanctam proficiſceretur, & tribus annis ibi militaret. Arma contra Chriſtianos nunquam ſtringeret, tandem pane & aqua contentus Feria VI. undecim annis jejunaret. Sæcul.XIII. A.C.1203.

Quodàm Chriſtiano captivo, cui nomen Robertus, apud Saracenos, cum uxore & filia, degente, cùm fames illam Regionem affligeret, juſſit Emirus omnes captivos, quibus filii erant, eos necare. Robertus, fame preſſus, ne inedia periret, filiam, manu ſua mactatam, devoravit. Novis mandatis ſupervenientibus, uxorem quoque peremit; ſed poſtquam carnes aſſari curavit, ſubeunte horrore comedere non potuit. 5. *ep.* 80. *al.* 78.

Ex manibus Saracenorum poſtea liberatus, in conſpectum Papæ venit, qui Pœnitenti injunxit; Quoad viveret, nunquam carnem comederet, pane & aqua contentus Feria ſexta, ſecunda & quarta in utraque Quadrageſima Paſchæ & Nativitatis Domini jejunaret. Nudis pedibus incederet, veſtitus tunica lanea, & ſcapulari admodum curto, baculum manu tenens & ſtipem rogans; plus vero quam in ſuſtentationem unius diei ſufficeret, accipere non liceret, nec duabus noctibus in eodem loco dormire. Hoc modo annis tribus peregrinaretur, ad fores Eccleſiarum proſterneretur, &

non

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

non intraret, nisi prius virgis cæsus. Uxorem nunquam duceret, Ludis publicis nunquam adesset. Centies in die *Pater noster* recitaret, & toties genua flecteret. Annis tribus exactis, ad Summum Pontificem misericordiam petiturus & mandata recepturus, rediret.

§. LVII.

Abbas Casæ-majoris Legatus in Francia.

Hoc anno millesimo ducentesimo tertio Joannes Abbas Casæ-majoris* cum potestate Legati ab Innocentio Papa missus est, ut Reges Philippum Augustum & Joannem Angliæ ad pacis fœdera restauranda compelleret. Causa exorti belli erat, quod Rex Joannes Artum, nepotem suum, Britanniæ Comitem, ex turri, in qua ipso mandante Rotomagi custodiebatur, protractum, sua manu in navi obtruncasset, corpusque in Sequanam projici jussisset, in Cœna Domini die tertia Aprilis, eodem anno. Rex Franciæ Joannem tanquam Vasallum suum ad judicium citari, &, admisso facinore, causam dicere jussit, cumque non veniisset, Pares Franciæ Joannem Regem jure suo in omnes Ditiones, quas citra mare tenuisset, excidisse, idque ad Regem Philippum rediisse, unanimi voce pro-

* Casemarii

Rigord. p. 46 Guil. armor. Philipp. l. 6. p. 167. Matth. Par. 1202. Chr. Nic. Trivet. t. 8. Spicil. du Till. p. 168.

pronunciarunt. Vi cujus Decreti Rex Philippus in Aquitaniam, tumque in Normanniam movens, complures urbes ad deditionem compulit. Sæcul.XIII. A. C. 1203.

Itaque ad hoc bellum componendum Innocentius Papa Joannem Abbatem Caſæ-majoris atque Abbatem *de tribus fontibus*, utrumque Ordinis Ciſtercienſis, miſit, qui ambobus Regibus mandata Papæ denunciarunt; Epiſcopos & Principes totius Regni convocarent, ſalvo utriusque Regis jure pacem inirent, Monaſteria, ceterasque Eccleſias inter belli turbines deſtructas, repararent. Hæc mandata Pontificis Regi Philippo, Meduntæ commoranti, in Octava Aſſumtionis, nempe vigeſima ſecunda Auguſti, reddita ſunt. Præſulum vero & Principum collectorum ſententiam ſecutus, contra hanc denunciationem appellans, cauſam Papæ reſervavit. In *theſauro Chartarum* Literæ patentes Odonis Ducis Burgundiæ occurrunt, in quibus profitetur, ſe Philippo Regi Domino ſuo conſilium ſuggeſſiſſe; ne pacem vel inducias Regi Angliæ, a Papa vel Cardinalium ullo compulſus, concederet. *Si vero Papa*, adjicit, *Regi in hac cauſa vim inferre pararet, promiſi ei tanquam Domino meo ſupremo, omnesque ditiones, quas ab ipſo accepi, in fidei pignus*

du Till. p. 166 Preuv. lib. Gall. Ch. 7. n. 2.

Sæcul. XIII. A.C. 1203. *pignus obtuli, quod omnibus viribus auxilium præstiturus essem, nec ad consilia Pacis inter me & Papam reducenda animum unquam adjecturus, nisi Rex consentiret.* Hoc diploma mense Julio anno millesimo ducentesimo tertio datum est, eique decem alia similis tenoris totidem Principum aut Dominarum adjacent. Ergo Rex Legatis respondit; Romani Pontificis non esse, se se bellis Regum implicare, qui in causis Vasallorum suorum ipsius mandatis obsequi non tenerentur.

ap. Rainald.

§. LVIII.

Papa se pacis arbitrum esse affirmat.

6. *ep.* 165. *ibid.* Cum Abbas Casæ-majoris Papam certiorem feciſſet, quid respondisset Rex, Innocentius ad Philippum Regem Epistolam dedit, in qua dicit: *Neutiquam cupimus, potestatem non debitam nobis tribuere, aut quidquam, quod officii nostri non sit, vobis præcipere. Quid enim vos monuimus? nempe pacem, vel inducias saltem, salvo uniuscujusque jure, pangendas esse. Quamquam vero animus tecum disputandi non sit, nolumus tamen tuo ad nos Responso auctoritatem nostro silentio conciliare.* Tum complures

plures Textus Sacræ Scripturæ affert, oſtenditque, JEſum Chriſtum ad denunciandam pacem veniſſe, & Diſcipulos ſuos exire ex domibus vel civitatibus illorum, qui ipſos non reciperent, juſſiſſe. Quod de Excommunicatione accipiendum eſſe docet. His Innocentius ſubjungit: *Nemo in dubium vocat, quin noſtrum ſit de iis judicare, quæ ad ſalutem vel damnationem animæ ſpectant. Quæro igitur, an non ſunt opera æterna damnatione digna, diſcordiam fovere, Chriſtianis arma inferre, pauperes ſpoliare, ſanguinem humanum fundere, profanare Eccleſias, Religioſorum virorum domos deſtruere?* Et inferius: *Dixit JEſus Chriſtus: ſi autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, & reliqua. Nunc vero frater tuus, Rex Angliæ, contra te querelas movet. Sæpius tam datis literis quam voce monuit, operam quorumdam Principum adhibuit, qui te ad Jus ſuum ſibi tribuendum permoverent, tandemque detulit te ad Eccleſiam; quæ cum mallet affectu materno quam poteſtate Judiciali tecum agere, te magna Caritate per Abbatem Caſæ majoris corripuit & hortatus eſt, ut fratri tuo damni cauſa eſſe deſineres, ac cum eo in gra-*

Sæcul.XIII. A.C.1203.

*Matt.*10.14.

*Matt.*18.15.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

gratiam redires. Quid supereſt, ſi Eccleſiam non audieris, niſi, quod doleni dico, ut nobis ſicut Ethnicus & Publicanus ſis? cum ad alterutrum eligendum compellamur, tibi diſplicere, quam Deum offendere præſtat. Dices: damnum Regi Angliæ non infero, & ille: infert mihi quam maxime. Quid nos ad iſtam contentionem? num ceſſabimus? num veritatem non inquiremus, atque, ea inventa, num quod Deus præcipit, non faciemus? num improbos non coercebimus, & vim Chriſtianorum a Chriſtianis non repellemus? Hæc Epiſtola Anagniæ die ultima Octobris anno milleſimo ducenteſimo tertio data.

6. *ep.* 167. *ap. Rain. n.* 58.

Innocentius Papa Regi Angliæ quoque ſcripſit, objiciens querelas, a Rege Franciæ contra ipſum allatas, inprimis, quod ad ejus Curiam, tanquam Vaſallus, citatus nunquam paruiſſet, ſed rem continuo differendo & impedimenta comminiſcendo Judicium eluſiſſet. Quia etiam Epiſcopi Franciæ Regem ſuum excuſabant, rogabantque Pontificem, ne ejus jura læderet, ad non nullos eorum privatas Epiſtolas, aliamque ad omnes Epiſcopos, anno ſequente milleſimo ducenteſimo quarto,

Epiſtola ad Regem Angliæ.

Ency-

Encyclicam dedit, nempe illam Decretalem seu Capitulum *Novit*, celeberrimum, in quo loquitur in hunc modum: *Nemo putet, quod Jurisdictionem aut potestatem Regis Franciæ minuere aut perturbare velimus, cum ipse nostram non debeat aut velit etiam coarctare. Quia vero eum Rex Angliæ, secundum præceptum Evangelii, ad Ecclesiam detulit, quomodo nos, qui sumus ad Regimen Universalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum divinum & formam præscriptam possumus vilipendere? Non enim intendimus judicare de Feudo, cujus ad Regem spectat judicium, sed decernere de peccato, ejusque ad nos pertinet sine dubitatione Censura, quam in quemcunque ferre possumus & debemus. Non igitur injuriosum sibi futurum Rex credat, si in hac causa Apostolico Judicio se committat; cum Imperator Valentinianus Episcopis Suffraganeis provinciæ Mediolanensis dixisse legatur: Talem nobis in hac Sede date Episcopum, cui & nos sincere Caput nostrum submittamus, & monita salutaria, si tanquam homines deliquerimus, recipiamus.* His subjungit Papa præsumtam Theodosii Constitutionem, seu potius Constantini de Jurisdictione Epi-

Sæcul.XIII. A. C. 1203.

7.ep.42.ibid. Cap. novit. 13.extra de judic. to.11.Conc. p. 27. Preuv.lib. Gall.c.7.n.4.

Theo. IV. hist. c. 6. Dist. 63. c. Valent. ex his. tri. 7. c. 8. Sup. lib. XLVI. §.8. 2 q. 1. c. 35. Quicunque.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

ſcoporum, a Carolo Magno confirmatam, ac a Gratiano in ſua Collectione citatam.

Tum Epiſtolam ſic proſequitur: *Non humanæ Conſtitutioni ſed divinæ Legi innitimur, cum poteſtas noſtra non ab homine ſed a Deo ſit. Nullus enim ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de quocunque peccato mortali quemlibet Chriſtianum corripere, & ſi correptionem contemſerit, contumacem Cenſura Eccleſiaſtica coercere* (*). *Nemo dicat,* Deut. 1. 17. *aliter cum Regibus & aliter cum aliis eſſe agendum; quia ſcriptum novimus in Lege divina: Ita parvum audietis ut magnum, nec accipietis cujusquam perſonam. Præcipue autem ideo in hac cauſa poteſtate noſtra uti tenemur, quia peccatur contra pacem, & contra edictum*

(*) In ipſa Epiſtola Innocentii additum eſt: *Nullus enim, qui ſit ſanæ mentis, ignorat &c.* Superius de Regno Francorum dixerat Papa in eadem Epiſtola: *Cum hoc Regnum benedictum a Deo ſemper in Sacræ Sedis devotione permanſerit, & ab ejus devotione nullo unquam, ſicut credimus, ſit tempore diſceſſurum &c.*

tum juramentum, ac utrumque ad Ecclesiæ judicium pertinet. Quare Legato nostro in mandatis dedimus; nisi Rex Franciæ Regi Angliæ pacem reddat, aut saltem patiatur, Legatum & Archiepiscopum Bituricensem summatim de hac lite cognoscere, sibi imperata exequatur. Vobis vero omnibus in virtute obedientiæ præcipimus, ut ejusdem Legati nostri Abbatis Casemarii sententiam recipiatis, & ab aliis servari curetis. Si secus egeritis, scitote, vos inobedientiæ graves pœnas nobis esse daturos. Sæcul. XIII. A.C. 1203.

Hæc est Innocentii Papæ ad Episcopos Franciæ Epistola.

Verumenimvero, si huic Innocentii Doctrinæ locus detur, non solum Romani Pontifices, sed etiam omnes Episcopi pacis bellique arbitri erunt, cum omnia pacis fœdera juramento firmari soleant, & omne bellum injustum grande peccatum sit. Tumque juramenti prætextu jus eis competeret, omnium præfectorum in Republica fidem ad examen vocare, quia juramento se Principi obligant, atque etiam omnium Vasallorum, quamvis Innocentius fateatur, se in causa Feudorum non esse Ju-

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

dicem. Argumentum a peccato acceptum multo latius patet, cum omnia crimina publica, & privatorum contra Juſtitiam delicta, nempe totam Judiciorum ſive in foro civili ſive in criminali materiam complectatur, ac eo pacto cauſis omnibus ad Tribunal Eccleſiaſticum devolutis, Poteſtas ſæcularis tolleretur. Hinc negari non poteſt, Auctoritatem Sacræ Scripturæ, ſæpiſſime in hac Decretali adhibitam, ad ſolum forum internum & tribunal conſcientiæ ſpectare, in quo omnibus Epiſcopis, quin etiam omnibus Presbyteris cum conſenſu Superiorum ſuorum, ligandi ſolvendive Jurisdictio eſt, non alium in finem, quam ut vel Fideles peccantes Sacramentis aliisque Bonis ſpiritualibus priventur, vel pœnitentes Eccleſiaſticæ Communioni reſtituantur.

§. LIX.

Concilium Meldenſe.

*Caſæmajor. *Fragm. du Chesne to.* 5. *p.* 809. *ex Geſtis. Inno. n.* 129. *to.* 11. *Conc. p.* 27.

Cum Abbas Caſemarii*, ad reducendam pacem per annum integrum laborans, ſæpius ex Francia in Angliam, indeque iterum in Franciam trajeciſſet, & tandem ſe nihil agere intellexiſſet, in

in urbe Meldenſi convocatis Epiſcopis Concilium celebravit; ubi recitatis Papæ Epiſtolis Epiſcopi Franciæ reſponderunt, ſtatuiſſe ſe, cum Rex Angliæ Epiſtolis Papæ morem non geſſiſſet, ipſum Pontificem conſulere, quod maximas turbas Eccleſiæ Gallicanæ imminere cernerent. Ne vero Abbas interim poteſtate Legati uteretur, ad Papam appellarunt, tempus appellationi præfigentes, atque quod ei adhærere vellent, dato pacis oſculo, præſentibus Regis Franciæ Legatis, ſeſe obſtrinxerunt, ea conditione adjecta, ſi quis ipſorum intra præſcriptum terminum non per ſe ipſum appellationem urgeret, ſuſpenſioni ſubjiceretur. Nam Legatus alio quam iſto pacto eorum appellationem recipere recuſavit. Verum Papa diſpenſans noluit eos hoc juramento teneri ligatos, deditque ſingulari favore licentiam, qua Epiſcoporum aliqui Romam irent, nomine omnium appellationem proſecuturi. Itaque præſtituto tempore Archiepiſcopi Senonenſis & Bituricenſis, cum Epiſcopis Pariſienſi, Meldenſi, Catalaunenſi, Nivernenſi, aliisque viris Eccleſiaſticis ſpectatiſſimis, Romæ adfuerunt, cumque diu expectaſſent, nec quisquam nomine Regis Angliæ veniſſet, in Conſiſto-

Sæcul.XIII. A.C.1203.

Sæcul. XIII. A.C. 1203.

rio Papali publice professi sunt, se neutiquam ea mente appellasse, quod mandata Pontificis voluissent eludere, sed quod persuasum sibi haberent, Regis sui causam justitia fulciri, atque, si necdum Papæ omnis suspicio esset exemta, haud se purgationem Canonicam refugere. At eos ab hoc onere Papa liberavit.

Finis Tomi XVIII.

INDEX
RERUM ET NOMINUM TOMI XVIII.

A.

Abbas. Non plene convictus, non tamen sine pœna canonica dimittitur. p. 517.
Acria. A Crucigeris expugnatur. p. 274.
Æthiopia. Res Ecclesiæ. p. 281. Abas Rex. ibid. Alexandrinæ Sedi subjecta. ibid.
S. Albertus Episcopus Leodiensis. p. 297.
Albigenses. Eorum errores. p. 117. Omnis conjunctio diversi sexus prohibita. p. 118.
Alexander III. Papa. Venetiis. p. 5. Ferrariæ. p. 8. Pax cum Friderico Imp. p. 12. Germaniæ Episcopi ad Alexandrum redeunt. p. 20. & seq. Epistola ad Presbyterum Joannem Indorum Regem. p. 25. Romam redit. p. 59. Principatum stabilit. p. 60. Obit. p. 120.
Alexandria. Res Ecclesiæ. p. 279. Patriarchæ Jacobitæ Marco succedit Joannes Circumcisionis fautor. p. 280.

Alexius Angelus Græc. Imp. Epistola ad Innocentium Papam. p. 541. Hortatur, ut Papa Concilium universale convocet. p. 542. Opem a Papa & Crucigeris petit. p. 660. & seq. Epistola ad Innocentium Papam, in qua obedientiam promittit. p. 680.

Andronicus Imp. Constantinopolim vocatur. p. 140. Imperator. p. 156. Illuditur & necatur. p. 180.

Anglia. Res Ecclesiæ. p. 110. Henrico II. succedit filius Richardus I. p. 243. Episcopatus Angliæ. p. 248. Res Ecclesiæ. p. 552. Richardo succedit Joannes frater. p. 555.

Annus. In Anglia inchoatur vigesima quinta Martii. p. 256.

S. *Anthelmus.* Obitus illius. p. 52.

Antichristus. In Sede Romana. p. 263.

Antiochia. Aimericus Patriarcha Latinus numero tertius. p. 146. Capta Hierosolyma Christianorum receptaculum. p. 220. Patriarchæ Græci præter Latinos. p. 251. Theodorus Balsamon Patriarcha Græcus Constantinopoli residens. p. 335. Raimundus Princeps reconciliatur Regi Armeniæ. p. 371.

Appellatio ad Papam. Quid de ea dicendum. p. 402. & seqq.

Armenia. Leo seu Livo Rex coronatur, & Ecclesiæ Romanæ unitur. p. 371.

Arnaldus Castellionensis. Captus. p. 210.

Arnulphus Lexovienſis. Illius extrema. p. 126. Epiſtola ad Papam de Abbatia Greſtanienſi. p. 179. & ſeq.
Auſtria. Leopoldus Dux Richardum Angliæ Regem Cuſtodiæ tradit. p. 310. Pœnitentia ei injuncta. p. 328.

Balduinus Comes Flandriæ. Cruciger pag. 634.
Balduinus IV. Rex Jeroſolymæ. Ejus bella. p. 108. Obit. p. 178.
Balduinus V. Coronatur quinquennis. p. 170.
Baptismus. An liceat omittere verba: *Ego te baptizo &c.* p. 304. & ſeqq. An valeat Baptismus. ibid. Ita a Laicis conferebatur. p. 305. In dubio conferatur non ſub conditione. p. 605.
Baronius Cardinalis. Ejusdem Annalium finis. p. 489.
S. Benedictus. Nunquam Presbyter. p. 558.
Bertoldus Zaringenſis. Imperator. p. 503.
Bæmundus Antiochiæ Princeps. Excommunicatus. p. 143.
Bonifacius Marchio Montisferratenſis. Cruciger. p. 634.
Bosnia. Culinus Princeps. p. 550. Hæreſis. ibid. Legatum Pontificium adjuvat. p. 686.
Bracara. Cauſa cum Eccleſia Compoſtellenſi. p. 570.
Brema. Hartwicus, Balduinus, & Sigefridus Brandeburgenſis Epiſcopi. p. 82. & ſeqq. Bertoldus depoſitus. p. 194.

Bulgari. Rex Joannicius. p. 548. Res Ecclesiæ. ibid. Ad S. Sedem redeunt. p. 681. Asan Petrus & Joannes Reges. p. 682.
Burgundia. Hugo III. Cruciger. p. 231. Imperat abeunte Rege Franciæ. p. 276. Obit. p. 277.

Cæsarea in Palæstina. Heraclius Episcopus in Concilio Generali Lateranensi. p. 64.
Calatrava. Ordo confirmatur. p. 573.
Callistus Antipapa, seu Joannes de Struma subjicitur. p. 62.
Canonici Regulares. In Dania. p. 34.
Cantuaria. Richardo succedit Balduinus. p. 176. Ei in Expeditione sacra mortuo succedit Renaldus. p. 286. Obit. ibid. Hubertus eligitur. p. 313. Hubertus Cancellarium agit. p. 556.
Carthusia major. S. Anthelmo succedit Basilius. p. 203.
Cassinum. Petrus Abbas. p. 24.
Claravallis. Henricus Abbas. p. 41.
Clemens III. Papa. p. 226. Romam redit. p. 229. Obit. p. 269.
Clerici. Presbyteri concubinarii depositi. p. 53. Si quis de Patrimonio potest vivere, ordinetur. p. 70. Horribile est pro Investitura Episcoporum aut Parochorum aliquid exigere. p. 71. Sicut etiam Parochis prohibetur, ne quidquam pro administratione Sacramentorum aut Sepulturæ exigant. ibid. & seq. Clericorum Immu-

Immunitas qualis sit. p. 412. & seqq. In Concilio Dalmatiæ damnantur Matrimonia Sacerdotum. p. 549. Si Clerici Beneficium non habeant, ab Episcopis illos ordinantibus sustententur. p. 693.

Cœlestinus III. Papa. p. 269. Henricum VI. & Constantiam coronat. p. 272. Obit. p. 488.

Colonia. Philippus ad Sinum Ecclesiæ redit. p. 21. In Concilio Lateranensi. p. 83. Papæ favet. p. 193. Obit. p. 274.

Concilia. An requiratur consensus prævius Papæ. p. 386. & seqq. Concilia Provincialia quomodo abolita. p. 442.

Concilium Dalmatiæ. p. 548.

Concilium Divionense. p. 530. Interdictum in tota Gallia. ibid.

Concilium Dublinense. p. 205.

Concilium Eboracense. p. 345.

Concilium Lateranense III. Convocatur. p. 63. Episcopi, qui interfuerunt. p. 66. & seq.

Concilium Londinense. Sub Huberto Archiepiscopo. p. 605.

Concilium Meldense. p. 708.

Concilium Monspessulanum. p. 358. Qui Inducias sacras violaverit, ejus subditi a fide jurata absolvuntur. p. 359.

Concilium Rotomagense. p. 255.

Concilium Senonense. p. 515.

Concilium Suessionense. p. 615. & seq.

Concilium Veronense. p. 158. Decretum contra hæreticos. p. 159.

Con-

Confessio. Ad accipiendum consilium, pœnitentiam, & solatium. p. 690. Confessio secreta peccatorum publicorum. p. 696.
Conradus Herbipolensis. Dux Crucigerorum. p. 370. Proditor. p. 372.
Conradus Hildesheimensis. De ejus translatione. p. 567.
Conradus Moguntinus. Dux Peregrinantium. p. 370.
Constantia Filia posthuma Rogerii Siciliæ Regis. Henrico Romanorum Regi nubit. p. 187. Obit. p. 508.
Constantinopolis. Theodosius Patriarcha. p. 100. Charitoni successerat. p. 102. Manueli Comneno Imp. succedit Alexius Filius. p. 106. Latini trucidantur. p. 135. Andronicus Imp. & Basilius Patriarcha. p. 153. & seq. Andronico Imp. succedit Isaacus Angelus. p. 180. Et Basilio Patriarchæ Nicetas. p. 184. Nicetæ sufficitur Leontius, & huic Dositheus a Sede Hierosolymitana translatus. p. 335. Pulso Dositheo sufficitur Georgius Xiphilinus. p. 337. Non utuntur titulo Oecumenici. p. 342. Isaacio Imp. succedit Alexius. p. 344. Georgio Xiphilino succedit Joannes Camaterus. p. 542. Constantinopolis a Crucigeris capta. p. 676. Restituitur Isaacius cæcus, & filius Alexius junior. ibid.
Conventus Geillenhusanus. p. 169.
Conventus in urbe Bernardi-Firmitate. p. 240.

Con-

Conventus Pipewellenſis. p. 248.
Crucigeri. Res Palæſtinæ. p. 283. Papa eos adhortatur. p. 509. Franci. p. 536. & 634. Venetiis. p. 657. Jadera capitur. p. 661. Pacta cum Alexio Angelo juniore. p. 663. Conſtantinopolim capiunt. p. 676.
Crux Sacra. A Muſulmannis capta. p. 210.
Cyprus. A Richardo Angliæ Rege expugnatur. p. 275. Guido Luſignanus Rex. p. 373. Aimericus Luſignanus Rex. p. 538. Titulo Rex Hieroſolymæ. ibid.

Dalmatia. Status Eccleſiæ. p. 548. & ſeqq.
Dania. Waldemarus Rex. p. 29. Status Eccleſiæ. ibid. & ſeqq. Canutus III. Rex. p. 314. Soror ejus Ingeburgis. ibid.
Decimæ Saladinæ. p. 230.
Deus Mahometanorum. A Græcis anathematizatur in Catechismo. p. 99.
Dola. Hujus Eccleſiæ cauſa. p. 124. Eccleſiæ Turonenſi ſubjecta. p. 561.
Dublinum. Joannes Archiepiſcopus Concilium celebrat. p. 205.

Eccleſia. A quibus eam Chriſtus liberaverit. p. 235. Eccleſiæ in quibusdam caſibus Regi pecuniæ ſubſidium pendunt. p. 259. Diſciplina mutata. p. 381. & ſeqq. An Eccleſia habeat junctam Poteſtatem ſæcularem. p. 419. & ſeqq. An expediat. p. 425. & ſeqq. Lenitas in reos. p. 457. & ſeqq. Poteſtas Eccleſiaſtica Imperatoriæ comparata. p. 545. & ſeq.

Electio.

Electio. In Electione Papæ duæ tertiæ sunt necessariæ. p. 68. Episcopus eligendus ex Matrimonio legitimo natus sit. p. 69. Lucius III. a solis Cardinalibus fuit electus, Populo & aliis Clericis exclusis. p. 122. Electioni Episcoporum nihil decessit, etsi ad lubitum Principum sæpissime fieret. p. 255. Electio & Regalia tempore Philippi Augusti in Francia. p. 258. Aliqui Episcopatus ad Jus Regale, alii non pertinebant. ibid. Electio Episcoporum qualis in Siciliæ Regno. p. 507.

Episcopus. An in Aula utiles sint Episcopi. p. 114. & seq. Episcopi mittunt ad prædicandum, & hæreticos judicant. p. 159. & seqq. Episcopi in Partibus an sint honorandi. p. 341. Quodnam sit Forum Episcopi. p. 389. & seqq. Translatio cujus juris. p. 394. & seqq. Creatio Episcopatuum. p. 395. & seqq. De Translatione Episcoporum. p. 564. Solum laute manducare vitium est. p. 690.

Esquilius Lundensis. Resignat. p. 29.

Evchariſtia. Nunquam sine lumine deportetur. p. 256. Cum aqua benedicta & cruce, & Sacerdote præsente, nisi sit extrema necessitas. ibid. An panis solus non consecretur. p. 365. Corpus Christi elevatur & adoratur ante consecrationem vini. p. 366. An consecretur vinum per commixtionem panis consecrati. p. 367. Coram ea lumen perpetuo conservetur. p. 605.

p. 605. Jussu Legati S. Sedis Coloniæ Evchariſtia a Sacerdote levata adoratur: tum etiam a Miniſtro ſignum datur, quando ad ægrotum defertur. p. 623. & ſeq. De verbis: *Myſterium fidei* in Conſecratione. p. 650. Simul figura & veritas. p. 651. Aqua vertitur in Sanguinem Chriſti. p. 652. An in Communione accipiatur Corpus corruptibile, ut ante Paſſionem fuit, vel incorruptibile, ut poſt Reſurrectionem. p. 653. Modus exiſtendi Corporis Chriſti ex argumentis a Logica vel Phyſica petitis male probatur. p. 654.

Evraudus hæreticus. Comburitur. p. 621.

Euſtachius Flexienſis Abbas. p. 637.

Euſtachius Theſſalonicenſis. Commentatur in Homerum. p. 179.

Excommunicatio. Imperator Fridericus I. excommunicatus a nemine fuit habitus ut depoſitus. p. 24. Privilegium conceſſum Comiti Sabaudiæ, ne ab alio quam a Papa excommunicetur, S. Anthelmus pro nullo habet. p. 53. Henricus IV. Imperatorum primus excommunicatus, & Regno privatus. p. 191.

Exemptio Templariorum. Videtur fuiſſe noxia. p. 143.

Felix Valeſius. p. 523.

Feſtum Fatuorum. p. 526.

Flandria Philippus Comes Cruciger. p. 231. Balduinus. p. 634.

Francia.

Francia. Ludovico Juniori VII. succedit Philippus Augustus. p. 97.
Fridericus Barbarossa. In Longobardia victus. p. 2. Pax cum Ecclesia p. 4. Christianum Moguntinum cum exercitu in auxilium Papæ mittit. p. 149. Dissidia de Jure Ecclesiæ & Imperii. p. 192. Expeditionem sacram voto promittit. p. 236. Cum Filio Friderico iter ingreditur. p. 250. Obit. p. 253.
Fridericus Friderici I. Filius Dux Sueviæ. Expeditio sacra. p. 250. In Expeditione obit. p. 255.
Fridericus II. Parvulus. Rex Siciliæ. p. 375. Coronatur. p. 500.
Fulco Nevilliacensis. p. 531.
Fulda. Abbatis ambitio. p. 156.

Germania. Res Episcoporum. p. 192. Epistola ad Urbanum III. p. 197. Expeditio in Terram sanctam. p. 370. Irrita. p. 373.
Godefridus Eboracensis. Querelæ contra ipsum. p. 319. Ejus causa Romæ discutitur. p. 351.
Godefridus Viterbiensis. Ejus Chronicum. p. 188.
Græci. Nectarius Abbas Casulorum nomine Ecclesiæ Græcæ in Concilio Lateranensi. p. 66. Probatur auctoritas Ecclesiæ Romanæ. p. 101. Et communio. p. 106. Theodorus Balsamon dicit Papam ab Ecclesiis

cleſiis eſſe reciſſum. p. 340. Schisma. ibid. Status Eccleſiæ Græcæ, reverentia Canonum, & Schismatis tempus. p. 416. & ſeqq. Res Eccleſiæ. p. 542. Sæpiſſime promiſerunt concordiam, & nunquam ſervarunt. p. 667. Res Imperii. p. 676. & ſeqq.

Grandimontenſis Ordo. Turbæ ob Fratres laicos. p. 598. & ſeqq.

Gregorius VIII. Papa. p. 222. Epiſtola ad Fideles. p. 223. Obit. p. 225.

Guido Luſignanus. Regno Hieroſolymæ præficitur. p. 170. & 207. Acriæ. p. 275. Rex Cypri. p. 370.

Guido Paræus. Legatus Innocentii Papæ in Germania. p. 621. Multa Decreta. p. 623. & ſeq.

S. Guilielmus Bituricenſis. p. 598.

Guilielmus Elienſis. Præfectus Angliæ. p. 287. Turbæ maximæ. ibid.

Guilielmus Pariſienſis. Abbas in Dania. p. 34.

Guilielmus Pariſienſis Epiſcopus. Scriptor. p. 476.

Guilielmus Rex Siciliæ. Theſſalonicam in poteſtatem ſuam redigit. p. 178.

Guilielmus Tyrienſis. Scriptor Hiſtoriæ Regni Latini in Oriente. p. 64.

Hæretici. Legatus Sedis Apoſtolicæ cum exercitu in eos movet. p. 116. Hæretici varii nempe Cathari, Paterini, Paſſagini. p. 164.

p. 164. Quomodo puniendi. p. 456. & seqq. In Urbe Charitate. p. 648.
Henricus Dandolus Dux Venetorum. p. 635. Crucigeros ad expugnandam Jaderam stimulat. p. 659.
Henricus Friderici I. filius. Rex Romanorum. p. 156. Constantiam ducit. p. 187. Imperator. p. 255. Coronatur a Papa. p. 272. Rex Siciliæ. p. 354. Obit. p. 374.
Henricus junior Henrici II. Angliæ Regis filius. Moritur. p. 152.
Henricus Leo. Obit. p. 378.
Henricus II. Rex Angliæ. Cruciger. p. 231. Moritur. p. 242.
Henricus Rex Hierosolymæ. p. 278. Subito perit. p. 373.
Henricus Walpot. Primus Ordinis Teutonici Magister. p. 279.
Herbipolis. Conradus Episcopus trucidatus p. 695.
Hibernia. Res Ecclesiæ & Regni. p. 205 & seq.
Hierosolyma. Episcopi Orientales Latini ad Concilium Lateranense pergunt. p. 64. Amalrico Patriarchæ succedit Heraclius p. 106. Status Ecclesiæ & Regni. ibid. & seqq. & p. 141. Legati Hierosolymitani in Francia. p. 169. In Anglia. p. 172. Balduino IV. succedit Balduinus V. puer novennis. p. 178. Et huic Guido Lusignanus. p. 207. Bellum cum Saladino. p. 209. Pugna ad Tiberiadem. ibid. Hierosolyma capta

capta. p. 214. Leontius, Dositheus Patriarchæ Græci, etiam tempore, quo Latini regnabant. p. 251. Heraclio Patriarchæ Papa sufficit Albertum in partibus. p. 284. In Titulo autem succedit Sulpicius. p. 332. Michael. ibid. Monachus. p. 334. Isabella Aimericum Regem Cypri ducit, datque Titulum Regis Hierosolymæ. pag. 373. Monacho Patriarchæ succedit Soffredus Acriæ. p. 671.

S. Hildegardis. Ejus Revelationes & obitus. p. 57. & seqq.

Hispania. Alphonsus IX. Rex Castiliæ. pag. 358. Petrus II. Rex Arragoniæ. p. 521. Alphonsus Rex Legionis, & Alphonsus Rex Castiliæ. ibid.

Historia Ecclesiastica. Ejus natura. p. 448. & seqq.

S. Homobonus. p. 378.

Hugo Eterianus. Ejus Scripta. p. 27. De Spiritu Sancto & anima separata. p. 28.

S. Hugo Lincolniensis. p. 200. A Papa Eboracum mittitur. p. 320. Ejus constantia. p. 322. Obitus. p. 606.

Humiliati. p. 165.

Hungaria. Bela III. Fridericum Imp. comiter excipit. p. 250. Emericus Belæ Filius, Ladislaus Emerici Filius, & Andreas alter Belæ Filius. p. 499. & seq.

Jejunium. Abstinentia a carnibus diebus Veneris & Sabbati necdum introducta. p. 224.

Jesus. Non crucifixus, sed Judas. p. 219.
Imperium. Datur à Papa. p. 610. & 623. Argumenta in contrarium. p. 625. & seqq. Ad electionem Papæ consensus Imperatoris requirebatur. p. 628. Argumenta pro Pontifice. p. 630. & seqq. Imperium a Græcis translatum ad Germanos. p. 630.
Indulgentia. Quid sit. p. 79. In Concilio Lateranensi biennium de Pœnitentia injuncta relaxatur. ibid. Etiam ab Episcopis concedenda ex mandato. ibid. Imposita satisfactionis relaxatio. p. 223. Per eam pœnitentia a Confessario injuncta redimi potest. p. 475. Episcopi concedebant Indulgentias non plenarias, quæ conjunctæ faciebant plenariam. p. 476. Bellum sacrum promoventibus concessa. pag. 511. & seq.
Ingeburgis Regis Daniæ Soror. Regis Franciæ Uxor. p. 314. Repudiator. p. 362. Recipitur, iterumque repudiatur. p. 593.
Innocentius III. seu Lantus Sitinus Antipapa. p. 63. Subjicitur. p. 95.
Innocentius III. Papa. p. 493. Andream Hungariæ Principem jure ad Regnum privat, nisi pareat. p. 499. Ad bellum sacrum hortatur. p. 509. Epistolæ. p. 510. & seqq. Ad Imperatorem & Patriarcham Constantinopolitanum. p. 539. Ad Populum Metensem. p. 582. Favet Othoni IV. p. 608. De Potestate Pontificia. p. 610. Dat Imperium & Coronam. ibid.

Capitu-

Capitulum: *Venerabilem* de Imperio. p. 630. Epistola ad Alexium Angelum Imp. p. 666. Ad Crucigeros ante portas Constantinopolis. p. 673. Ad Bulgaros. p. 682. Ad Reges Franciæ & Angliæ de Jure suo in bellum & pacem. p. 702. & seqq.

Inquisitio in hæreticos. Origo. p. 163. Mandatarii in Franciam missi. p. 519.

Insabbathati. p. 167.

Interdictum. In Regnum Scotiæ. p. 94. & 111. Relinquitur arbitrio Episcoporum. p. 360. Ex Interdictis generalibus quanta sequantur incommoda. p. 691.

Joachimus Abbas in Calabria. p. 262. Explicatio Apocalypsis. ibid. Alii Libri. p. 264. Obitus & Scripta. p. 639. & seq.

Joannes Angliæ Rex. Artum Nepotem suæ propria manu perimit. p. 700.

Joannes Camaterus Patriarcha Constantinopolitanus. Ejus Epistola ad Innocentium III. p. 542.

Joannes de Matha. Fundator Trinitariorum. p. 522.

Joannes Lugdunensis. Papam consulit de quæstionibus circa Evchariſtiam. p. 650.

Joanes Saresberiensis. Ejus obitus & Libri. p. 97. & seq.

Isaacus Angelus Græcorum Imp. p. 180. Suspicionibus actus. p. 251. Oculis privatur. p. 344.

Judæi. Non habeant mancipia Christiana. p. 77. Infantium Christianorum homicidæ.

cidæ. p. 131. Pelluntur ex Francia. pag. 133. Cæduntur in Anglia. p. 245.
Juramentum. Imperator & Rex per alium jurat. p. 19. & seq.
Jurisdictio Ecclesiæ. Rejicit cruentas ultiones. p. 77. & seq. Auctoritas S. Leonis. ibid. Usuræ, pupilli, Crucigeri sub Jurisdictione Ecclesiæ. p. 99. Hæretici damnati traduntur potestati sæculari. p. 160. Concurrit utraque Jurisdictio in suis quæque limitibus. ibid. & seqq. Quomodo explicanda regula: *Non bis in idem.* pag. 164. An Jurisdictio Ecclesiæ ad Temporalia se extendat. p. 643.

S. Laurentius Dublinensis. Ejus vita. p. 85. & seqq.
Legati S. Sedis. Sine licentia Regis non admittuntur. p. 295. Legati nati, & a latere. p. 440. Eos Episcopi præcedebant. p. 441.
Leodium. S. Albertus. p. 297. Rudolpho successit. p. 298. Schisma in Electione. ibid.
Leopoldus Dux Austriæ. Ejus pœnitentia & obitus. p. 328. & seqq.
Livonia. Conversa. p. 199.
Lotharingia. Henricus Dux. p. 298.
Lucius III. Papa. p. 122. Joannes Cardinalis Constantinopoli trucidatur. p. 137. Lucius III. a Romanis pellitur. p. 149. Veronæ moratur. p. 158. Obit in exilio. p. 185.

Ludo-

Ludovicus Franciæ Princeps. Ducit Blancam. p. 589.
Lugdunenſes Pauperes. Hæretici. p. 166. Seu Waldenſes. ibid.
Lundenſis Eccleſia. Abſolon Archiepiſcopus. p. 29. Epiſcoporum ſucceſſio in Dania. p. 506.
Magdeburgum. Veremundus. p. 2. Ad ſinum Eccleſiæ redit. p. 21.
Mahometani. Deum ſterilem adorant. p. 99.
Manichæi. Toloſæ. p. 37. Popelicani. p. 515. Mandatarii contra eos miſſi. p. 519. In Urbe vetere. p. 573.
Manuel Comnenus. Obit. p. 103.
Maronitæ. Eccleſiæ Romanæ junguntur. p. 146.
Martinus Litz Abbas Ordinis Ciſtercienſis. Cruciger. p. 657.
Mauritius Epiſcopus Pariſienſis. Obit. pag. 362.
Mediolanum. Algiſo ſucceſſit Hubertus. p. 186.
Meinardus Livoniæ Apoſtolus. p. 199.
Metæ. Hæretici. p. 581.
Minores Fratres. Eorum Ordo prædicitur. p. 85.
Miſſa. In lingua Chaldaica. p. 147. Miſſa non injungatur pœnitentiæ loco. p. 348. Obligatio dandi pretium pro Miſſis legendis. ibid. Presbyter nullum pactum ineat de ſtipendio Miſſæ, ſed eo, quod ſponte Fideles ſuper Altare offerunt, contentus

tus sit. ibid. Celebratio frequens, & magna Sacerdotum multitudo. p. 558. Non bis celebretur Missa in die sine necessitate. p. 605.

Moguntia. Christianus Archiepiscopus. p. 2. Ad sinum Ecclesiæ revertitur. p. 20. In Archiepiscopatu confirmatur. p. 23. In Concilio Lateranensi III. p. 66. Novum Pallium accipit. p. 83. Conradus redit. p. 150. Papæ favet. p. 193. Petrus Blesensis eum hortatur ad liberandum Regem Angliæ. p. 311. Dux Cruciatorum. p. 370. Conradus Cardinalis Archiepiscopus obit. p. 614. Liupoldus & Sigefridus. ibid.

Monachi. Contra Prælati sui disciplinam non appellent. p. 71. Non accipiatur pecunia pro recipiendis Novitiis. p. 73. Monachus, apud quem inventum fuerit peculium, excommunicetur, & sepultura communi careat. ibid. Priores Conventuales sine gravi causa non amoveantur. ibid. Monachi in Ecclesia Græcæ. p. 104. Monachi soli eligunt Archiepiscopum Cantuariæ. p. 285. & 313.

Mons Regalis. Archiepiscopatus. p. 148.

Musulmanni. Melic-Adel Soldanus Babylonis, Hierosolymæ Dominus, & Saladini in Ægypto Cairi regnantis Frater. p. 679.

Nicetas Historicus. p. 252. De communione Armenorum & Germanorum. ibid.

Normegia. Suer Presbyter. p. 504. Tyrannus. ibid.

Officium

Officium Nocturnum. Populus non amplius intereſt. p. 379.
Ordinatio. Epiſcopus ordinans aliquem ſine titulo tenetur eum alere. p. 70.
Oſtienſis Epiſcopus. Papæ Vicarius in Pontificalibus. p. 488.
Otto Dux Saxoniæ Imp. p. 376. Ab aliquibus eligitur & coronatur. p. 503. Recipitur ab Innocentio III. Papa. p. 608. Epiſtolæ. p. 610. & ſeqq.

Papa. Raro Pontifices Romani Romæ reſidebant. p. 36. Papa minatur, ſe Regnum Scotiæ alteri ſubjecturum. p. 94. An oporteat Eccleſiam Principatu gaudere. p. 190. Inſignia Regiæ dignitatis ab Imperatore Conſtantino accepit. ibid. De Donatione Conſtantini M. ibid. Papa majorem ſe non habet. p. 293. Supremus Judex. ibid. Majores cauſæ ſecundum Canones deferendæ ſunt Romam. p. 361. Papæ poteſtas. p. 407. & ſeqq. Expedit, vel omnino neceſſarium eſt eum ſimul Principatu temporali gaudere. pag. 434. Joannes Imp. Bulgariæ a Papa poſtulat coronam. p. 548. Princeps Serviæ: item Rex Hungariæ Fratri ſuo petunt Coronam regiam. p. 548. & ſeq. Papa contra voluntatem Capituli Epiſcopum inſtituit. p. 598. An Judex ſit in Electione Imperatoris. p. 631. Proles legitimatur a Papa. p. 641. An ſemper id poſſit. ibid.

& seqq. De ejus Jurisdictione temporali extra Territorium Romanum. p. 643. Papa in quibusdam causis potest Jurisdictione sæculari uti. ibid. In Patrimonio S. Petri Papa suprema auctoritate tam in temporalibus quam spiritualibus gaudere se affirmat. ibid. & seq. Reges in temporalibus non habent Superiorem. p. 643. Potest ipse Rex Filios suos legitimare. p. 645. An Papæ sit de bello & pace decernere. p. 703. An de quolibet peccato mortali, & periculo damnationis. ibid.

Parisii. Mauritio Episcopo succedit Odo. p. 363. Primum Universitatis Privilegium. p. 595.

Patriarchæ. Unum Ecclesiæ Caput. p. 341.

Petrus Aragoniæ Rex. Waldenses pellit. p. 521.

Petrus Blesensis. Ejus Epistola ad Alexandrum de Episcopis in Aula versantibus. p. 114. De libertate Ecclesiæ. p. 235. Aliæ Epistolæ. p. 311. & seq. Epistola ad Richardum Londinensem. p. 558.

Petrus Cantor. Opinio singularis de Evcharistia. p. 365.

Petrus Cellensis. Episcopus Carnotensis. p. 98. Obit. p. 207.

S. Petrus de Parenzo. p. 576.

Petrus Lombardus. Error an JEsus Christus sit aliquid. p. 80.

Petrus Moranus. Hæreticus. p. 42.

Philippus Augustus Rex Franciæ. Coronatur.

tur. p. 90. Regnare incipit. p. 97. Cruciger. p. 231. Proficiſcitur. p. 258. Capta Acria redit. p. 276. Ingeburgem ducit. p. 314. Rejicit. p. 315. Ducit Mariam Ducis Bohemiæ Filiam. p. 362. Regis Angliæ querelæ contra ipſum. p. 528. Interdictum in Francia. p. 586. Filius & Filia legitimantur. p. 641.

Philippus Belvacenſis Epiſcopus. In bello captus. p. 368.

Philippus Imp. Henrici VI. Frater. p. 375. A quibusdam Principibus eligitur. p. 502.

Piſani. Ubaldus Archiepiſcopus cum claſſe in Palæſtinam proficiſcitur. p. 229.

Pœnitentia. Richardi Regis Angliæ confeſſio & pœnitentia. p. 261. Mulctæ pecuniariæ non exigantur. p. 327. Pœnitentiam Diaconus non niſi in extrema neceſſitate injungat. p. 350. Confeſſarius in Diœceſi generalis. ibid. Pœnitentia Eccleſiaſtica qualis. p. 468. & ſeqq. Mulctæ pecuniariæ. p. 469. Abſolutio poſt peractam pœnitentiam in ſecreta confeſſione. p. 472. Licentia minuendi pœnitentiam Presbyteris conceſſa. p. 474. Satisfactio arbitraria. ibid. Confeſſis & dolentibus nulla alia neceſſaria eſt pœnitentia, quam opus Indulgentiam lucraturis præſcriptum. p. 475. & ſeqq. Bellum ſacrum promoventibus conceditur Indulgentia plenaria. p. 511. Pœnitentia ob homicidium voluntarium Epiſcopi injuncta. pag. 696.

696. Absolutio ante peractam pœnitentiam data. ibid.

Polonia. Casimirus Dux Constitutiones suas a Papa confirmari petit. p. 121.

Portugallia. A Rege Tributum petit Innocentius Papa. p. 522.

Prædicatorum Ordo. Vaticinium. p. 58.

Preto seu *Presbyter* Joannes. Rex Indorum. p. 25.

Protestantes. Non habent regulam certam, cur ad unam magis quam ad aliam accedant. p. 626.

Raimundus V. Comes Tolosanus. p. 37. Ejus Epistola ad Capitulum Generale Cisterciensium. p. 38.

Raimundus Comes Tripolitanus. p. 210.

Remi. Res Ecclesiæ. p. 647. Guilielmus obit. ibid.

Reservatio peccatorum. p. 257.

Richardus Henrici II. Regis Angliæ Filius. Cruciger. p. 231. Rex. p. 243. Proficiscitur ad Bellum sacrum. p. 255. Capitur in Austria. p. 310. Liberatur. p. 318. Apud Papam conqueritur. p. 528. Dictum mirabile. p. 536.

Riga. Ecclesia Cathedralis. p. 200. Meinardus & Bertoldus Episcopi. ibid. Albertus. p. 377.

Roma. An Jura Romæ antiquæ Constantinopolim translata. p. 340. Præfectus Urbis accipit

accipit a Papa Inveſtituram, quam prius ab Imperatore habebat. p. 496.
Romani. Alexandro Papæ Jura Principis cedunt. p. 60 Pax inter Clementem Papam & Populum. p. 227. Senatum reſtituerunt anno 1144. p. 229.
Roſa aurea. A Papa benedicta p. 8.
Roſchilda. Petrus Epiſcopus. p. 314.

Sabaudia. Humbertus Comes. p. 53.
Saladinus Soldanus. Ejus potentia. pag. 208. Hieroſolymam capit. p. 214. Obit. p. 356.
Salisburgum. Albertus reſignat. p. 23. Conradus Moguntia Salisburgum transfertur. ibid. In Concilio Lateranenſi III. p. 67. Albertus ſecundo. p. 150. Eberhardus Archiepiſcopus, antea Epiſcopus Brixinenſis. p. 569.
Sancti. Non orandum pro Sanctis. p. 653. Vetus formula in Miſſa. ibid.
Saxo Grammaticus & Hiſtoricus. p. 35.
Scholaſticorum Ordo Canonicorum Regularium. p. 618.
Scotia. Schisma. p. 93. Guilielmus Rex. ibid. Londini. p. 173. Res Eccleſiæ. p. 237. Epiſcopatus & Exemptio. p. 239. Archiepiſcopatus. ibid. Guilielmus Rex Scotiæ. Joanni Regi Angliæ homagium præſtat. p. 607.
S. Sepulchrum. Ejus Eccleſia conſervatur. p. 218.

Servia

Servia. Res Ecclesiæ. p. 549.
Sibilla Regina. Hierosolymam tradidit. p. 215. Obit. p. 284.
Sicilia. Guilielmus II. p. 148. Siculi capiunt Thessalonicam. p. 178. Tancredus. p. 261. Guilielmus III. Tancredi Filius. p. 355. Henricus VI. Imp. ibid. Fridericus. p. 375.
Stephanus Tornacensis. Ejus vita. p. 302. & seqq. Obitus. p. 689. Epistolæ de Interdicto. p. 691. & seqq.
Suer Tyrannus Norwegiæ. p. 504. Magnus a se ipso dictus. ibid.
Superstitio. Odo Episcopus Parisiensis. pag. 602.
Swerinum. Episcopus primus Berno: secundus Bernardus. p. 377. & seq.

Tancredus Nothus Rex Siciliæ. p. 261.
Templarii. Multorum malorum causa. p. 208.
Teutonicus Ordo. Ejus origo. p. 277.
Theodorus Balsamon. Ejus Scripta. p. 337. & seqq.
Theologia. An expediat Mysteria secundum principia Aristotelis explicare. p. 82. An expediat multitudo Librorum Theologicorum, & Canonicorum. p. 693. & seq.
Thessalonica. Urbs capitur a Siculis. p. 178. Archiepiscopus Eustachius. p. 179.
Tolosa. Hæretici Manichæi. p. 37.
Treviri. Arnoldus Archiepiscopus Schisma deserit.

deſerit. p. 21. In Concilio Lateranenſi III. p. 67. Volmarus & Rudolphus. p. 168. Volmarus Papæ favet. p. 193. Joannes. p. 255.

Trinitariorum Ordo. Origo. p. 522. Regula. p. 524.

Tripolis. Raimundus III. Comes. p. 107. Cum Saladino pactum init. p. 208. Obit. p. 211.

Tuſculum. Deſtructum. p. 273.

Vallis Scholaſticorum. Canonici Regulares. p. 618.

Veneti. Crucigeri. p. 659.

Viardus. Novum Inſtitutum Religioſum. p. 308.

Upſalia. In Suecia. Succeſſio Epiſcoporum. p. 506.

Urbanus III. Papa. p. 186. Epiſcopos, nuptiis Henrici Regis Romanorum, Cæſaris appellati, præſentes ſuſpendit. p. 188. Obit Ferrariæ. p. 221.

Waldenſes. Origo. p. 164. In Francia. p. 519.

ERRATA.

Pag. 53.	Anſelmus *Corrige:*	Anthelmus.
61.	comitantibus	comitantis.
78.	Catarrhi	Cathari.
133.	exarcebabat	exacerbabat.
173.	quo ſe cum	quo ſe, cum.
203.	S. Anſelmi	S. Anthelmi.
226.	Eccleſiæ Romanæ	Eccleſia Romana.
289.	Romana ob tam	Romana tam.
347.	veniſſet, a	veniſſet, & a
363.	Gifanenis	Gifanenſis.
409.	cum Deus	eum Deus.
449.	poteſt	poſſunt.
454.	poſſet	poſſent.
464.	leguntur	legantur.
507.	jurejurandum	jusjurandum.
535.	impellit	impegit.
560.	illa quæ	illa, quæ.
ibid.	poſſem mihi	poſſem, mihi.
596.	Studioſo	Studioſum.
603.	Mappa	Mappæ.
604.	quantum	quamdiu.
625.	§. XXXVIII.	§. XXXVII.
646.	Ingeburgi	Ingeburgis.
670.	emiſſæ	emiſſas.
703.	hortatus eſt	hortata eſt.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FLEURII
HISTORIA
ECCLESIASTI
TOM. XVIII.

Th 18
5178